Redham

INSTITUTIONES SCHOLASTICO-DOGMATICÆ,

QUAS

IN UNIVERSITATE VIENNENSI AUDITORIBUS SUIS EXPOSUIT

JOSEPHUS REDLHAMER E S. J.

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, EJUSDEMQUE PROFESSOR PUBLICUS, ET IN SACRA FACULTATE CÆSAREO-REGIUS EXAMINATOR JURATUS.

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, Cæs. Reg. Maj. Aulæ Typographi & Bibliop. 1758.

TRACTATUS DE GRATIA CHRISTI.

PROOEMIUM.

Explicatum Dominicæ Incarnationis dogma conſequuntur ampliſſimi fructus & magnifica illa gratiarum dona, quæ ex illo Myſterio uberrime profluunt. Cum enim Incarnatio omnium in homines promanantium gratiarum fons ſit & origo, atque per incarnatum Dei Verbum tanquam ſupremum caput obtineatur, quidquid habet univerſum Eccleſiæ corpus, ordo doctrinæ poſtulat, ut poſtquam de Verbi Incarnatione egimus, illuſtre de gratia Chriſti argumentum pertractandum ſuſcipiamus: quæ quidem diſputatio Catholi-

co theologo & neceſſaria videri debet, & operoſa, ſeu plurimas ſpectemus concertationes inter ipſos Catholicos ſubortas, ſeu impios hæreticorum conatus, qui ex hac parte doctrinam orthodoxam graviſſimis erroribus evertere moliebantur.

Ac inprimis uberrimum diſputandi campum nobis aperiunt tam veteres quam noſtri temporis hæretici, Pelagiani, Maſſilienſes, Prædeſtinatiani, Lutherus, Calvinus, Baius, Janſenius, Quesnellus, qui etſi inter ſe diſſentientes in id tamen communibus votis conſpirarunt, ut catholicam de gratia doctrinam penitus convellerent. Eorum certe errores adeo patent, ut per omne fere Theologiæ corpus ſeſe diffundant. Præ ceteris caput extulit duplex & extreme contraria hæreſis, Pelagiana & Janſeniana, quarum illa gratiæ divinæ neceſſitatem evertit, ut ſervaret libertatem; iſta libertatem arbitrii negavit, ut neceſſitatem gratiæ tueretur. Quid, quod Janſeniani cum Pelagianis in eo mire conſentiant, ut errores ſuos ſub verbis ambiguis & in ſpeciem Catholicis involvant, Eccleſiæ cenſuris ſeſe ſubducere moliantur, imo ſolam Auguſtini doctrinam ſibi vendicare velint, quam Eccleſia in argumento de gratia ſemper probavit, ſummiſque laudibus ornavit.

Sed & ipſæ inter catholicos obortæ diſputationes ejus-

ejusmodi ſunt, quæ viam arduam & permoleſtam efficiant in iis præſertim, quæ ad gratiæ Divinæ cum libertate humana concordiam pertinent. Agnovit id acerrimus divinæ gratiæ Vindex Auguſtinus lib. de grat. cap. 47. ita loquens: *Quæſtio iſta, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium auferri putetur.* Hinc prout diverſæ ſunt ſcholæ, diverſique auctores certis magiſtris addicti, diverſæ etiam vigent opiniones, quæ quidem omnes etſi in dogmate fidei Eccleſiæ ſententia definito facile conſentiant, inter ſe tamen quoad ~~modum admodum diſcrepant~~, quo dogma catholicum exponitur & propugnatur.

Itaque Theologi officium erit omnes hæreticorum, præſertim Janſeniſtarum, fallacias & receſſus ita aperire, ut latere non poſſint, fiatque manifeſtum, Eccleſiam per tot annos perſecutam eſſe non inane quoddam erroris ſimulacrum, ac phantaſma (ut nonnulli fraudulenter contendunt) ſed verum & realem errorem, quo Eccleſiæ, ac Galliæ pax atque tranquilitas jam diu infeliciter turbatur. In ſcholaſticis autem diſſidiis illud conandum eſt Theologo, ut quidquid ſalva fide contentioſum eſt, illud totum conferat ad defenſionem catholici dogmatis adverſus errores Novatorum, neque hæreat in propugnatione incertarum

opinionum, quæ hæreticis potius quam catholicis faveant.

Porro quæ ad dogma fidei potiſſimum pertinent, ſequentia ſunt: primo de fide eſt, præter externa legis & doctrinæ Evangelicæ adjumenta, neceſſariam eſſe *internam* Chriſti gratiam ad ſingulos actus ſalutares, etiam ad initium fidei, primosque ad ſalutem conducentes motus, nec non ad perſeverantiam in ſtatu juſtitiæ; primam gratiam prævenientem ita prorſus eſſe gratuitam, ut ſine ullis meritis noſtris ex ſolis Chriſti meritis concedatur. Hæc una cum peccati originalis in omnes homines propagatione, illa ſunt fidei dogmata, quæ adverſus Pelagianos & Semipelagianos invicte defendit Auguſtinus.

Secundo de fide eſt, nullum dari, etiam in ſtatu naturæ lapſæ, auxilium gratiæ, quod inſuperabilem agendi neceſſitatem inferat hominis voluntati; ſed liberum arbitrium a Deo motum & excitatum cooperari gratiæ etiam efficaci, poſſeque diſſentire ſi velit, ipſamque inſpirationem abjicere.

Tertio de fide eſt, dari in hoc ſtatu gratiam, non ſolo nomine, ſed re ipſa ſufficientem, cui non modo reſiſti poſſit, ſed vere reſiſtatur, privando eam effectu, ad quem divinitus data eſt, quemque habere poterat, niſi

nisi humana voluntas obstitisset. Talem gratiam nunquam deesse homini justo urgente præcepto, quod sine gratia impleri non potest, nullaque proinde Dei præcepta esse illi unquam observatu impossibilia. Unde peccatum & culpam omnem unice in nosmetipsos, non vero in Deum esse refundendam: contra vero opus omne ad vitam æternam utile Dei gratiæ esse tribuendum, cum tanta sit ejus erga nos bonitas, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona. Hæc aliaque fidei dogmata partim contra veteres hæreticos definita sunt in Conciliis Africanis, Milevitano, Arausicano II., partim contra novatores nostri temporis in Concilio Tridentino, quod *Sess.* 6. hac de re edidit XXXIII. canones, partim in decretis Pontificum, qui damnarunt propositiones Baianas, Jansenianas, Quesnellianas, ut suis locis dicemus. At enim ut totius argumenti ratio constet, tria disputanda se offerunt: primo de gratia actuali, ejusque influxu, necessitate, sufficientia & efficacia erit differendum; deinde de Justificatione impii; ac demum de consequentibus Justificationem, id est de fructibus & bonis operibus justificatorum. Ista porro quinque præcipuis capitibus complectemur.

I. Agemus de notione, & multiplici partitione gratiæ Divinæ, de variis circa eam erroribus, de diversis relate ad illam naturæ humanæ statibus. Quare initio exponemus errores Pelagianorum & Massilien-

 sium,

ſium, atque contra Janſenium explicabimus, de quo adjutorio gratiæ fuerit controverſia inter Auguſtinum, illosque hæreticos. Deinde expendemus conditionem, & diverſitatem naturæ puræ, integræ, innocentis, & lapſæ, hujusque præſertim infirmitatem conſiderabimus, uti & diſcrimen inter gratiam ſanitatis, quæ data eſt Adamo in ſtatu innocentiæ, & gratiam medicinalem, quæ nunc hominibus lapſis confertur.

II. Speciatim contra præcipuos gratiæ hoſtes pugnabimus, atque præcipuas actualis gratiæ prærogativas & proprietates exponemus. Ac præprimis oſtendemus gratiam interiorem in ſtatu naturæ lapſæ neceſſariam eſſe ad quodcunque opus ſalutare, etiam ad initium fidei: eamque adeo eſſe gratuitam, ut conferatur nemini ex meritis operum naturalium, aut virtutum moralium. Subjungemus etiam doctrinam de ſpeciali dono finalis perſeverantiæ, eamque ſine ſingulari divinæ gratiæ adjutorio obtineri non poſſe declarabimus: ac porro quæ & quanta ſit gratiæ neceſſitas ad bonum ordinis naturalis peragendum, ad vitandum malum, ad Deum ut auctorem naturæ diligendum definiemus.

III. Ea trademus, quæ ad virtutem, & agendi modum gratiæ actualis, id eſt, ad ejusdem ſufficientiam & efficaciam pertinent: ubi præcipua fidei dogma-

mata contra Baianos & Janſenianos propugnabimus. Præprimis oſtendemus præter gratiam efficacem admittendam eſſe in præſenti ſtatu gratiam mere ſufficientem in ſenſu catholicorum; rejiciendam e contrario eſſe gratiam parvam, ſeu ſufficientem in ſenſu Janſenii. Poſtea, quomodo ſingulis proviſum ſit de gratiis ad obſervanda præcepta, & obtinendam ſalutem, ſpeciatim oſtendemus. Demum proponemus varia ſyſtemata de gratia efficaci, eamque inprimis contra hæreticos, deinde adverſus nonnullos ſcholaſticos ita propugnare conabimur, ut efficaciam gratiæ cum arbitrii libertate plane conciliemus.

IV. De Juſtificatione impii, quæ eſt præcipua contra Novatoves controverſia, duo potiſſimum tractabimus: primo de diſpoſitione præcedente juſtificationem, deinde de ipſa Juſtificatione. De diſpoſitione præcedente duæ erunt præcipuæ quæſtiones: prima, quænam ſit fides juſtificans; ſecunda, an fides ſola juſtificet. De ipſa Juſtificatione hæc potiſſimum quæremus, 1mo. An Juſtitia qua juſtificamur ſit inhærens, an imputativa: utrum illud inhærens ſit actus vel habitus. 2do. in quo ſita ſit Juſtificatio impii. 3tio. de certitudine gratiæ, & remiſſionis peccatorum, & perſeverantiæ. 4to. de inæqualitate, & mutabilite Juſtitiæ.

V. Age-

V. Agemus de veritate, merito & efficacia Justitiæ actualis. Ac primo contra hæreticos ostendemus, opera justorum esse vere bona, justumque posse implere legem divinam, ita ut in eo opere nullum peccatum admittat. Differemus subinde de meritis bonorum operum: nempe an sint vera aliqua Justorum merita: quid sit meritum, seu quid ad verum meritum constituendum requiratur: qualia sint hæc merita, an ex condigno, an ex congruo tantum; propter quid sint, seu quid sit illud, quod proprie cadit sub meritum. En synopsin totius argumenti, in quo ita versabimur, ut primas semper partes Scripturis, Conciliis, Patribus, & ex his Augustino præcipuo gratiæ Divinæ vindici tribuamus.

CON-

CONTROVERSIA I.

DE

GRATIA SALVATORIS GENERATIM.

In graviſſimo hoc de Divina gratia argumento præliminarem fere diſſertationem inſtituendam duximus, partim ut uberiorem errorum poſtea refellendorum notitiam obtineamus, partim ut ea quæ de neceſſitate, ſufficientia, & efficacia gratiæ dicentur, facilius intelligantur. Agemus igitur primo de notione, & multiplici partitione gratiæ Divinæ; ſecundo de variis circa eam erroribus; tertio de diverſis relate ad illam humanæ naturæ ſtatibus.

CAPUT I.

DE

VARIA GRATIÆ ACCEPTIONE AC DIVISIONE, UTI ET DE HÆRESI PELAGIANA.

§. I.

Nomen, & definitio gratiæ.

I. Varia quidem *gratiæ* eſt ſignificatio, ſi nomen duntaxat conſiderare velimus: at ſpectato noſtro inſtituto hæc

vox id notare videtur, quod gratis datur. In hoc ſenſu loquitur Apoſtolus ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia*, quia nempe, ſi ex operibus eſſet, non gratis daretur, ac proinde gratia non foret. Unde idem Apoſtolus capite quarto dixit: *ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*, quia quod ſolvitur ut debitum, non gratis datur. In ampla hac ſignificatione comprehenduntur gratiæ etiam naturales, ſeu quævis beneficia ordinis naturalis gratis conceſſa, ut ſunt creatio, conſervatio, facultas liberi arbitrii &c. Quam ob rem D. Auguſtinus Epiſt. 177. alias 95 ita ſcribit: *non improbenda ratione gratia Dei dicitur qua creati ſumus, quia non præcedentium aliquorum bonorum meritis operum, ſed gratuita Dei bonitate donata eſt.* Quibus ſimilia habet de prædeſt. SS. capite 5. oſtendens quo jure ſit gratia, *qua ſumus animantia rationabilia, & diſcernimur a brutis.*

II. Gratiam in hoc ſenſu nemo unquam negavit, imo ipſe gratiæ capitalis hoſtis Pelagius hac acceptione Patres Concilii Paleſtini decepit, ut notat S. Auguſtinus Epiſt. citata. Dum enim videbatur concedere neceſſitatem *gratiæ* ad opera ſalutaria, hujus nomine nihil aliud intelligebat, quam beneficium creationis, vel liberum arbitrium gratis a Deo nobis conceſſum. Unde idem S. Doctor Serm. 11. de verbis Apoſt. modo Serm. 26. cap. 7. inducit Pelagianum ita loquentem: *hoc ipſo quia liberum hominis arbitrium defendo, & dico, quia liberum hominis arbitrium ſufficiens eſt ut juſtus ſim, non ſine gratia Dei dico, nec contra gratiam Dei diſputo.* Sed Auguſtino ipſum interrogante, ut quam putet gratiam exponat reſpondet: *cum dico liberum hominis arbitrium, vide quia hominis dico.* Quid deinde? *hominem quis creavit? Deus. Quis ei liberum arbitrium dedit? Deus. Si ergo hominem Deus creavit, & homini*

Deus

Deus liberum donavit arbitrium; quidquid potest homo de libero arbitrio, cujus gratiæ debetur, nisi ejus, qui eum condidit cum libero arbitrio? In eo quidem non erravit Pelagius, quod gratiam naturalem agnoverit; sed in eo, quod sola hac gratia, qua homines sumus, contentus aliam gratiam, qua Christiani sumus, & qua supra naturam elevamur, negaret.

III. At vero de illa duntaxat gratia hic nobis sermo est, quæ communi, & recepto scripturæ, Patrum, ac Ecclesiæ usu hoc nomine compellatur, atque hæc consistit in beneficio supra totum naturæ debitum nobis exhibito per Christum, quo disponimur & ordinamur ad facienda opera meritoria, ut oportet, ad vitam æternam consequendam. Hæc est proprie & theologice gratiæ acceptio, de qua dicitur Joan. 1. v. 17. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Jesum Christum;* & ad Rom. 3. v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Hinc S. Augustinus Epist. 177. sic scribit: *Illam gratiam, qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immerito intelligimus, mirum est tamen, si ita appellatam in ullis legitimis Propheticis, Evangelicis, Apostolicisque litteris legimus. Hanc Apostolica doctrina gratiam isto nomine appellat, qua salvamur, & justificamur.*

Justam igitur gratiæ Theologicæ, de qua in hoc tractatu præcipue acturi sumus, definitionem hanc habe: gratia Christi est donum Dei gratuitum, supernaturale, homini lapso concessum a Deo per merita Redemptoris nostri, in ordine ad vitam æternam. Dicitur 1. *donum gratuitum*, ut ostendatur non rependi præcedentibus meritis, sed gratis dari; alioquin gratia jam non esset gratia. Dicitur 2. *supernaturale*: id est supra naturæ debitum, exigentiam & virtutem, ut distinguatur a donis naturalibus, ut est creatio, conservatio, sanitas

corporalis &c. Hanc gratiæ conditionem evertunt, qui cùm Baio & Janſenio docent, impoſſibilem eſſe puræ naturæ ſtatum, in quo homo ſine peccato & gratia crearetur. Neceſſe eſt enim ut aſſerant, gratiam ad exigentiam & naturalem hominis ſtatum concedi, adeoque integritatem primæ creationis non fuiſſe indebitam humanæ naturæ exaltationem, ſed naturalem ejus conditionem: quæ eſt propoſitio 27. inter Baianas proſcriptas. Dicitur 3. *homini lapſo conceſſum*, ut oſtendatur hanc gratiam, quæ indulgetur inimico, ſpeciali titulo gratuitam eſſe juxta illud Apoſtoli Rom. 5. *commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores eſſemus . . . reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus.* Dicitur 4. *conceſſum à Deo per merita Chriſti*, ut deſignetur cauſa tum efficiens gratiæ, nempe Deus, tum meritoria, nempe Chriſtus, in quo *habemus redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum.* Epheſ. 1. v. 7. Dicitur 5. *in ordine ad vitam æternam:* quia gratia eſt ſemen gloriæ, quatenus hominem ad eam elevat, movet & diſponit. Hinc Joan. 4. dicitur *fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

§. II.

Multiplex partitio gratiæ.

IV. Gratia Chriſti generatim dividitur in exteriorem, qualis eſt doctrina, ſeu prædicatio Evangelii, miracula & exempla Chriſti, inſtitutio ſacramentorum &c. & in interiorem, ut eſt gratia ſanctificans, illuſtratio mentis, pia motio voluntatis &c. de qua duntaxat hic agimus.

Prima ejuſdem diviſio eſt in gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem. Prior eſt ea, quæ homini ad utilitatem

tatem proximorum divina liberalitate tribuitur. Ejusmodi gratias novem enumerat Apoſtolus *epiſt. prima Corinth. cap.* 12., nempe ſapientiam, ſcientiam, fidem, operationem virtutum, prophetiam, diſcretionem ſpirituum, genera linguarum, interpretationem ſermonum, gratiam ſanitatum. Dicitur autem gratia gratis data, non quod ipſa ſola gratis detur; ſed quia cum proprio & ſpecifico nomine careat, ei tribuitur nomen genericum omni gratiæ conveniens. Gratia gratum faciens eſt ea, quæ ad propriam recipientis ſalutem præcipue datur, ſeu eſt donum ſupernaturale ad propriam uniuscujuſque ſalutem per ſe ordinatum, quod habet ſingularem proprietatem reddendi hominem Deo gratum, aut formaliter, quod præſtat gratia habitualis, aut diſpoſitive, quod efficit gratia actualis. Hinc oritur

Secunda diviſio gratiæ in habitualem & actualem. Habitualis ſeu permanens dicitur ea, quæ datur per modum habitus, hominemque conſtituit permanenter juſtum, Dei amicum, & filium adoptivum; hinc dicitur etiam gratia ſanctificans. Talem inhærentem, & permanentem gratiam dari, manifeſte oſtendit exemplum parvulorum, qui baptizantur, quique non aliam recipere poſſunt, qua juſtificantur gratiam præter eam, quæ ipſis ſpeciali quodam modo inhæreat. Hinc Apoſtolus ad Romanos 5. v. 5. ſic ſcribit: *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum.* Gratia actualis eſt ea, quæ datur per modum actus, ſeu motionis tranſeuntis, qua Deus hominem illuſtrat, excitat, & adjuvat ad omnes pietatis actus, qui vires ipſius naturæ excedunt. Hinc Auguſtinus lib. de gratia Chriſti cap. 12. ſic ait: *qua gratia agitur non ſolum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus.*

V. Tertia diviſio gratiæ, nempe actualis, eſt in operantem, & cooperantem. Utramque hanc gratiæ ſpeciem tradit S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 17. ſic ſcribens: *quis iſtam etſi parvam dare cœperat charitatem* (ſancto Petro, de quo hic loquitur) *niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? quoniam ipſe, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apoſtolus, certus ſum, quoniam qui operatur in nobis opus bonum perficit uſque in diem Chriſti Jeſu. Ut velimus, ſine nobis operatur, cum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* Colligitur etiam hæc diviſio ex ſcriptura; ac gratia quidem operans ex illo Philipp. 2. v. 13. *Deus eſt enim, qui operatur in nobis velle, & perficere:* utraque autem ex illo 1. ad Corinth. 15. v. 10. *gratia Dei ſum id, quod ſum, & gratia ejus in me vacua non fuit, ſed abundantius his omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Unde S. Auguſtinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 5. de vocatione Pauli, quæ per gratiam operantem effecta eſt, ſic ait: *ut autem de cœlo vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione, gratia Dei erat ſola, quia merita ejus erant magna, ſed mala.* De gratia vero cooperante ibidem ſic habet: *non ego autem, ſed gratia Dei mecum, id eſt non ſolus, ſed gratia Dei mecum, ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.*

Circa notionem & definitionem gratiæ operantis & cooperantis non conſentiunt Theologi. Cardinalis Gottius *Tract. 6. de grat. quæſt.* 2. per gratiam operantem intelligit eam, qua Deus in nobis ſine nobis incipit omnia noſtra bona opera, ſeu operatur primam bonam voluntatem; & per cooperantem eam no-

notat, qua nobiscum operatur perfectionem & executionem boni operis, cujus initium jam in nobis operatus fuerat. Addit, gratiam operantem operari in nobis *fine nobis*, quia ad illam habendam nihil noftri conferimus, five petendo, five defiderando, five eam aliquomodo promerendo, aut impetrando: cum enim primam bonam voluntatem in nobis operetur, fequitur eam a nullo bonæ voluntatis motu præverti. Quare operatur fine nobis prius volentibus, conantibus, pulfantibus, defiderantibus, meditantibus; non tamen fine nobis phyfice & vitaliter agentibus. Contra gratia cooperans dicitur nobifcum operari, quia jam per gratiam operantem conantibus, defiderantibus & petentibus perfectionem & executionem operatur. Ex quo patet, gratiam operantem eam dici, quæ primam bonam voluntatem in homine operatur, ut converfionis ab infidelitate ad fidem, vel a peccatis ad pænitentiam; cooperantem vero eam effe, quæ homini jam per gratiam operantem volenti cooperatur augendo ac roborando voluntatem, ut perficiat, quod vult, & ad quod conatur. Honoratus Tournelyus gratiam operantem explicat per motus intellectus, & voluntatis indeliberatos cœlitus immiffos, per quos Deus incipit bonum opus in nobis: Gratiam vero cooperantem per concurfum fupernaturalem Dei, quo nobifcum concurrit ad bona opera. Unde gratia dicitur operans, quatenus per motionem indeliberatam applicat intellectum ad pias cogitationes & voluntatem ad fanctas affectiones: cooperans vero, quatenus cum intellectu & voluntate producit vel piam cogitationem, vel fanctam affectionem. Alii aliter utriufque gratiæ difcrimen exponunt, fed fortaffis quoad rem ipfam conveniunt.

VI. 4to dividitur gratia in prævenientem, & fubfequentem, quæ divifio rurfus fundamentum habet in fcripturis, & Pa-

Patribus. Sic de præveniente dicitur Ps. 58. v. 11. *Misericordia ejus præveniet me:* de subsequente vero Ps. 22. v. 6. *Et misericordia tua subsequetur me.* Hinc Augustinus in Enchirid. cap. 32. postquam dixisset: *hominis voluntatem bonam Deus & præparat adjuvandam & adjuvat præparatam*, sic ait: *Præcedit enim voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa. Nam utrumque legitur in Eloquiis: & misericordia ejus præveniet me, & misericordia ejus subsequetur me. Nolentem prævenit, ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit.* Constat id etiam ex orationibus Ecclesiæ, quæ precatur, ut actiones nostras aspirando præveniat, & adjuvando prosequatur, & gratia divina nos præveniat, & subsequatur, præstetque nos esse bonis operibus jugiter intentos. Enimvero Deus nobis principio mentem collustrat, & pium desiderium inspirat, atque sic boni motus initium causat: tum vero provehit, & executioni applicat bonum motum in voluntate per gratiam prævenientem inchoatum, adjuvat liberum arbitrium, dum opus prosequitur, regitque ut perficiat. Prior igitur gratia est præveniens, posterior subsequens. Quo modo videtur hæc gratiæ divisio parum a priore discrepare.

VII. 5to dividitur in excitantem & adjuvantem. Utriusque rursus meminit scriptura: excitantis quidem in iis locis, quibus homines quasi sopitos & torpentes excitat. Ut ad Ephes. 5. v. 14. *Surge qui dormis, & exsurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* Apoc. 3. v. 20. *Ecce sto ad ostium & pulso* Adjuvantis etiam meminit Ps. 78. v. 9. *Adjuva nos Deus salutaris noster*, & Ps. 26. *Adjutor meus esto.* Utramque suis in precibus postulat Ecclesia, dum orat Deum, ut excitet voluntates nostras, & vota nostra, quæ præveniendo aspirat, etiam adjuvando prosequatur. Hinc S. Augustinus lib. 2. de pecc.

mer.

mer. C. 18. ait: *Quod ad Deum nos convertimus, nisi ipso excitante atque adjuvante non possumus.* Ad quæ omnia respicientes Tridentini Patres Sess. 6. cap. 5. declarant *ipsum Justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum prævenientis gratia sumendum esse, hoc est ab ejus vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum Justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo, & cooperando disponantur.* Porro per gratiam excitantem intelligitur ea, qua Deus ante omnem liberæ voluntatis motum nos excitat, impellitque ad bonum, per adjuvantem vero ea, qua homo adjuvatur ut velit, ac deinde faciat, & exequatur; unde patet hanc divisionem non differre nisi nomine a priore.

6to Dividitur gratia in sufficientem, & efficacem. Sufficiens est ea, quæ potest habere, sed non habet effectum, ad quem datur, idque ex sola culpa voluntatis nolentis ei consentire. Efficax vero est ea, quæ non solum potest habere, sed etiam certo habitura est effectum, si detur. Circa utrumque divisionis membrum gravissimæ exortæ sunt discordiæ & contentiones, quas suo loco speciali dissertatione discutiemus.

§. III.

De Hæresi Pelagiana.

De hoc argumento ut brevem notitiam demus, tria præcipue expendi debent. Primo enim dicendum est, quinam fuerint Auctores hæresis Pelagianæ: deinde quales sint illius errores capitales: tertio quorum studio, & quoties hæresis illa fuerit proscripta, & profligata.

De Auctoribus hæresis Pelagianæ.

VIII. Pelagiani duce Pelagio, unde hæresis nomen habet, & originalis culpæ propagationem, & gratiæ Divinæ necessitatem negabant: hujus tamen erroris primus assertor non fuit Pelagius, sed multi ante ipsum eundem errorem præformarunt. Ac primo quidem circa gratiam errarunt Judæi ad Christum conversi tum illi, qui putarunt gratiam Christi sine observantia legis ad salutem non sufficere: tum illi, qui de meritis Legis Mosaicæ gloriantes, Evangelicam gratiam ejusmodi meritis debitam asserebant; ideoque gentiles ad talem gratiam vocatos iniquo animo ferebant. Contra priores scripsit Apostolus Epistolam ad Galatas, ostenditque Christum gratis fuisse mortuum, si circumcisio, ceteraque legalia necessaria forent. Adversus posteriores dedit Epistolam ad Romanos, in qua demonstrat & gratiam Evangelii omnibus necessariam sine omni discrimine a Deo dispensari, & illam gratiam plane gratuitam sine merito concedi.

Origenem hæreticam de divina gratia docuisse sententiam contra nonnullos propugnatores demonstrant cum Norisio viri clarissimi, evincuntque id maxime testimoniis scriptorum, qui grassante hæresi Pelagiana floruerunt. S. Hieronymus in Epist. ad Ctesiphontem alloquens Pelagium: *doctrina tua*, inquit, *Origenis ramusculus est.* Orosius in apologia: *Origenes* (inquit de Pelagianis) *in his vivit.* Et Vincentius Lirinensis Common. cap. 23. testatur, Origenem *omnium pene hæreticorum magistrum evasisse.* Id vero palam fiet, si ipsius Auctoris doctrinam perpendamus: Variis locis docuit Origenes gratiam dari secundum merita nostra: nempe libro 1. Periarchon cap. 7. lib. 3. cap. 1. & 3. Philocal. cap. 20. & in Epist. ad Rom. lib. 7. & 9. Quæ loca congessit, & illustravit Huetius. *Est* (inquit Ori-

Origenes) *alia Spiritus Sancti gratia, quæ dignis præstatur, ministrata quidem per Christum, impetrata autem a Patre secundum merita eorum, qui capaces efficiuntur. Et unumquodque vas vel ad honorem, vel ad contumeliam formatur, prout ex se ipso causas, & occasiones præstitit conditori.* Asseruit item initium fidei esse ex nobis, & profectum a Deo: rursus Angelos diversa officia meruisse ex suis meritis, Joannem Baptistam in utero sanctificatum ob merita comparata, priusquam illius anima devolveretur ad corpus, eodemque modo Christum promeruisse unionem hypostaticam, quæ est omnium gratiarum maxima. Quare illustris Huetius in Origenianis lib. 2. quæst. 7. num. 13. fatetur Origenem docere, *quidquid gratiæ nobis largitur Deus, totum id nostræ voluntatis arbitrio acceptum esse referendum.* Neque ad propugnandam Origenis fidem dici potest, eum aliis in locis (nempe cap. 8. lib. 2. Periarchon, & Homil. 4. in Psalmum 36.) divinæ gratiæ dona deprædicasse. His enim locis commemorat tantum gratiam præcedentibus meritis obtentam, quod ex eo colligimus, quia multis aliis locis distinguit duplicem fidem, humanam, quam propriis viribus nulla gratia roboratis habere possumus, & divinam, quæ nobis per gratiam infunditur: item distinguit initium virtutum, earumque profectum. Ex quibus colligi potest, dictum Auctorem ascribere gratiæ fidem secundam, non primam, & incrementum virtutum, non inceptionem, ac proinde errori Pelagianorum prælusisse.

IX. Alterum Pelagianæ hæreseos prodromum fuisse Rufinum quendam Presbyterum luculenta monumenta ostendunt. S. Hieronymus Epist. ad Ctesiphontem ait Pelagianam de impeccantia hæresim derivatam esse post alios a Rufino librorum Periarchon interprete; id quod repetit præf. ad 4. lib. comment. super Jerem. Marius Mercator in suo Commonitor. De

dogmate hæretico (nempe quod primi parentes prævaricando ſibi duntaxat nocuerint) loquens, affirmat hanc quæſtionem rectæ fidei inimicam Rufinum quondam Romam invexiſſe. Quin ipſe Cæleſtius in Carthaginenſi conventu pro ſuo dogmate, de quo poſtulabatur, Rufinum produxit, ut habetur apud S. Auguſtinum lib. de peccat. orig. cap. 3. Huetius in diſſertationibus Origenianis demonſtrat, Rufinum libros Origenis interpretantem, eosdem pro ſuo libitu immutaſſe, ea, quæ Pelagiana erant, retuliſſe quidem fideliter, alia autem, quæ in nullo exemplari græco comparent, de ſua Pelagianiſmi officina addidiſſe. Quis fuerit ille Rufinus, an Aquilejenſis ille percelebris, an Syrus vel Paleſtinus, qui nobis innotuit ex Epiſt. 66. nunc 81. Hieronymi; inter Criticos non convenit. Fuiſſe Syrum contendit Garnerius Marii Mercatoris editor diſſert. 1. cap. 3. At Cardinalis Noriſius in Hiſtor. Pelag. lib. 1. cap. 2., Baronius, Pagius, & major pars illuſtrium ſcriptorum gravibus argumentis oſtendunt, illum eſſe Aquileienſem, qui interpretando Origeniana, omnia ſtuduit emollire præter Pelagianiſmum, & hunc, ubi non erat, intruſit, ut aperte demonſtrat Huetius lib. 2. Orig. quæſt. 7. num 10, & 14. Theodorum Mopſueſtenum præluſiſſe Pelagianis indubium eſt. I. Enim Marius Mercator in libro ſubnotationum aperte teſtatur, hæreſim Cæleſtianam jam dudum motam apud nonnullos Syrorum, *& præcipue in Cilicia a Theodoro quondam Epiſcopo oppidi Mopſueſteni.* Ex eodem Mercatore, & Photio in Biblioth. Cod. 177. conſtat, eundem Theodorum non ſolum negaſſe filium Dei veniſſe ad tollendum peccatum originale, ſed & de hoc argumento quinque libros ſcripſiſſe adverſus S. Auguſtinum defendentem peccatum originale. II. In act. 10. Concilii Chalced. Ibæ Theodori diſcipulo hæc plusquam Pelagiana Mopſuſteeni ſententia eſt objecta: *non invideo Chriſto, quod factus eſt Deus: quoniam & ego, ſi volo, poſſum fieri ſecundum illum.*

X. In-

X. Inter eos, qui contra gratiam Chrifti pugnarunt, præcipuum locum meretur Pelagius natione Britannus, profeffione monachus, non quidem cænobita, aut eremi cultor, fed ex illo genere; qui vefte ad pietatem compofita domi difciplinis fedulam operam navabant: facris ordinibus nunquam initiatus, inde laicus a Zofimo papa dictus. Ingenio erat acri, fed fraudulento, quod oftendunt varii doli, quibus erroris fui capita diffimulare nitebatur. Fertur Pelagius Romam veniffe circa an. 384. ibique diu magna pietatis laude verfatus: fcripfit ibidem commentarios in Epiftolas Pauli libris 13. conftantes, In quibus peccatum originis negat; dedit etiam epiftolas ad Paulinum & Conftantium Epp. quibus fuam de gratia mentem exponit. Anno 409. circiter cum Cœleftio fibi amiciffimo in Siciliam navigavit, nec multo poft fefe contulerunt in Africam, appuleruntque Hipponem epifcopalem Auguftini fedem, & inde Carthaginem, ubi Cœleftius accufatus, quod negaret peccatum originis, fynodali judicio damnatus eft an. 412. fuæque timens caufæ in Afiam transmifit. Interea Pelagius in Paleftinam fe recepit, fretusque patrocinio Joannis Jerofolymitani errores latius fpargere cæpit. Anno 415. Heros S. Martini difcipulus, & Lazarus Aquenfis Epifcopus Pelagium hærefeos accufarunt; hinc celebrata eft Synodus 14. Epifcoporum Diofpoli in Paleftina: verum Pelagium partim verfute refpondentem, partim quædam accufationis capita damnantem ab omni erroris fufpicione abfolverunt Patres errore facti, non juris, quam ob rem hanc fynodum *miferabilem* appellat Hieronymus in Epift. 79. nunc 147. Anno 416. Epifcopi Africani per Orofium edocti duo concilia celebrarunt, unum Carthagine, alterum Milevi in Numidia, datisque ad Innocentium epiftolis, Romanus Pontifex in Cœleftium, & Julianum fententiam dixit. Defuncto Innocentio, ejus fucceffor Zofimus deceptus literis & profeffione fidei, quam Ro-

 mam

mam misit Pelagius, acerrime reprehendit Africanos Episcopos, quod Cœlestium, Pelagiumque damnarint: at hæreticorum fraude detecta utrumque ipse Zosimus proscripit An. 418., deditque operam, ut orbis universus plenario Carthaginensi 214. Episcoporum Concilio Pelagianam hæresim condemnaret. Hac de re qui plura volet, adeat doctissimum Petavium, qui *de historia Pelagian. & Semipelag. dogmatum* accurate scripsit.

Præcipuos discipulos habuit Pelagius Cœlestium, & Julianum. Quidquid sit de patria Cœlestii, erat professione Monachus, & teste D. Augustino homo ingenii acerrimi, in vulganda hæresi audacissimus, unde factum est, ut appellaretur a D. Hieronymo *ductor exercitus*, & hæresis Pelagiana diceretur Cœlestiana. Mutum illum per Albinum canem latrantem, de quo Hieronymus præfat. lib. 3. in Jerem., interpretatur Norisius Pelagium loquentem ore Cœlestii. Julianus Episcopus Eclanensis virtutis specie multorum etiam religiosorum hominum animos in suos errores pertraxit. Ejus fraudes acerrime insectatus est S. Augustinus, hinc factum est, ut Episcopatu & Italia pulsus Constantinopolim venerit; inde etiam ipse, & Cœlestius, aliique erroris socii pulsi, in ipso Concilio Ephesino postmodum cum Nestorio sunt damnati.

De erroribus Pelagii.

XI. Nemo melius agnovit Pelagii errores, ac D. Augustinus, qui pestiferum illud dogma summis viribus expugnavit. Is ergo in Epistola ad Paulinum 106, nunc 186. duodecim errata recenset, quæ ipse Pelagius in Synodo Palestina ejuravit, quæque compendii causa ad ista potissimum capita revocari possunt. I. Docuerunt Pelagiani Adamum fuisse conditum mortalem, & lapsu suo posteris nocuisse non propagatione, sed malo

malo duntaxat exemplo, adeoque non dari peccatum originale: infantes proinde, qui ſine baptiſmo decedunt, non privari vita æterna. *2do:* Gratiam Dei non dari ad ſingulos actus, ſed in libero arbitrio eſſe, vel in lege, atque doctrina: in propria cujusque eſſe voluntate facere aliquid vel non facere: victoriam noſtram non ex Dei adjutorio eſſe, ſed ex libero arbitrio. *3tio:* Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari & pænitentibus veniam non dari ſecundum gratiam & miſericordiam Dei, ſed ſecundum meritum, & laborem, qui per pænitentiam digni fuerint miſericordia. Notandum vero ideo Pelagium potiſſimum negaſſe peccatum originale, ne confitendo liberum arbitrium per lapſum Adæ ſaucium, gratiam Chriſti fateri cogeretur, atque ut occurreret præcipuo argumento SS. Patrum, qui ex cauſa parvulorum, quorum unus aſſumitur alter relinquitur, antequam aliquid fecerint boni vel mali, demonſtrabant gratiam Dei non dari ſecundum merita noſtra.

XII. At enim ut Pelagianiſmus circa gratiam melius innoteſcat, eum in varios ſtatus diſtribuimus. Primus ſtatus eſt, in quo Pelagius, omiſſo gratiæ nomine, docuit naturales vires liberi arbitrii eſſe ſufficientes ad omnia Dei mandata obſervanda, ad ſuperandas tentationes, ad quandam *ἀναμαρτησίαν*, id eſt impeccantiam, & ad ipſam vitam æternam obtinendam, ut conſtat ex S. Auguſtino Serm. 11. de verbis Apoſt. Verum ut declinaret offenſionem catholicorum, qui ad ejusmodi doctrinam exhorreſcebant, nomen gratiæ admiſit, per quam nihil aliud intelligebat, quam liberum arbitrium, quod nobis gratis a Deo, nullis præcedentibus meritis, in creatione eſt conceſſum.

Secundus ſtatus eſt, in quo Pelagius a Catholicis impulſus, ut gratiam a natura, & libero arbitrio diſtinctam agnoſce-

ſceret,novum gratiæ genus agnovit, nempe legem & doctrinam; ut conſtat ex variis locis S. Auguſtini, uti & ex 7ma propoſitione in Concilio Paleſtino damnata, quæ ita habet: *gratia non datur ad ſingulos actus, ſed in libero arbitrio eſt, vel in lege atque doctrina.* His addit Pelagius, tanquam veram Chriſti gratiam, remiſſionem & veniam peccatorum, eamque ſolam gratiam gratuitam eſſe, nec tribui meritis affirmabat, teſte S. Aug. *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 6. Ad hanc peccatorum gratuitam remiſſionem addebant Pelagiani exempla Chriſti, quibus adjumentis homo ad bonum excitatur: at hoc gratiæ genus re ipſa a lege, & doctrina diſtinctum non eſſe, probat D. Auguſtinus *lib. de gratia Chriſti cap* 41. obſervandum autem eſt ex eodem S. Doctore lib. citato cap. 3. & 4. Pelagium, ut majore arte errorem ſuum involveret, ac Catholicis illuderet, cum dicebat nos ſine gratia Dei nihil poſſe, tria diſtinxiſſe: nempe poſſibilitatem, voluntatem, & actionem, ſeu poſſe, velle, & agere; quorum unum ſtatuebat in natura, alterum in arbitrio, tertium in effectu. Intelligebat igitur per poſſibilitatem ſolam naturam, quæ a Deo eſt; per gratiam vero, qua poſſibilitatem noſtram adjuvari dicebat, legem, doctrinam, peccatorum veniam, & Chriſti exemplum.

Tertius ſtatus eſt ille, in quo Pelagius videbatur interiorem aliquam gratiam illuſtrationis admiſiſſe. Conſtat id ex S. Auguſtino lib. de grat. Chriſt. cap. 7. ubi hæc Pelagii verba refert: *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dum cordis noſtri oculos aperit; dum nobis, ne præſentibus occupemur, futura demonſtrat, dum diaboli pandit inſidias; dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ Cœleſtis illuminat.* Sunt qui dicunt, Pelagium confeſſum eſſe internam aliquam gratiam ſimpliciter neceſſariam, nempe internas ſupernaturales revelationes ſe tenentes ex parte intellectus, ſed non inſpiratio-

tionem dilectionis, & gratiam voluntatis ac operis: sive admisisse eum gratiam, qua ignorantia pellitur, non qua charitas inspiratur. Alii e contrario putant hæresiarcham illum admisisse quidem gratiam interiorem, non quidem motionis, sed illustrationis, eamque dari non ad *simpliciter*, sed ad *facilius* operandum; sed de hoc cap. sequenti dicendum erit.

De Damnatione erroris Pelagiani.

XIII. Si quæ unquam hæresis, certe Pelagiana illa fuit, quæ conjunctis viribus, & Romanorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate, nec non Patrum studiis fuit impetita. Adversus hanc hæresim 24. Concilia legimus celebrata, quorum definitionibus proscripti, ac profligati sunt errores. Atque ut de aliquibus mentionem faciamus, primum omnium fuit congregatum Concilium Carthagine an. 412. de quo Augustinus *lib. de peccato Origin. cap.* 2. & 3. ubi damnati sunt errores Cœlestii, & ipse excommunicatus. Anno 415. Coacta est Synodus Diospolitana 14. Episcoporum, in quo Patres decepti Pelagium absolverunt, ipsam tamen hæresim damnarunt. Anno proximo 416. celebrata est altera Synodus Carthaginensis, nec non Milevitana, de quibus S. Augustinus Serm. 132. alias 2. de verbis Apost. cap. 10. ita scribit: *Jam de hac causa duo Concilia missa sunt ad sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est, utinam aliquando error finiatur.* Anno 418. Episcop 14. supra ducentos Carthaginem confluxerunt, omnibusque in causa Pelagii diligenter expensis statuerunt Præsules, standum esse decreto Innocentii adversus Pelagianos. Neque defuit Synodus Oecumenica: Ephesina enim an. 431. Cœlestii, & Pelagii errores anathemate percussit.

Inter eos, qui contra hæreticos pugnarunt, primus in aciem prodit S. Hieronymus, qui inprimis adverſus Pelagianos ſcripſit Epiſtolam ad Marcellinum 82., alteram ad Cteſiphontem 67. An. 415. edidit tres dialogos inter Atticum & Critobulum, quorum meminit Oroſius in ſua Apologia. Impugnavit etiam Hieronymus Pelagianos in præfationibus ad libros 4. in Jerem. Ejusdem argumenti ſunt Epiſtolæ ad Alipium & Auguſtinum conſcriptæ.

At videamus, quid in cauſa Pelagiana egerit ſanctiſſimus Orthodoxæ fidei propugnator Auguſtinus.

Poſt vulgatos Pelagii errores ſcripſit D. Doctor an. 412. tres libros *de peccatorum meritis & remiſſione* ad Marcellinum, in quibus diſputat potiſſimum de baptiſmo parvulorum ad delendum peccatum originarium. Eidem Marcellino inſcripſit librum *de ſpiritu & littera*, in quo oppugnat impeccantiam Pelagianorum, oſtenditque ad habendam juſtitiam neceſſariam eſſe præter legem gratiam, quæ infirmam erigat voluntatem. Anno 413. cum Carthagine graſſarentur errores Pelagii, habuit in Baſilica Sermonem contra novam illam hæreſim, qui Sermo eſt 14. *de Verbis Apoſtoli.* Anno ſequenti cum per Siciliam virus Pelagianum diffunderetur, dedit ad Hilarium, qui illum conſulebat, Epiſtolam, quæ nunc ordine eſt 157. alias 89. Eodem anno idem S. Doctor conſcripſit Epiſtolas duas ad Hieronymum; item librum *de natura & gratia* contra illum, quem Pelagius de natura ſcripſerat: in quo opere demonſtrat naturæ vitia non pertinere ad inſtitutionem, ſed ad vindictam, detegitque Pelagii cavillationes. Anno 417. edidit librum *de geſtis Pelagii*, & ſequente librum *de gratia Chriſti*, & alterum *de peccato Originali*, ubi agit de adjutorio poſſibilitatis & operationis, de peccato Adæ; de nuptiis, de libidine, & de ef-

fecti-

fectibus baptifmi: eo fere tempore fcripfit librum unum *de Nuptiis & concupifcentia:* cum vero ad Auguftinum perveniffent poftea objecta quædam Juliani, addidit alterum, quo refutat hæretici dolos, confirmatque dicta de peccato originali, de pœnis ejusdem, de gratia baptifmi. Interea fcripfit libros 4. ad Bonifacium *contra duas epiftolas Pelagian.* An. 424. elaboravit *libros de grat. & lib. arbit.* nec non *de correptione & gratia* ad Monachos Adrumetinos: contra Julianum conflixit fæpius: & paulo ante mortem exaravit etiam libros *de prædeft. functorum*, & *de dono perfeverantiæ*, quibus Pelagianorum reliquias profligavit.

CAPUT II.

DE NONNULLIS HÆRESIS PELAGIANÆ CAPITIBUS SPECIATIM.

Poftquam de variis hærefis Pelagianæ ftatibus generatim egimus, neceffe eft, ut controverfa quædam ejusdem capita fpeciatim, & paulo uberius exponamus, atque quid re ipfa circa gratiam Dei fenferint Pelagiani, aut de quo genere gratiæ inter illos, & S. Auguftinum fuerit controverfia, enucleate explicemus. Quare inprimis ea, quæ in controverfiam venire poffunt, paucis funt præmittenda.

Status Controverfiæ.

XIV. Duplex diftinguitur gratia interior, una quæ ad intellectum, altera quæ ad voluntatem pertinet. Prior eft mentis illuftratio, per quam illa cognofcit operis falutaris præftantiam, & vitii turpitudinem; pofterior eft motio, feu excitatio facta a Deo, qua voluntas ad actus veræ pietatis incita-

citatur & juvatur. Utrum prius gratiæ genus admiserit Pelagius, controvertunt Theologi. Affirmantem partem defendunt Suarezius, Simonnetus, Dionysius Petavius *cap* 9. *de hæres. Pelag.*, aliique plurimi: negantem sequuntur cum Leonardo Lessio (*lib. de efficacia grat. cap.* 17.) perpauci alii. Aliqui ex iis, qui censent Pelagium præter legem & doctrinam admisisse interiorem illustrationis gratiam, putant dictum hæreticum nunquam voluisse eam esse simpliciter necessariam, sed dari duntaxat ad operandum facilius: oppositum tradunt Bertius *lib.* 14. *de grat. cap.* 5. & Thomistæ cum suo Joanne Consalez *Controversia* 4. *de auxiliis art.* 6. Circa posterius gratiæ genus consentiunt fere omnes, dicuntque Pelagium nunquam agnovisse veram & internam gratiam voluntatis.

At vero Jansenius Iprensis Episcopus, ut suæ gratiæ victrici præluderet, libro 5. de hæres. Pelag. docuit Pelagianos admisisse gratiam interiorem etiam inspirationis seu voluntatis, sed quæ relinquat indifferentiam liberi arbitrii: eam proinde gratiam (quam negabant Pelagiani, & Augustinus defendebat) non esse qualemcunque interiorem gratiam voluntatis; sed talem, quæ virtute sua invicta & insuperabili voluntatem ad agendum necessario determinet. Unde concludit Jansenius, S. Augustinum nunquam contendisse cum Pelagianis de adjutorio gratiæ, quocum maneret indifferentia activa, sed de adjutorio necessitante, & dominante, seu tali, quod sublata arbitrii libertate voluntatem necessario ad agendum applicaret. Ex quo sequitur, Pelagianos in eo errasse, quod negarent gratam victricem, & ex natura sua insuperabilem, ac efficacem, quam proinde S. Augustinus merito ab illis postulabat. Hæc doctrina totius systematis Janseniani est fundamentum, atque grandioris, quod scripsit Jansenius, voluminis præcipuus scopus.

Quis

Quis Pelagii ſenſus fuerit de gratia habituali, diſputant inter ſe Theologi. Gratiam interius ſanctificantem, qua homo permanenter fit juſtus, non fuiſſe a Pelagio admiſſam, aſſerunt Suarezius Prolegom. 5. de grat. cap. 2., Tournelyus lib. 1. de grat. quæſt. 3. Oppoſitum tradit cum multis aliis Theologis Martinonus in Anti-Janſenio diſp. 7. de hæreſ. Pelag. Sect. 13. Alii tenent mediam viam, putantque iſtiusmodi gratiam admiſſam a Pelagianis, non tamen eo modo, quo illam confiteri debemus.

Ergo tria potiſſimum examinanda veniunt. Primo an Pelagius gratiæ alicujus interioris adjutorium admiſerit: ſecundo quæ fuerit illa gratiæ ſpecies, de qua diſputabat S. Auguſtinus Pelagianos impugnans: tertio num Pelagius admiſerit gratiam habitualem. Sit igitur

ASSERTIO I.

Admiſit Pelagius gratiam internæ illuſtrationis; ſed non ut ſimpliciter neceſſariam: at veram inſpirationis gratiam nunquam agnovit.

XV. Prima pars demonſtratur auctoritate S. Auguſtini cap. 7. de grat. Ch. ita ſcribentis: *Et tanquam explicaturus* (Pelagius) *quam dicat gratiam, adjunxit dicens: quam nos non in lege tantummodo, ſed & in Dei adjutorio eſſe fatemur . . Adjuvat enim nos Deus per doctrinam & revelationem ſuam, dum nos ineffabili dono gratiæ Cœleſtis illuminat.* En fatetur expreſſe Pelagius præter legem doctrinamque exteriorem, internas mentis colluſtrationes & gratiam ex parte intellectus. Primo enim profitetur hoc loco gratiam non in lege duntaxat eſſe, ſed in adjutorio, quod vocat revelationem. Deinde eodem libro cap. 41. teſte Auguſtino affirmabat Pelagius: *ipſas quo-*

que orationes ad nihil aliud adhibendas, nisi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum esse didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Quisquis autem orat, jam lege & exteriore doctrina instructus est, & oratione postulat donum nondum impetratum; ideoque præter externam legem gratiam aliam innuebat. Adde: quod idem D. Doctor lib. de hæres. 88. dicat Pelagium cessisse reprehensioni fratrum, qui illi exprobrarunt, quod internam gratiam non admitteret: ergo admisit gratiam interiorem aliquam, non inspirationis, sed illustrationis.

Etsi autem Pelagiani id genus gratiæ admiserint, illius tamen ad opus salutare necessitatem nunquam confitebantur. Constat id ex libro de hæresibus hæres. 88. quem D. Doctor sopito jam Pelagianismo scripsit: ibi enim de Pelagio ita ait: *Pelagius a fratribus increpatus, quod nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret dicens: ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum arbitrium jubentur, facilius possint implere per gratiam. Dicendo utique ut facilius possint, voluit credi, etiamsi difficilius, tamen posse homines sine gratia Divina facere jussa Divina.* De Pelagianis autem subjungit: *illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicunt nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit natura nostra.* Teste igitur D. Augustino Pelagiani negabant necessitatem omnis interioris gratiæ ad bonum salutare agendum & malum vitandum, tantumque tribuebant potestati humanæ (ut idem loquitur in Epist. ad Hilarium) ut dicerent ad servanda mandata nullo nos Divino adjutorio egere.

Se-

Secunda pars Aſſertionis, ſeu quod Pelagius præter gratiam intellectus nunquam agnoverit gratiam voluntatis probamus multiplici S. Auguſtini teſtimonio. Primo fatetur ſæpe, ſe in ſcriptis Pelagii veram voluntatis gratiam nunquam deprehendiſſe: *nec alicubi potui reperire*, inquit lib. de grat. ch. cap. 32.; *hanc eum gratiam confiteri, qua non ſolum poſſibilitas naturalis voluntatis & actionis . . . ſed ipſa etiam voluntas & actio ſubminiſtratione ſpiritus adjuvatur.* Item eodem lib. cap. 3. de Pelagio mentionem faciens: *Gratiam Dei*, ait, *& adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege, atque doctrina. ut cum adjuvat Deus hominem, ut declinet a malo & faciat bonum, revelando & oſtendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur; non etiam cooperando & dilectionem inſpirando, ut id quod faciendum eſſe cognoverit, faciat.* Secundo, eam Pelagius rejiciebat gratiam, quam ab ipſo S. Auguſtinus ex publica Eccleſiæ fide exigebat: at exigebat gratiam voluntatis & actionis. Hinc lib. de gratia Chriſti cap. 12. requirit eam gratiam, *qua agitur non ſolum ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus; nec ſolum ut diligenda credamus, verum etiam ut credita diligamus . . quæ oſtendat non tantum veritatem, ſed & impertiat charitatem.* Capite autem ejusdem libri 33. ſic ſcribit: *Nos autem illam gratiam in eorum confeſſione requirimus, de qua dicit Apoſtolus: non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis & charitatis & continentiæ. Non eſt autem conſequens, ut qui habet donum ſcientiæ, quo noverit quid agere debeat, habeat etiam charitatis, ut agat.* Eadem fere repetuntur in eodem libro cap. 10. 13. 24. & plurimis aliis locis.

XVI. Contra priorem partem aſſertionis hæc fere opponi poſſunt. Pelagius etſi negaret adjutorium voluntatis & actionis, admiſit tamen adjutorium poſſibilitatis, ut conſtat ex *lib.*

de

de gratia Ch. cap. 3. & 4. Confessus ergo est talem gratiam, quæ tribuit potestatem agendi: atqui hoc ipso admisit necessitatem alicujus gratiæ interioris: ergo &c. Confirmari id potest ex duplici loco D. Augustini, & primo ex ejusdem libri cap. 47. ubi sic ait: *si consenserit* (Pelagius) *etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus . . . inter nos nihil controversiæ relinquetur.* Porro si Pelagius non admisisset necessitatem gratiæ interioris ex parte intellectus, superfuisset ea ex parte controversia. Secundo D. Doctor postquam cap. 4. ejusdem libri retulit Pelagium tria distinxisse, nempe possibilitatem, voluntatem & actionem, hæc addit cap. 5. *scire debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem . . . & ideo non adjuvet, ut velimus & agamus, sed tantum ut velle & agere valeamus.* Agnovit ergo hæresiarcha ille gratiam, quæ daret potestatem agendi, ac proinde necessaria foret.

His ergo objectis respondemus cum distinctione: Pelagius admisit adjutorium voluntatis consistens in libertate hominis, & lege ac doctrina seu naturaliter indita, seu exterius revelata, concedo; consistens in interiore ac supernaturali quadam illustratione, subdistinguo: quam tamen dari duntaxat voluit ad facilius, non ad simpliciter operandum, concedo; quam prorsus necessariam dixit ad opus bonum, & salutare, nego. Pelagius inprimis asseruit ad bene operandum sufficere liberum voluntatis arbitrium, addiditque gratiam consistentem in cognitione præceptorum seu per lumen naturæ, seu per exteriorem legem atque doctrinam orta: teste enim S. Augustino de grat. cap. 3. dicebat *gratiam Dei & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero arbitrio, aut in lege, atque doctrina constitui.* Postea correptus a fratri-

bus

bus interiorem aliquam gratiam admisit (nempe internas supernaturales revelationes, quibus ignorantia pellitur, non vero quibus charitas inspiratur) hanc tamen gratiam se tenentem ex parte intellectus voluit dari tantummodo ad facilius, non ad simpliciter operandum.

Ad primum S. Doctoris locum resp. eum hoc duntaxat sensu asseruisse nullum amplius fore controversiæ cum Pelagio locum, si fateri vellet voluntatem & actionem gratia Dei adjuvari, quia nempe admissa gratia voluntatis, nulla prorsus difficultas superest circa gratiam intellectus; & illa admissa istam quoque admitti necesse est. Arguit igitur S. Doctor quasi a majori ad minus: si nempe Pelagius fateri vellet gratiam esse necessariam ad bonam voluntatem & actionem, quanto magis fateretur gratiam necessariam ex parte intellectus? Ad alterum locum dico per ea verba: *adjuvare Deum, ut velle & agere valeamus*, intelligi adjutorium legis & doctrinæ proponentis, quid agere debeamus; quale gratiæ genus præter naturam liberi arbitrii professus est Pelagius. Hinc D. Doctor cap. 31. de grat. Ch. expendens hæc Pelagii verba: *liberum arbitrium divino semper adjuvatur auxilio*, asserit illa verba esse ambigua, & posse Pelagium, sicut solet, per auxilium *velle intelligi legem ac doctrinam.*

Adversus alteram partem affert. adferri potest id, quod S. Augustinus cap. 10. de grat. Ch. scripsit, ubi Pelagium sic loquentem inducit: *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium præsentia tantummodo diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem, dum nobis . . . suadet omne, quod bonum est.* Ergo agnovit

tandem Pelagius gratiam, quæ operetur ipſum velle, ac proinde gratiam voluntatis & actionis.

Reſpondeo diſtinguendo illatum: ergo agnovit gratiam, quæ operatur velle per ſolam interiorem revelationem, ſeu illuſtrationem mentis, concedo: per excitationem & motionem voluntatis, nego. Non admiſit Pelagius gratiam, qua Deus in nobis immediate operatur velle, ſed tantum mediate, nempe per illuſtrationem mentis, & per legem ac doctrinam ſeu exterius, ſeu interius per ſpiritum ſanctum propoſitam: ait enim Deum in nobis operari velle bonum, proponendo magnitudinem præmiorum, & per revelationem ſapientiæ. Hæc ſane expoſitio ipſius eſt Auguſtini, qui eodem cap. hæc addit: *Quid manifeſtius, nihil eum aliud dicere gratiam, qua Deus in nobis operatur velle, quam legem atque doctrinam? In lege namque & doctrina ſanctarum ſcripturarum futuræ gloriæ & præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quod ſapientia revelatur. Ad doctrinam pertinet, cum ſuadetur omne quod bonum eſt.* Pelagius igitur hoc loco nullam aliam gratiam admittit, quam legem, doctrinam, & gratiam illuſtrationis, quæ ad gratiam legis & doctrinæ merito a S. Auguſtino revocatur: qualiſcunque enim gratia, etiam internæ revelationis, quoad munus non differt a lege & doctrina, quia hoc ſolum efficit, ut divina præcepta & promiſſa diſcamus, non vero voluntatem adjuvat, ut agat. Sed videamus porro, de quo gratiæ genere contentio fuerit inter Auguſtinum, & Pelagianos.

ASSERTIO II.

Certum eſt contra Janſenium, Sancti Auguſtini cum Pelagianis controverſiam non fuiſſe de gratia neceſſitante; ſed de neceſſitate gratiæ interioris ad actiones ſalutares.

XVII. Probatur. Si Auguſtinus a Pelagianis non poſtulavit con-

confessionem gratiæ necessitantis; sed duntaxat exigebat adjutorium se tenens ex parte voluntatis, eam præveniens & excitans ad operandum salutariter, controversia non fuit inter illum, & Pelagianos de gratia necessitante: atqui Augustinus non postulabat a Pelagianis confessionem gratiæ necessitantis, sed duntaxat necessitatem gratiæ voluntatem adjuvantis: ergo &c. minor ostenditur I. testimoniis S. Doctoris, qui cap. 10. de grat. Ch. ita scribit: *eam gratiam aliquando* (Pelagius) *fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur; non solum revelatur sapientia, verum & amatur; non solum suadetur omne quod bonum est, sed & persuadetur.* En exigit gratiam non quæ necessitet, sed quæ suppeditet vires ad credendum & sperandum, & qua omnis boni salutaris amor inspiratur. Item cap. 13. ita ait: *hæc gratia, si doctrina dicenda est, certe sic dicatur, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere. . . . ita ut non ostendat tantummodo veritatem, verum etiam impertiat charitatem.* & cap. 24. *fateantur Deum operari in cordibus hominum non tantum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates.* Exigit ergo præter gratiam illustrationis adjutorium inspirationis, quod voluntatem afficiat, moveat, & adjuvet ad agendum salutariter. II. Probatur eadem minor ex iis locis, ubi D. Doctor clare asserit liberum arbitrium; ex quibus unum audiamus: *non itaque*, inquit contra Julianum l. 2. de nupt. & concup. cap. 3., *sicut te atque alios fallens loqueris, si quis liberum in hominibus arbitrium dixerit, Cœlestianus & Pelagianus vocatur: istud quippe catholica fides dicit.* Non ergo redarguendi sunt Pelagiani, quod liberi arbitrii indifferentiam assererent; sed id in eis damnatur, quod ejusdem arbitrii vires adeo robustas esse jactabant, ut vellent sine adjutorio gratiæ posse bonum, modo illud per legem, doctrinamque innotesceret. Quare Augustinus post laudata verba prosequitur: *sed si quis ad*

 co-

colendum recte Deum, sine ipsius adjutorio, dicit esse in hominibus liberum arbitrium, ipse Cœlestianus & Pelagianus vocatur.

ASSERTIO III.

Habitualem quidem gratiam Pelagius agnovit; at non sensu recto & catholico.

XVIII. Prima pars oſtenditur ex duplici loco S. Auguſtini. Lib. I. contra Julian. cap. 6. teſtatur Pelagianos docuiſſe parvulos eſſe Baptizandos, non quidem ut fiat remiſſio culpæ originalis, ſed ut ipſis addatur ſanctitas, uſurpantes verba Chryſoſtomi ex homilia, quam de baptizatis habuit: *Non enim tantum ſunt liberi, ſed & ſancti; non tantum ſancti, ſed & juſti; non tantum juſti, ſed & filii, hæredes, fratres Chriſti, templum, & organa ſpiritus.* Eodem loco Pelagiani dicebant infantes cum non ſint coinquinati peccato, ideo baptizari, *ut eis addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint.* Certe qui ita cum Chryſoſtomo loquuntur, gratiam ſanctificantem non negant. Præterea Pelagius apud Auguſtinum de grat. Ch. cap. 37. ita ait: *Vide quid Chriſtiani facere poſſunt, quorum in melius per Chriſtum inſtaurata eſt natura.* Additque S. Doctor: *Naturam in melius inſtauratam, remiſſionem vult intelligi peccatorum.* Accedit quod nullibi inveniamus hunc errorem vel ab Africanis Conciliis, vel ab Auguſtino fuiſſe Pelagio imputatum: nec Concilium Milevitanum ideo ſcimus damnaſſe Pelagium, quod negaverit gratiam remiſſivam peccati, ſed quia aſſeruit *gratiam, qua juſtificamur, valere ad remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt, non vero ad adjutorium, quo non committantur.* Demum Pelagius Epiſt. ad Demetriadem eam fatetur gratiam, quæ ornatum animæ confert, eamque omni macula immunem reddit,

qua

qua in meliorem hominem renascimur, animique virtute perficimur; quæ gratia certe habitualis est.

Secundam assert. partem ostendit idem D. Doctor cap. 30. de grat. Ch. ita loquens: *Istam quippe gratiam, qua justificamur, id est, qua Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, in Pelagii & Cœlestii scriptis, quæcunque legere potui, nusquam eos inveni, quemadmodum confitenda est, confiteri.* Ac primo Pelagius asseruit gratiam illam dari secundum merita per solam arbitrii facultatem comparata, ut ait Augustinus hæresi 88. Rursus docuit (eodem testante lib. de natura & gratia cap. 34.) gratiam dari duntaxat ad remissionem peccatorum commissorum, non vero ut adjuvet ad futura vitanda, ac proinde eam gratiam exornare duntaxat animam, ~~sed nullam ei impertiri virtutem~~ ad agendum salutariter. Quisquis autem hæc duo asserit, non confitetur gratiam habitualem, quemadmodum est confitenda.

Diluuntur Oppositiones.

XIX. Contra assertionem num. 17. probatam sic pugnant Janseniani. De illa præsertim gratia disceptatio erat inter S. Aug. & Pelagianos, quam isti rejiciebant, Augustinus vero admittendam voluit: at Pelagiani unam duntaxat rejiciebant gratiam, quæ voluntati imponeret necessitatem; ergo &c. Minor probatur 1. Pelagiani accusarunt Augustinum tanquam Manichæum, assertoremque fati; atqui hujus accusationis non alia fuit causa, quam quia S. Doctor ab illis postulabat confessionem gratiæ necessitantis. 2do. Ideo Pelagiani repudiabant gratiam, quia putabant eam tollere libertatem arbitrii, quia securitatem, torporem & negligentiam ingenerat, quia omnem laudis & meriti rationem tollit ab humana

voluntate: has rationes potiſſimum illi Auguſtino objiciebant, quas fuſe proſequitur Janſenius L. 5. de hær. Pel. cap. 1. 2. 13. 14. 15. & 16. Atqui hæc opponi non potuiſſent, niſi talem propugnaſſet gratiam, cui voluntas non poſſit reſiſtere. *3tio.* S. Auguſtinus admitti voluit talem gratiam, quæ operatur in nobis velle & perficere, quæ facit hominem de nolente volentem, qua non ſolum ſuadetur bonum, ſed & perſuadetur: at talis gratia non relinquit indifferentiam activam.

Reſp. Diſtinguo min. Ita ut nullam aliam interiorem admitterent voluntatis gratiam, ac ſibi falſo perſuaderent omnem gratiam prævenientem eſſe libertati inimicam, concedo: ita ut aliam admitterent gratiam interiorem, quæ cum libertate voluntatis cohæreret, nego. Pelagiani duplici errore laborabant & juris & facti. Error juris erat, quod quælibet gratia interior, quæ voluntatem prævenit & excitat, ejus deſtruat libertatem, adeoque ſit rejicienda: error facti, quod non aliam Auguſtinus gratiam propugnaverit, quam quæ libertatem everteret. Quo præjudicio occupati docuerunt naturam ſolam & liberum arbitrium ad bonum ſufficere, & abhorrebant ab omni gratiæ ſpecie, quæ voluntati præiret, ejusque in actus ſuos dominium & determinationem præverteret. Rejiciebant igitur non tantum gratiam neceſſitantem, ſed omnem gratiam voluntatis gratuitam, & neceſſariam ad actus ſalutares. Hinc

Ad primam probat. Nego min. Nam Pelagiani Auguſtinum accuſarunt Manichæiſmi, tum quod aſſereret homines naſci infectos culpa originis; unde illi inferebant naturam humanam creari a Deo malam, quod erat error Manichæorum: tum quod admitteret gratiam prævenientem pure gratuitam & effectricem boni operis; unde putarunt tolli liberum arbitri-

trium, ut sentiebant Manichæi. Præterea fatum objiciebant Pelagiani S. Doctori, quia exigebat necessitatem gratiæ interioris, quæ gratis, & non secundum merita naturalia daretur. Fatetur id ipse Augustinus lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 5. *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccatum valere in hominibus subditis diabolo. Ad bene autem pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis Dei gratia fuerit liberata, & ad omne opus bonum adjuta . . . nec sub nomine gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis Dei gratiam dicimus antecedere.*

Ad secundam probat. disting. primam partem: ideo repudiabant gratiam, quia putabant eam tollere libertatem male intellectam, conc. bene & secundum rei veritatem intellectam, nego. Negabant quidem Pelagiani gratiam prævenientem, quia putarunt cum ea libertatem non consistere: hoc autem ideo putarunt, quia male intelligebant libertatem. Hanc quippe constituebant in completa facultate volendi & agendi bonum salutare citra omne auxilium præveniens præsertim gratuitum; unde sentiebant gratiam illam pugnare cum indifferentia activa, seu virtute se sola completa, sibique sufficiente ad bonum salutare, qualem intelligebant libertatem arbitrii etiam præsentis status. At enim libertas arbitrii catholice intellecta est potestas expedita ad utrumque, quæ tamen compleri debet quoad actum salutarem per gratiam interiorem. Ex quibus patet illas rationes Pelagianorum, quas locis citatis exponit Jansenius, non tam impetere efficacem Augustini gratiam, quam necessitatem gratiæ interioris ad omnem pietatis actum voluntatem prævenientis.

Ad tertiam probationem neg. min. Postulabat Augustinus confessionem gratiæ, quæ operatur velle & agere, quia volebat nullum fieri ab homine opus salutare, nisi præveniente

&

adjuvante Dei adjutorio. At illam gratiam D. Doctor non dixit esse dominantem & necessitantem, sed talem admisit, cui voluntas humana possit consentire, aut dissentire, seu quæ consistat cum indifferentia activa liberi arbitrii: quomodo autem efficacia gratiæ cum libertate arbitrii conciliari possit, alio loco dicetur.

Contra tertiam assertionem nonnulla proponit Suarezius in Prolegomeno 5. de gratia & lib. 7. Ac *primo* objicit auctoritatem Augustini Epist 95. ita loquentis; *sive gratiam dixerit* (Pelagius) *esse liberum arbitrium, sive gratiam esse legis præceptum; nihil eorum dicit, quod per subministrationem spiritus sancti pertinet ad concupiscentias, tentationesque vitandas.* Etsi ergo Pelagius admiserit gratiam remissionis peccatorum, hanc tamen existimavit non fieri per interioris gratiæ subministrationem. Idem D. Doctor de grat. Ch. cap. 2. ait putasse Pelagium nos salvari adjutos non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis: item cap. 30. fatetur se in scriptis Pelagii nunquam potuisse reperire gratiam, qua justificamur. *Secundo*, ex eo, quod Patres & Concilia non damnarint Pelagium negantem gratiam habitualem, non sequitur hanc gratiam admisisse; quia de iis donis expresse non tractavit. *Tertio*, Pelagius ante peccatum nullum Dei donum agnovit præter naturalia: at dixit nos omnes generari in eo statu, in quo conditus est Adam. Demum gratiam adoptionis, quam admisit in pueris, dixit esse in adultis præmium meritorum naturalium. At gratia habitualis ejusmodi meritorum non est præmium.

Resp. ad primum minime Augustinum asserere, quod ex mente Pelagii fiat remissio peccatorum sine infusione gratiæ interioris; sed hoc unum affirmat, nec liberum

ar-

arbitrium, nec legem, nec remiſſionem peccatorum, quæ omnia admiſit Pelagius, eſſe adjutorium, quod per ſubminiſtrationem ſpiritus ſancti datur ad concupiſcentiam vincendam, id eſt gratiam actualem voluntatis & operis, quam negabat hæreticus. Patet ergo duntaxat ex verbis Auguſtini, Pelagium non admiſiſſe gratiam habitualem, qualem confiteri debuit, collatam cum ſubminiſtratione virtutis, & non comparatam per vires naturales arbitrii. Ad ſecundum dico Concilia & Patres non tantum damnaſſe dogma Pelagii circa adjutorium gratiæ actualis; verum etiam pertractaſſe de iis, quæ ille proferebat, ut appareret gratiam Dei confiteri: ut de lege & doctrina, de exemplis Chriſti, de ipſa peccatorum remiſſione: in qua cum id ſolum notaretur, quod eam ſejunxerit ab actuali auxilio, ſequitur hæreticum ejusmodi gratiam *non* negaſſe. Ad tertium fateor in ſenſu Pelagii gratiam remiſſionis eſſe quodammodo naturalem, utpote meritis naturalibus comparatam; at inde non ſequitur nullum nobis donum conferri præterea, quæ naſcendo conferuntur; alioquin negaſſet etiam vitam æternam & regnum cœlorum. Quod additur, probat duntaxat Pelagium non conceſſiſſe gratiam habitualem, qualis confitenda fuit.

CAPUT III.

QUID PER GRATIAM CHRISTI INTELLIGANT PATRES ET CONCILIA.

Ex dictis conſtat nomine gratiæ hic minime ſignicari dona Creatoris ad naturam ſpectantia, inter quæ præcipuum eſt donum facultas liberi arbitrii; ſed intelligi beneficium divina liberalitate nobis collatum, non quod ad naturam

F vel

vel illius proprietates ſpectat, verum quod pertinet ad beatitudinem ſupernaturalem, atque ad eam obtinendam hominem diſponit. Patet præterea gratiam aliam eſſe habitualem, de qua ſuo loco agemus, aliam vero actualem, quæ eſt hujus loci argumentum, quæque eſt ſpeciale Dei adjutorium interius excitans aut elevans facultatem hominis naturalem ad bene operandum prout oportet ad ſalutem.

Porro hujus actualis gratiæ natura in quo ſit conſtituenda, non conſentiunt Theologi. Thomiſtæ complures illam ſtatuendam arbitrantur in actuoſa qualitate vires naturales elevante ad agendum ſalutariter. Alii naturam gratiæ conſtituunt in motibus indeliberatis intellectus & voluntatis, per quos apparet, quod latebat, & ſuave fit, quod non delectabat, ut loquitur S. Auguſtinus. Maignanus videtur actualem gratiam conſtituere in motione Dei ipſos actus indeliberatos præveniente. Alii nihil aliud eſſe contendunt gratiam, quam Dei voluntatem & miſericordiam nobis intime præſentem, & in nobis gratuito affectus ſalutares operantem; quemadmodum concurſus Dei prævius ad opera naturalia plurium Theologorum ſenſu nihil eſt aliud, quam omnipotentia divina intime cauſis ſecundis aſſiſtens & applicata; quæ quidem opinio principium potius gratiæ demonſtrat, quam naturam. Sed quidquid ſit de variis his opinionibus, nos litem decidemus ex auctoritate Patrum ac Conciliorum, atque inprimis iſto fundamento nixi actualis gratiæ naturam definiemus; poſtea eandem præter gratiam habitualem ad omnia opera ſalutaria neceſſariam eſſe conſtituemus.

ASSER-

ASSERTIO I.

Gratia actualis consistit in illustrationibus intellectus, & affectionibus voluntatis, supernaturalibus & indeliberatis, ac simul in adjutorio quodam divino physice agente & influente.

XXI. Prima pars, seu quod gratia actualis complectatur collustrationes mentis & inspirationes voluntatis, ostenditur ex Conciliis, & Patribus. Concilium Milevitanum Can. 4. ait: *utrumque est donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Tridentinum Sess. 6. gratiam vocat *prævenientem spiritus sancti inspirationem, atque ejus adjutorium,* & declarat in nobis gratiam operari, *tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem.* S. Pontifex Cœlestinus in Epist. ad Galliarum Episcopos scribit: *præparatur voluntas a Domino, & ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium.* Augustinus lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. gratiæ munus esse dicit, *ut aperiat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat.* & cap. 19. eam vocat *certam scientiam & victricem delectationem,* nec non *lucem, qua illuminantur tenebræ, & suavitatem, qua dat fructus terra nostra.* Fundantur hæc dicta in scripturis, quæ gratiam appellant scientiam salutis, vocem Dei, lucernam splendentem, benedictionem dulcedinis, inclinationem cordis, delectationem, dilectionem &c. Atque illam explicant verbis pulsandi, invitandi, vocandi, trahendi; quæ omnia interiorem sensum mentis & voluntatis commonstrant. Et certe duo sunt, quæ hominem ab operibus salutaribus retrahunt, sive quia latet, sive quia non delectat, quod faciendum est: ergo adjutorium gratiæ, quod removet ejusmodi impedimenta, erit illustratio mentis, seu lumen ostendens quod antea latebat, & inspiratio dilectionis suave reddens, quod antea non delectabat.

Probatur nunc fecunda pars, feu quod tales actus fint quoad fubftantiam & in fe fupernaturales. Concilia & Patres præcipue Auguftinus, dum adverfum Pelag. de gratia agunt, docent naturam fibi relictam, fuisque viribus non poffe quidquam falutare cogitare, velle, aut agere, ideoque auxilio fupernæ gratiæ indigere: requirunt ergo talem gratiam, quæ naturam fuis viribus imparem eliciendis operibus falutaribus, reddat potentem operari falutariter. At gratia quoad fubftantiam naturalis non poteft naturam de fe impotentem viribus naturalibus operari falutariter, reddere potentem: requiritur igitur ad hoc efficiendum gratia fupernaturalis.

Tertia pars, feu quod actus illi gratiæ excitantis munus obeuntes fint indeliberati, conftat ex dictis Patrum, qui dicunt gratiam effe in nobis fine nobis, Deumque *ut velimus fine nobis operari.* Hinc Concilium Araufıcanum fecundum ita ait: *Multa Deus fecit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non præftet Deus, ut homo faciat.* Sed per illa bona, quæ Deus facit in homine fine homine libere concurrente, notantur auxilia gratiæ, per hæc vero, quæ facit homo Deo præftante, defignantur noftra merita; hæc ergo funt actus deliberati, illa autem motus indeliberati. Certè fi motus ifti gratiæ forent deliberati, effent meritorii, adeoque fupponerent primam gratiam, atque fic gratiæ primo excitantis & prævenientis appellationem non poffent habere. Non tamen negamus actus deliberatos poffe habere rationem gratiæ auxiliantis & fubfequentis; poffunt enim movere voluntatem ad alias actiones falutares, ut actus charitatis movet ad obfervantiam præceptorum, intentio finis ad electionem mediorum, actus imperans ad imperatum.

Pars quarta, feu quod præter gratiam moraliter influentem

tem

tem requiratur adjutorium quoddam divinum naturalem hominis facultatem physice adjuvans & complens, probatur ex Concilio Milevitano can. 4. ita loquente: *Si quis dixerit gratiam Dei per Jesum Christum propter hoc tantum nos adjuvare, quia per ipsam nobis revelatur intelligentia mandatorum, ut sciamus quid appetere, quid vitare debeamus; non autem per illam præstari nobis, ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere valeamus, ac diligamus, anathema sit.* Videtur hic loqui Concilium de actuali gratia in tota sua latitudine accepta, & duo docere: primo quod præter influxum moralem illuminationis præstet influxum moralem inspirationis, ut colligitur ex verbo *diligamus;* secundo quod præter moralem influxum præstet etiam influxum physicum, ut patet ex verbo *valeamus.* Hinc S. Augustinus de grat. Ch. cap. 12. ait: *gratia agitur non solum, ut facienda noverimus, verum etiam ut cognita faciamus.* Cum igitur Pelagiani solam naturam admiserint effectricem bonorum operum, omnique gratiæ negaverint influxum physicum, admitti debet gratia aliqua physice agens, cum naturalis hominis facultas de se sit impotens salutariter operari. Porro tale adjutorium in justis sunt habitus infusi virtutum cum gratia sanctificante connexi, utpote qui sunt quædam potentiæ gratiæ inhærentis, quæ dant simpliciter posse agere in ordine supernaturali: in illis autem, qui gratia sanctificante & habitibus infusis sunt destituti. necessarium est adjutorium ab actibus indeliberatis distinctum, quod habeat se per modum principii activi, potentias de se ad opera supernaturalia impotentes elevantis, & complentis in esse principii in actu primo proxime sufficientis: cum enim potentiæ naturales ex se non habeant vim sufficientem ad agendum salutariter, nec ad id possint effective juvari per ipsos actus indeliberatos (utpote qui physice activi non sunt, sed influunt tantum moraliter, monendo vocando, trahendo, inclinando, seu per modum consilii & im-

allatis verbis Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis*, hæc scribit: *non ait, spiritus Patris vestri, qui vobis dat vel dedit posse bene loqui, sed ait: qui loquitur in vobis, non significans possibilitatis profectum sed exprimens cooperationis effectum.* Et de corrept. & grat. cap. 2. diserte gratiam singulis necessariam vocat *inspirationem bonæ voluntatis & operis.* Hanc enim negabat Pelagius, & pro hac certabat Augustinus. Clarissime loquitur lib. de nat. & grat. cap. 26. *sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere: sic homo etiam justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* IV. Fundantur hæc dicta in verbis Christi apud Joan. 15. v. 4. *Sicut palmes non potest facere fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* Sicut igitur palmes indiget jugi vitis influxu, ut fructum ferat; sic omnis justus indiget actualis gratiæ auxilio, ut operetur bonum. Qua comparatione utitur Synodus Trid. Sess. 6. cap. 16. ita loquens: *cum Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possent.* Certe facultas etiam habitu instructa operari non potest, nisi prius, si quæ sit, tollatur difficultas: atqui in homine justo remanet semper difficultas ad bonum, tum ex tentationibus, quæ frequentes ingruunt, tum ex concupiscentia & infirmitate naturæ.

Respondetur Objectis.

XXIII. Contra primam assertionem sequentes fieri possunt oppositiones. *Prima* est: gratia actualis est in nobis

nobis ſine nobis : atqui actus intellectus & voluntatis non ſunt in nobis ſine nobis: igitur in his non conſiſtit gratia. *Secunda:* ſi gratia præveniens conſiſteret in dictis actibus, neceſſario ſupponeret aliud principium ſupernaturale, quod cum intellectu & voluntate ad hos actus concurrat, cum iſtæ facultates de ſe ſint impares eliciendis actibus ſupernaturalibus; ergo iſtis actibus non poteſt competere ratio gratiæ prævenientis, & primo excitantis. *Tertia:* ſi gratia actualis conſiſteret tum in illuſtrationibus intellectus, tum in inſpirationibus voluntatis, ad omnem actum ſalutarem præter gratiam illuſtrationis tenentem ſe ex parte intellectus, neceſſaria foret gratia inſpirationis tenens ſe ex parte voluntatis: atqui talis neceſſitas non debet admitti, cum multi Theologi ad actum ſalutarem non plus requirant quam præviam ſpiritus ſancti illuſtrationem ex parte intellectus, qua poſita poſſit ſe voluntas habitu ſupernaturali inſtructa determinare ad bonum ſibi per fidem propoſitum actu ſupernaturali proſequendum.

His oppoſitis ut ſatisfiat, Reſp. ad primum cum diſtinctione: gratia actualis eſt in nobis ſine nobis libere & elective concurrentibus, concedo: ſine nobis phyſice & vitaliter concurrentibus, nego. Quando Patres dicunt gratiam fieri in nobis ſine nobis, ſenſus eſt fieri ſine nobis libere operantibus; quod enim non fit libere, dicitur non fieri ab homine, quia non fit ab homine ut agente morali: hinc Apoſtolus Rom. 7. ait: *non quod volo malum, hoc ago;* quia non libere illud agit, quamvis phyſice velit & agat. Obſerva autem motus vitales, quibus competit ratio gratiæ prævenientis, varios eſſe, ut ſunt puræ objecti ſupernaturales perceptiones, judicia, affectiones amoris vel odii, deſiderii vel fugæ, ſpei vel timoris, gaudii vel triſtitiæ &c. Quod explicat D. Proſper contra Collatorem cap. 4. in illud Joan. 6. *Nemo poteſt venire*

ad

ad me, nisi Pater traxerit eum, his verbis: *Trahit ad Deum timor; initium enim sapientiæ timor Domini: trahit lætitia; quoniam lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: trahit desiderium; quoniam concupiscit & deficit anima mea in atria Domini: trahit delectatio lectionis; quam dulcia enim faucibus meis eloquia tua? Quis enarrare possit per quos affectus visitatio Dei animum ducat humanum, ut quæ fugiebat, sequatur, quæ oderat, diligat.*

Ad secundum Resp. disting. ant. necessario supponeret aliud principium supernaturale ejusdem rationis, seu moraliter influens in actum salutarem, nego: diversæ rationis, seu physice influens, concedo. Actus vitales, in quibus gratiam prævenientem constituimus, fieri non possunt a facultate naturali, nisi elevata & adjuta per principium aliquod supernaturale, ut antea diximus: At hoc non obstante illustrationes & inspirationes recte dicuntur gratia præveniens & primo excitans, quia non supponunt aliam gratiam prævenientem in sensu Conciliorum & Patrum, nempe per modum illuminationis & motionis, etsi supponant aliud principium efficiens & physicum, quod dici potest gratia causaliter seu in radice.

Ad tertium concedo majorem & neg. min. proposit. Necessariam esse gratiam tam illustrationis quam inspirationis ad quodvis opus salutare, saltem in statu naturæ lapsæ, satis evincitur ex D. Augustino, qui pluribus locis contra Pelagianos editis, quæ num. 15. & 17. retulimus, ejusmodi gratiam requirebat, & merito quidem: cum enim natura humana per peccatum magis sit corrupta, quantum ad appetitum boni, quam quantum ad cognitionem veri (ut loquitur S. Thomas 1. 2. Q. 109. art. 2. ad 3.) necessaria erit non tantum lumen,

G quod

quod elevet naturam quoad appetitum veri; ſed etiam motio, quæ elevet quoad appetitum boni. Sane ſi voluntas bonum naturale nunquam ampleĉtitur niſi præmiſſa ſimplici complacentia, etiam nunquam eliget bonum ſupernaturale, niſi præcedente pia affeĉtione, ut alibi arguit S. Doĉtor. Hinc nonnulli Theologi negant ſupernaturalem illuſtrationem haberi poſſe ſine pia affeĉtione: alii etſi admittant, negant tamen per ſolam illuſtrationem voluntatem reddi proxime potentem ad agendum ſalutariter, ſicut nec ſola cognitio in naturalibus voluntatem reddit proxime expeditam ad agendum ſine prævia complacentia; quod ſi etiam in naturalibus admitteretur, nihil inde inferri poſſet, quando pro neceſſitate inſpirationis multiplex auĉtoritas pugnat.

XXIV. Contra alteram aſſert. argues I. Concilium Milevitanum can. 3. definit gratiam, qua juſtificamur, non ſolum conferre remiſſionem peccatorum, quæ commiſſa ſunt, ſed ſed etiam adjutorium, quo non committantur; ergo præter gratiam habitualem non requiritur aliud adjutorium aĉtuale. II. Per gratiam habitualem ſpiritus ſanĉtus in nobis habitat, per quem omnia poſſumus. III. Gratia ſanĉtificans eſt principium ſupernaturale, & habitus cum illa connexi inclinant ad aĉtus: ergo Juſtus ſine gratia aĉtuali ſupernaturaliter operari poteſt.

Reſp. ad *primum*: a ſanĉta ſynodo id omnino ac merito definitum eſſe contra Pelagium, qui affirmavit gratiam juſtificationem conferre ad ſolum animæ ornatum, & nullam ad aĉtus ſupernaturales impertiri virtutem. Nec ſequitur ex eo opus non eſſe auxilio gratiæ aĉtualis; nam ut D. Th. 1. 2. Q. 109. art. 9. docet, *homo ad reĉte vivendum dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo quantum ad aliquòd habituale* do-

donum, per quod natura corrupta sanetur, & etiam sanata elevetur ad opera meritoria vitæ æternæ: alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut a Deo moveatur ad agendum. Ad *secundum* disting. ant. Spiritus S. habitat in nobis sanando & justificando, conc. inspirando & movendo sudbistinguo, atque id pertinet ad gratiam habitualem, nego; ad actualem, concedo. Spiritus Sanctus justorum corda inhabitans subministrare potest adjutorium inspirationis, atque si id impertiatur, aderit gratia actualis ad bene operandum necessaria. Ad *tertium* dist. ant. gratia sanctificans est principium remotum & radicale, conc. est principium proximum; nego: gratia sanctificans velut natura in ordine supernaturali, & radix vitæ supernaturalis non operatur nisi mediantibus virtutibus tanquam potentiis, quas per actualem gratiam supernaturaliter excitari & moveri est necesse. Quod ex supra dictis explicat Augustinus exemplo oculi corporei, qui etiam plenissime sanus cernere objecta, nisi candore lucis adjutus, non potest.

CAPUT IV.

DE HÆRESI SEMIPELAGIANA.

Statum hujus hæreseos ut plane exhibeamus, tria sunt explicanda. Primo de Origine, & fautoribus hujus erroris; dein de gloriosis ejusdem oppugnatoribus; tertio de præcipua, quæ Catholicos inter & Semipelagianos movebatur, Controversia est agendum.

De Origine, & Fautoribus Semipelagianismi.

XXV. Posteaquam S. Augustinus Pelagii hæresim impugnavit, gratiæque necessitatem & Divinæ voluntatis propo-

positum invicte demonstravit, complures in oppositam partem abierunt putantes ex doctrina Augustiniana fatalem sequi necessitatem. Tria potissimum dogmata statuerunt; quorum primum fuit justitiæ aliquod initium, bonam nempe voluntatem credendi, esse ex nobis citra auxilium gratiæ Divinæ: ex hujus autem voluntatis merito gratiam & justificationem conferri. Deinde asserebant Prædestinationem nullam esse nisi ex meritorum præscientia, & parvulos etiam eligi ex prævisione operum conditionatorum: posita autem electione secundum gratiam inutiles esse hortationes & correptiones. Tertio quod inde erat consectarium, docuerunt perseverantiam non esse speciale Dei donum. Hoc loco dicemus duntaxat de primo dogmate, in quo revocata est hæresis Pelagiana. Dicti autem sunt Semipelagiani a dimidiato, quem propugnabant, Pelagii errore; & Massilienses ab Urbe, ubi frequentiores consistebant.

At origo Semipelagianismi non primum est repetenda a Massiliensibus. Ipsum Augustinum nondum Episcopum in eodem errore esse versatum, habemus ex ipsius confessione facta *cap.* 3. *de Prædest. SS.* Eundem errorem professus est Vitalis Carthaginensis teste S. Augustino Epist. 217. ad ipsum data, qua illum ab errore revocavit. Commoti etiam sunt scriptis Augustini Monachi Adrumetini in Africa, quasi liberum arbitrium per gratiam destrui doceret; sed libris editis de gratia & libero arbitrio, & de correptione ac gratia, quos misit ad Valentinum in Monasterio Adrumetino præfectum, illos facile placavit. Verum inter ceteros S. Augustini doctrinæ adversabantur Massilienses in Gallia, contra quos D. Doctor, acceptis epistolis Hilarii & Prosperi, edidit libros de Prædestinatione SS., & de bono perseverantiæ.

In-

Inter Semipelagianos erant Viri non virtute minus quam doctrina conspicui, ac inprimis Joannes Cassianus Diaconus S. Chrysostomi, postea Presbyter Massiliensis, qui scripsit de institutis Cænobiorum libros 12. Collationum libros 24. & adversus Nestorium opus singulare. Etsi eum aliqui ab isto errore purgare conati sunt, ex communiore tamen sententia Norisii minime excusari potest. Sanctus enim Prosper, cujus studium adversus Semipelagianos notum est, operam suam maxime contulit in refellendo Cassiano, librumque edidit contra Collatorem, qui errores suos potissimum sparsit collatione 13. habita cum Abbate Chæremone: ibidem postquam cap. 3. ait bonarum cogitationum principium ex Deo esse (quæ verba videntur esse catholica) cap. 9. sic illa explicat: *ut autem clareat etiam per naturæ bonum, quod beneficio creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi a Domino dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possunt, Apostolus testis est dicens: velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* En Cassianus initium bonæ voluntatis a nobis esse putat, eaque, quæ dixit cap. 3., exponenda esse aut de gratia conditionis, qualis est facultas arbitrii, aut de eo quod accidit nonnunquam, & in portione, non in universitate hominum. In reliquis capitibus dictæ collationis, nec non lib. 12. de institutis Monach. cap. 14. docet, cuique naturaliter inesse semina virtutum beneficio Creatoris inserta, conatus humanos gratiam prævertere, divinam misericordiam dari conantibus, aliaque plura Semipelagianismi argumenta. Hinc Gelasius Papa opuscula Cassiani inter apocrypha id est inter ea, quæ non habent doctrinam plane catholicam, recensuit. Quod autem aliqui dicunt Cassianum in illa collatione non loqui suo ore, sed historice referre sententiam Chæremonis, falsum est: quomodo enim Cassianus non loquitur proprio sensu, dum etiam lib. 12. de institutis Monach. di-

dicit *primam gratiam præsto esse occasione duntaxat a nobis bonæ voluntatis oblata?* Merito igitur S. Prosper cap. 2. ait Cassianum, quem refellendum suscepit, ex propria sententia loqui.

Ejusdem erroris defensor fuit Faustus Rejensis Episcopus, pro quo minus firmam Sirmondus apologiam scripsit. Nam Hormisda P. in Epist. ad Possessorem declarat scripta Fausti non esse recipienda; Illum refutarunt Joannes Maxentius, S. Fulgentius, Cæsarius Arelatensis, aliique Viri sanctissimi: imo contra illum præsertim, Synodum Arausicanam esse celebratam ostendit Norisius. Sane si ejus doctrinam consulamus, Semipelagianum cernemus; nam in lib. de libero arbitrio docet in electione ad gratiam *observari merita;* Abelem divinis placuisse conspectibus *per propriæ voluntatis affectum, & per insitum a Deo generaliter bonum;* ante dona Redemptoris semper *dona Auctoris viguisse præscripta per naturam, sed per gratiam confirmanda, vilescere gratiæ dona, nisi fuerit præmissa devotio obedientiæ.* Quibus patet eum non admisisse gratiam Salvatoris nisi ad perfectionem virtutis; ad initium vero sanctæ credulitatis bona duntaxat naturæ, & gratiam doctrinæ, ac legis.

Communior sententia est contra Suarezium Prolegom. 5. de gratia cap. 5., Gennadium Presbyterum Massiliensem inter Semipelagianos fuisse. Is quippe in lib. de Viris illustribus cap. 84. scribit Cassiani doctrinam a S. Prospero male reprehensam; e contrario Cassiani opera magnifice laudat, & cap. 85. libros Fausti Rejensis appellat opus egregium. An eadem nota perstringi mereantur Vincentius Lirinensis & Hilarius Arelatensis, dubium adhuc inter Auctores est; eos Semipelagianis adnumerat Norisius, alii illos defendunt, quam contro-

troversiam Criticis dirimendam relinquimus. In eundem errorem incidisse S. Joannem Chrysostomum probare nititur Vasquezius disp. 89. cap. 4. at immerito, ut alibi ostendam. Ceterum istorum Virorum sanctitati, quam in iis prædicarunt S. Prosper & Hilarius, minime derogant dicti errores: errarunt enim non pervicacia sed ignorantia, & ante exploratam Veterum traditionem, expressasque definitiones Conciliorum ac Pontificum.

De oppugnatoribus Semipelagianismi.

XXVI. Post S. Augustinum, de quo num. 10. dixi, Semipelagianis obstiterunt Prosper & Hilarius, & D. Doctorem de erroribus certiorem fecerunt: illo autem demortuo cum animos resumerent fidei hostes, Romam profecti Cœlestini S. P. opem implorarunt. Contra eosdem enituit maxime studium S. Prosperi, qui scripsit epistolam ad Rufinum, librum contra Collatorem, responditque ad capitula calumniantium Gallorum, ad objectiones Vincentianas, ad excerpta Genuensium, eaque occasione edidit Epigrammata plurima, & carmen de ingratis. An scripserit libros de vocatione gentium, inter Eruditos non convenit; negat Norisius, sed plurimi alii laudant tanquam genuinum ejus opus.

Anno 431. scripsit Cœlestinus contra Pelagianos Epistolam ad Episcopos Galliarum, in qua graviter eos objurgat, quod finerent Presbyteros quosdam errores spargere, S. Augustinum, ejusque doctrinam laudat, ejusque obtrectatores compescit. Capitula huic Epistolæ annexa Cœlestini non esse jam dudum Viri docti observarunt: laudantur tamen sub nomine Cœlestini, quod hujus jussu vel approbatione fuerint a Prospero, vel alio Augustini defensore concinnata.

De-

Denique hanc hæresim damnavit Synodus Arausicana II. sub Felice IV. celebrata, quæ sic habet can. 3. *Si quis dixerit ad invocationem humanam gratiam Dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ.* Et Can. 5. *Si quis sicut augmentum, ita etiam initium fidei ipsumque credulitatis affectum - non per gratiæ donum, sed nobis naturaliter inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius reperitur.* & Can. 7. *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit, aut eligere posse confirmat absque illuminatione & inspiratione Spiritus S. hæretico fallitur Spiritu.* Hoc Concilium confirmavit Bonifacius II. Felicis IV. Successor.

Sed & novissime Tridentinum idem dogma stabilivit tribus canonibus Sessionis 6. Ita enim habet Can. 1. *Si quis dixerit homines suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.* & Can. 2. *Si quis dixerit ad hoc solum divinam gratiam dari, ut facilius homo juste vivere possit . . . anathema sit.* & Can. 3. *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus S. inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pænitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

De præcipuo capite Doctrinæ Semipelagianæ.

XXVIII. Rursus in hoc argumento viam sibi ad suum errorem aperuit Jansenius; nam integris duobus libris, septimo nempe & octavo de H. P., novis coloribus pinxit Semipelagianismum. Docet inprimis occasionem erroris Semipelagiani fuisse propositum illud divinæ vocationis & prædestinationis, quo juxta Augustinum salvandi a reprobis di-

diſcernuntur, a quo propoſito abhorruiſſe Semipelagianos oſtendit. Cenſet inſuper illos in eo erraſſe, quod propoſitum divinæ vocationis vellent eſſe conditionatum: quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi velint: quod Chriſtus pro omnibus mortuus ſit, omnibusque tribuat media ad ſalutem idonea &c. Demum, ut gratiam ſuam victricem & ineluctabilem firmaret, aſſerit Maſſilienſes etiam ad initium fidei veram aliquam interiorem gratiam admiſiſſe, & in hoc proprie eorum errorem fuiſſe ſitum, quod vellent uſum & abuſum ipſius gratiæ relinqui in poteſtate liberi arbitrii; hinc inter famoſas Janſenii propoſitiones quarta ita habet: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.* Quæſtio igitur eſt, in quo conſiſtat præcipuus error Semipelagianorum, & de qua gratia controverſia fuerit Catholicos inter, & hæreticos.

Ante reſolutionem obſervandum contra Janſenium (qui lib. 7. cap. 2. duas factiones Semipelagianorum diſtinguit, eorum primo, qui omnem gratiam ad initium fidei & bonæ voluntatis reſpuebant; deinde illorum, qui gratiam quidem indifferentem, ſed non victricem admiſerunt) contra hunc inquam obſervandum eſt, in tres claſſes poſſe diſtribui Semipelagianos. In prima claſſe occurrunt, qui cum Juliano gratiæ neceſſitatem admiſerunt ad bene operandum, ſed eam negabant ad velle credere, & ad velle bene agere, ſeu ad affectum credulitatis & boni operis. De his loquitur S. Proſper Epiſt. ad S. Auguſtinum his verbis: *In tantum a Pelagianis ſemitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne ſi meritis red-*

reddatur, frustra gratia nominetur: ad conditionem hanc (id est naturalem constitutionem) *velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua eum nihil prius merentem, quia nec existentem liberi arbitrii & rationalem gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni ac mali, & ad cognitionem Dei & ad obedientiam mandatorum ejus possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem petendo, quærendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam initialis (id est naturalis) gratiæ ope meruerit pervenire.* Eadem habet Hilarius in sua ad Augustinum Epist. ita loquens: *dicunt non negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat, non autem quidquam ipsa jam valeat.* En Semipelagiani dicunt initium fidei & salutis esse ex viribus liberi arbitrii, & gratiam posteriorem faciunt bona voluntate.

In secunda classe numerantur, qui & bonum opus, & ipsum operis affectum ac orationem gratiæ tribuebant; sed initium fidei & credulitatis affectum naturæ viribus oriri, causamque esse aiebant, cur Deus aliquos, rejectis negligentibus, ad Christum, ac demum ad salutem perducat. *Sed nunc eis*, inquit Augustinus lib. de prædest. SS., *respondendum esse video, qui divina testimonia ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo: tanquam fides non ab ipso donetur Deo, sed ab ipso tantum augeatur in nobis eo merito, quo cæpit a nobis. Non ergo receditur ab ea sententia, quam Pelagius damnare compulsus est, gratiam Dei secundum merita nostra dari.* En putant initium fidei ex nobis esse & donum Dei non esse. Tertiam classem constituit Cassianus, qui Collat. 13. scripsit gratiam initium fidei aliquando præcedere, aliquando subsequi; ac proinde negavit

gra-

gratiam esse necessariam ad concipiendum credulitatis affectum. En ergo omnes Semipelagiani negarunt necessitatem gratiæ saltem ad initium fidei, docueruntque Deum ita velle salutem omnium hominum, ut humanas voluntates Evangelii prædicatione vocatas expectet, paratus suscipere venientes & adjuvare conantes. His observatis sit sequens

ASSERTIO

Semipelagiani necessitatem gratiæ prævenientis ex parte voluntatis ad initium fidei constanter negarunt: & de hac controversia erat cum S. Augustino, aliisque Catholicis.

XXVIII. Probatur I. Illi negarunt necessitatem gratiæ ad initium fidei, qui docuerunt initium salutis & fidei esse a viribus arbitrii, gratiam esse posteriorem bona voluntate, id est gratiam ad bonum opus necessariam dari merito prioris bonæ voluntatis, & fidem non esse donum Dei: atqui hæc constanter docuerunt Semipelagiani; ergo &c. minor patet ex num. 25. & 27. & amplius probatur sequentibus testimoniis: S. Prosper in sua Epist. hanc ait fuisse doctrinam Semipelag. *Quantum ad Deum pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo sponte crediderint & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Statuebant ergo aliquod fidei meritum ante adjutorium gratiæ supernaturalis. Ex eodem Prospero volebant *obedientiam priorem esse, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat: & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem.* Ergo initium salutis in naturali potestate & obedientia gratiam præcedente statuebant. S. Augustinus de prædest. SS. cap. 3. fatetur se ante Episcopatum in eodem cum Semipelagianis errore esse versatum, quia putavit *fidem non esse donum Dei sed a*

nobis esse in nobis & per illam nos impetrare dona Dei, quibus pie vivamus. Error igitur illorum in eo est situs, quod fides dona supernaturalium gratiarum præcedat.

Probatur II. Errores Semipelagianorum sunt ii, quos proscripsit Synodus Arausicana secunda; atqui hæc can. 5. & 7. definit initium fidei & pium credulitatis affectum non esse in nobis *naturaliter* & *per naturæ vigorem*: ergo Semipelagiani, quos dicti canones perstringunt, putabant primordia fidei ex vigore & nativa facultate liberi arbitrii prodire.

Probatur III. Ex censura propositionis IV. supra citatæ Jansenii, quam Pontifices declararunt falsam & hæreticam: etsi autem hæc propositio in postrema parte sit hæretica, consentiatque scopo Jansenii propugnantis gratiam ex natura sua victricem, qua evertitur libertas indifferentiæ; tamen cum simul declarata sit & falsa & hæretica, non solum damnata est quantum ad dogma secunda parte expressum, sed & quantum ad doctrinam Semipelagianam prima parte delineatam. Certe si prior pars propositionis esset vera, altera pars quoque vera esset, quod est hæreticum. Nam si verum est Semipelagianos admisisse necessitatem gratiæ ad initium fidei, non errarunt nisi circa modum quo gratia illa voluntatem permoveret, & fuerunt in eo hæretici, quod dicerent gratiam interiorem esse talem, cui voluntas humana posset resistere, quæ est secunda pars propositionis, in quam cadit nota hæreseos: neque enim fuerunt hæretici in eo, quod admitterent gratiam per se efficacem in sensu Jansenii, quod admittunt facile adversarii, alioquin faterentur se esse Semipelagianos. Igitur pars prima proposit. ita est connexa cum posteriore, ut illa nequeat esse vera, quin vera quoque sit altera.

Ex

Ex his jam consequitur Controversiam Catholicos inter & Semipelagianos non fuisse de gratia necessitante, ut vult Jansenius, sed de necessitate interioris gratiæ ex parte voluntatis ad omnes actus conducentes ad vitam æternam. Quippe SS. Hilarius, Prosper & Augustinus, uti & Cœlestinus in sua ad Episcop. Epist. Concilium Araus. in suis Canonibus, & Bonifacius II. hos canones approbans nullam mentionem faciunt gratiæ necessitantis, nec eam necessariam prædicant, sed reprehendunt duntaxat Massilienses, quod asserant fidem haberi ex vigore naturæ, gratiamque concedi secundum merita nostra; & insuper definiunt gratiam prævenientem necessariam esse ad quodvis initium fidei & salutis.

Diluuntur Oppositiones.

XXIX. Videndum jam est, quid Jansenius, ejusque discipuli obmoveant. Argumentum primum triplici auctoritate constat; ac inprimis S. Hilarius in Epist. sua ad S. Augustinum de Semipelagianis scribit: *consentiunt ad nullum opus etiam incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere;* atqui actus fidei est opus bonum: ergo judicarunt Semipelagiani ad illum opus esse gratia Dei, consequenter non in eo errarunt, quod negarent necessitatem gratiæ ad initium fidei. S. Prosper testatur Semipelagianos docuisse *Deum eos prædestinare in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos esse futuros præviderit.* Admittebant igitur gratuitam vocationem. Idem in eadem Epist. scribit admisisse quidem eos gratiam aliquo modo prævenientem, sed quæ subderetur hominum voluntati: *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea non negant esse præventas.* Tandem D. Augustinus L. de prædest. c. 1. ait: *Pervenerunt etiam, ut fatean-*

 tur

tur præveniri voluntates hominum Dei gratia, atque ut ad nullum opus bonum vel incipiendum vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant. Admiserunt igitur gratiam necessariam ad quodcunque bonum incipiendum, adeoque ad initium fidei.

Ad istas auctoritates communis responsio est: nam Massilienses dicebant quidem nullum opus bonum a nobis esse & sine gratia Dei fieri; at fidei & credulitatis initium inter opera non numerabant, illudque ex naturæ censu, absque auxilio gratiæ, fieri posse constanter affirmabant. Hinc voces illorum prodierunt, quas refert Hilarius: *Ceterum ad nullum opus incipiendum quemque sibi sufficere consentiunt: neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, supplici voluntate ægrotum velle sanari.* Item: *nec negari gratiam, si præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantum medicum quærat: non autem quidquam ipsa jam valeat.* Et alia hujus generis, quæ voluntatem operandi ab ipso opere discernunt. Sicut fiducia illa, quam de medico concipit ægrotus, aut desiderium ejus accersendi inter opera curationis non ponitur. Quapropter Augustinus in lib. de prædest. totus in eo est, ut demonstret gratiam esse necessariam ad initium fidei, & fidem esse donum Dei &c. Quod S. Prosper ait de *gratis vocatis*, non est intelligendum de vocatione interna, sed externa, nempe prædicatione Evangelii, qua facta volebant Massilienses nostrum esse credere vel non credere. Quod additur ex Prospero de gratia comitante & præveniente, patet illos admisisse gratiam comitantem respectu actuum fidem subsequentium, sed illam, quæ fidem antecederet, negarunt. Si quando a gratia voluntates præveniri dicebant, fictitia erat ejusmodi præventio, & teste Prospero *secundum phantasiam* nempe relate ad merita nunquam futura in parvulis, qui gratia baptismi præveniuntur.

Opponunt II. Conſtat ex Epiſt. Hilarii Semipelagianos moleſte tuliſſe diſcrimen traditum ab Auguſtino inter gratiam collatam Adæ, *ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet*, & gratiam prædeſtinatis collatam, *qua perſeverantia ipſa donetur*. Ergo non negabant Maſſilienſes in natura integra gratiam ad opera ſalutaria; ſed hoc ipſo neque negarunt illud in hominibus lapſis ad fidem; ergo &c.

Reſp. cum diſt. Moleſte tulerunt hoc diſcrimen, negantes id, quod docebat Auguſtinus circa perſeverantiam, concedo: negantes naturalia initia ſalutis citra gratiam, nego. Docuerat D. Doctor magnum diſcrimen eſſe inter gratiam Adamo innocenti datam ad perſeverandum in ſtatu innocentiæ, & gratiam, quæ nunc electis datur ad perſeverandum in ſtatu gratiæ: Adamum innocentem accepiſſe donum perſeverantiæ, ſine quo quidem perſeverare non poſſet, ſed quocum non eſſet perſeveraturus; Electos vero in præſenti ſtatu accipere donum perſeverantiæ, non ſolum ſine quo perſeverantes eſſe non poſſunt, ſed etiam quocum non poſſunt non eſſe perſeverantes. Hanc doctrinam putabant Maſſilienſes fatalem adferre neceſſitatem, nullumque relinquere locum hortationibus & minis; hinc docuerunt, Deum, ſicut Adamo dederat adjutorium, quocum perſeverare poſſet, ita nunc hominibus ex ſolo naturæ vigore credentibus propter meritum fidei ita tribuere gratiam, ut non ſit ſpecialius donum in perſeverantibus, quam non perſeverantibus. Ex quo utique non ſequitur illos admiſiſſe in homine lapſo gratiam neceſſariam ad initium fidei.

Inſtant. In hoc ſolo volebant Maſſilienſes diſtare naturam noſtram a primo homine teſte Hilario, *ut illum integris viribus voluntatis, juvaret gratia volentem; hos autem amiſſis &* per-

perditis viribus credentes tantum, non solum erigat postratos, verum etiam suffultiat ambulantes. Ampliorem ergo gratiam agnoverunt in homine lapso quam sano: at in homine primo non negabant gratiam ad perfectionem & consumationem bonorum operum; ergo neque negarunt hujus gratiæ necessitatem ad initium fidei. *Resp.* Verba Hilarii significant Semipelagianos discrimen gratiæ utriusque status in eo constituisse, quod gratia homini innocenti data, eum ad incipienda vel perficienda opera bona adjuvaret tantum, ostendendo quid esset agendum: gratia vero, quæ homini lapso datur, ad bona virtutum opera non solum adjuvet, sed & postratum erigat, suffulciat ambulantem, subministrando vires, sine quibus in hoc infirmitatis statu nec incipere possumus opera virtutum. Hujus discriminis hanc dabant rationem, quod voluntas Adami integris esset viribus adeoque non indigeret actuali auxilio ipsam immediate afficiente; voluntas vero nostra per peccatum sauciata ita sit, ut sine actuali adjutorio ipsam immediate movente ne quidem incipere possit opera virtutum. Porro erigentem hanc gratiam ad omnia virtutum opera necessariam voluerunt retribui merito fidei elicitæ ex solis naturæ viribus, dixeruntque liberum arbitrium posse se solo & absque adjutorio voluntatem afficiente velle credere & sanitatem desiderare, & sic promereri gratiam inspirationis, quæ prostratum erigeret, & suffulciret ambulantem.

Opponunt III. Contentio cum Semipelagianis erat de necessitate non qualiscunque, sed gratiæ dominantis & necessitantis: ergo &c. *Anteced.* Probatur I. D. Prosper in sua ad Augustinum Epistola ab eo petit, ut exponat, quomodo gratia illa interior, sine qua dicit hominem non posse credere, concilietur cum libertate arbitrii; at quæstio insulsa fuisset, si contentio duntaxat fuisset de gratia de se repudiabili. II. De illa gratia fuit contentio, ex qua putabant Semipelagiani in-

du-

duci fatalem necessitatem, hominesque impelli in desperationem & torporem: atqui talem non existimarunt esse gratiam de se indifferentem & repudiabilem: ergo &c.

Resp. neg. anteced. Ad ejus probat. primam nego minorem; imo si contentio fuisset de gratia necessitante, eamque Augustinus exegisset, non certe postularet S. Prosper, quomodo non tollat libertatem; supponit igitur eam non impedire libertatem indifferentiæ. Quæstionem autem istam proposuit partim quia S. Augustinus docuit hanc gratiam esse plane gratuitam; ægre autem intelligebatur quomodo vere liberi simus, si indigemus auxilio alieno plane indebito: partim quia dixit hanc gratiam, qua bene agimus, habere effectum suum infallibiliter. At non facile intelligitur, quomodo libere credamus cum gratia, quæ prævenit voluntatem credendi, eamque infallibiliter operatur. Ad secundam probationem nego min. Semipelagianorum argumenta impetebant solum necessitatem gratiæ prævenientis; concipere enim non poterant, quomodo staret illæsa libertas, si homo ad initium fidei indigeat gratia, quam mereri non posset. Hinc Augustinus dixit de prædest SS. cap. 5. In Electis præparari voluntatem a Domino, etsi credere vel non credere sit in arbitrio voluntatis.

Opponunt IV. Testimonia Semipelagianorum. Cassianus, Faustus & Gennadius erant Semipelagiani ex num. 25. At isti necessitatem gratiæ agnoverunt; nam Cassianus Collat 13. cap. 3. ait: *bonarum cogitationum ex Deo esse principium, qui nobis & initia bonæ voluntatis inspirat.* Faustus teste Gennadio in Catalogo de viris illust. gratiam prævenientem admisit ad initium fidei. Ipse Gennadius L. de Ecclef. Dog. cap. 21. fatetur *initium salutis nostræ Deo inspirante nos habere.*

Resp. ad primum: Cassianum duos hominum ordines distinxisse, quorum alii gratiam bonis suis conatibus præveniant, alii præveniantur. Hinc eodem loco ait in Zachæo & latrone fidem ex propriis viribus ortam meruisse gratiam. Quod Gennadius ait de Fausto, salsum patet esse ex dictis num. 25. Ad ultimum varia est responsio: aiunt aliqui cum Vossio illud opus non esse editum a Gennadio: alii cum Norisio & Pagio dicunt illum librum continere quidem doctrinam Catholicam, sed scriptum a Gennadio multo tempore post librum de Viris illustribus, & cum jam ex errore resipuisset: alii dicunt posse ista verba accipi de aliqua gratia non negata a Pelagii asseclis; cum alibi præsertim cap. 21. sparsa sint semina Semipelagianismi, ubi docet vigere in nobis electionem ad quærendam salutem.

CAPUT V.

DE RELIQUIS CIRCA GRATIAM ERRORIBUS.

Pelagius, Cœlestius, & qui horum hæresim saltem ex parte instaurare voluerunt, non alio ex capite gratiæ prævenientis necessitatem negarunt, quam quia putarunt per illam perimi libertatem: e contrario alii gratiam Christi tanto rigore asserere non dubitarunt, ut liberum arbitrium aut penitus extinctum, aut indeclinabili necessitate ad bonum & malum impelli arbitrarentur. Ex horum numero fuere Prædestinatiani, Lutherus & Calvinus, Bajus & Jansenius.

De Prædestinatianis, Luthero & Calvino.

XXX. Prædestinatiani ii dicuntur, qui liberum in homine arbitrium extinguentes omnia, quæ Deus statuit, dixerunt

runt necessario ita eventura, ut hominem inevitabili necessitate raperent, omni aliter agendi potestate ablata; unde manifeste sequebatur Deum prædestinare homines ad mortem, nec velle salvare nisi electos, Christumque pro horum salute duntaxat mortuum esse. De his Sigebertus in Chronico ad An. 415. ita scribit: *prædestinati* ideo vocantur, quia de prædestinatione & divina gratia disputantes asserebant, quod nec pie viventibus prosit bonorum operum labor, si a Deo ad mortem fuerint prædestinati; nec impiis obsit quod improbe vivant, si a Deo prædestinati fuerint ad mortem. Subjungit: *hæc hæresis ex libris Augustini male intellectis initium sumpsisse dicitur.*

Sunt qui cum Jansenio Sectam illam hæreticorum nunquam re ipsa extitisse autumant, sed hoc nomine per injuriam insimulatos fuisse D. Augustini discipulos, totamque hanc erroris prædestinatiani accusationem a Semipelagianis confictam esse adversus illos, qui tanti Doctoris doctrinam circa gratiam & prædestinationem sectabantur; ita Norisius, Cabasutius, Bertius *lib.* 6. *cap.* 14. & alii. At plurimi alii scriptores censent hanc hæresim fuisse exortam circa an. 424. apud Monachos Adrumetinos, statimque ab Augustino misso ad illos de grat. & corrept. libro sopitam; iterumque emersisse in Galliis per Lucidum quendam Presbyterum circa An. 470., iterumque duobus in Conciliis Arelatensi & Lugdunensi proscriptam: rursus Seculo 9. a Gothescalco recoctam, & a duobus aliis Conciliis Moguntino & Carisiaco damnatam fuisse; ita Baronius, Spondanus, & Sirmondus in historia sua Prædest.

Sed quidquid sit de Prædestinatianis antiquis, certum est hanc hæresim fuisse renovatam per duo illa Novatorum capita Martinum Lutherum & Joannem Calvinum. Prior enim præter

alios portentoſos errores, qui ad præſens inſtitutum non pertinent; docuit liberum arbitrium poſt Adæ peccatum fuiſſe in nobis extinctum, ita ut manſerit res de ſolo titulo, vel titulus ſine re: ita in aſſert. articulorum ſuorum ad Leonem X. & in libro de ſervo arbitrio. Alter ſimiliter Docuit humanam voluntatem nullam habere mali aut boni electionem, nec ſuæ optionis eſſe obtemperare vel refragari: ita lib. 2. inſtit. cap 2. de libero arbitr. lib. 5. Uterque de æterna prædeſtinatione ſeu ad vitam ſeu ad mortem ita loquuntur, ut penitus ſublato arbitrio humano, Deus omnia diſpenſet, facientes eum bonorum æque ac malorum operum auctorem. Horum nefandos errores damnavit Tridentinum, potiſſimum Seſſ. 6. de Juſtificatione, & ſpeciatim can. 4. definit: poſſe liberum arbitrium a Deo motum & excitatum diſſentire ſi velit, & non eſſe inanime quoddam nihil omnino agens, & ſe habens mere paſſive.

De Bajo, Janſenio & Quesnellio.

XXXI. Michael Bajus ſacrarum literarum in Academia Lovanienſi Profeſſor jam dudum ob doctrinam ſuam ſuſpectus varia opuſcula An. 1563. vulgavit, e quibus extracti erant a Doctoribus Lovanienſibus articuli nonnulli, relatique ad ſedem Pontificiam: In his præter cetera docebat, integritatem primæ conditionis & exaltationem humanæ naturæ in conſortium divinæ debitam ac naturalem fuiſſe; Deum non potuiſſe ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur; ſolam violentiam repugnare humanæ libertati; hominem peccare etiam in eo quod neceſſario facit; in quibus ſane Janſenio præluſit. Anno igitur 1567. collectas ex dictis opuſculis propoſitiones 79. damnavit S. Pontifex Pius V. data ſolenni conſtitutione, in qua hanc addidit clauſulam: *Quas quidem ſententias ſtricto examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto*

pacto sustineri possent in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento hæreticas, erroneas &c. damnamus. Quæ quidem verba Baji fautoribus novarum contentionum viam aperuerunt, ut postea dicam.

Motis deinde constitutionis illius causa discordiis confirmata est Bulla Piana a Gregorio XIII. ejus Successore ineunte an. 1579. atque ad ipsum Bajum delata a Franc. Toleto S. J. Theologo, postea S. R. E. Cardinale, cujus opera Bajus opiniones suas retractavit. Post obitum Baji illius simul & Jansenianas propositiones damnarunt Urbanus VIII. Bulla *in eminenti* emissa 1641. & Innocentius X, quo urgente Constitutio Urbani in Belgio an. 1648. fuit solenniter promulgata & recepta.

Sed ad Cornelium Jansenium veniamus, cujus doctrina adeo celebris evasit, ut Baij nomen prope extinxerit. Natus is apud Batavos, & ex Doctore Lovaniensi Episcopus Iprensis scripsit magnæ molis volumen de Divina gratia, quod tamen morte præreptus in lucem dare non potuit; itaque illud testamenti ejus executores typis mandarunt sub titulo: *Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus*, quasi in eo opere genuina & sincera S. Augustini doctrina nulli veterum cognita contineretur; etsi Jansenius fato proximus in testamento, quod condidit, protestatus sit, se omnia sua scripta subjicere judicio S. Pontificis. Evulgato hoc libro in Belgio & Galliis distracti sunt animi; quibusdam tanquam de Cœlo delapsum Augustinum in eo excipientibus; aliis & quidem sanioribus adversus ipsum strenue dimicantibus, inter quos facultatis Parisinæ Theologi quinque propositiones ex eodem (jam per Urbanum 8. damnato) collegerunt, quas an. 1650. Episcopi Gallicani 85. transmiserunt ad S. P. Innocentium X. qui matura præmissa discusione quinque illas propositiones damnavit data constitutione solenni an. 1653.

Damnatæ autem propofitiones Janfenii funt iftæ: I. *Aliqua Dei præcepta hominibus juftis volentibus & conantibus, fecundum præfentes, quas habent vires, funt impoffibilia: deeft quoque illis gratia, qua poffibilia fiant.* II. *Interiori gratiæ in ftatu naturæ lapfæ nunquam refiftitur.* III. *Ad merendum & demerendum in ftatu naturæ lapfæ non requiritur in homine libertas a neceffitate, fed fufficit libertas a coactione.* IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceffitatem ad fingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem effe, cui poffet humana voluntas refiftere vel obtemperare.* V. *Semipelagianum eft dicere, Chriftum pro omnibus omnino hominibus mortuum effe.* Has affertiones S. P. ita damnavit, ut primam dixerit temerariam, blafphemam, hæreticam, & jam anathemate damnatam; fecundam & tertiam ut hæreticas; quartam ut falfam & hæreticam; quintam ut falfam, temerariam, fcandalofam, & intellectam eo fenfu, ut Chriftus pro falute duntaxat prædeftinatorum fit mortuus, ut impiam, blafphemam, contumeliofam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam.

Sed antequam fufius agamus de Janfenianis, eorundem potiffimum fautorem memorabimus Pafchafium Quefnellum Congregationis Oratorii a Berullo Cardinale inftitutæ Presbyterum. Is a fuis profugus, & per belgium, ac Hollandiam pervagatus librum *obfervationum moralium* edidit eo majore exitio animarum, quod liber afceticus appareret magis quam dogmaticus, & plus piorum utriufque fexus hominum quam fcholafticorum tereretur manibus. In hoc docuit fidus ille Baji & Janfenii difcipulus, nullam dari gratiam nifi efficacem, & talem, quam nihil poffit impedire; abfque tali gratia impoffibilia effe mandata Dei; gratiam primi hominis naturalem fuiffe; ante fidem & remiffionem peccatorum nullam gratiam concedi.

cedi &c. Itaque Clemens XI. S. P. inſtituto ſumma cura examine edidit famoſam conſtitutionem *Unigenitus* anno 1713. qua redivivos Janſeniſmi ſurculos reſcidit & propoſitiones 101. proſcripſit.

Referuntur & refutantur nonnullæ Janſeniorum Cavillationes adverſus Pontificias conſtitutiones.

XXXII. Ne Janſeniani doctrinam ſuam in Bajo prædamnatam fateri debeant, omnes fraudes adhibuerunt, ut conſtitutionum illarum, quibus Bajana aſſerta proſcripta ſunt, auctoritatem eludant. Dicebant nonnulli Pontificias adverſus Bajum bullas ſubreptitias eſſe; at quam vanum effugium! Scimus S. P. Pium V. Bajo roganti, an bullam *ex omnibus afflictionibus* jam Lovanii publicatam vellet habere legitimam, reſcripſiſſe *non ſine matura deliberatione editam fuiſſe*, prioremque damnationem iterum confirmaſſe; quæ confirmatio etiam facta eſt per Gregorium XIII. & Urbanum VIII. Bullam autem Urbani non eſſe ſuppoſititiam, conſtat ex variis brevibus ipſius Pontificis ad varios datis, & ex mandato, quod dedit, ut Bullæ exemplar diligenter cum Originali collatum ad Lovanienſes dirigeretur. Hinc Alexander VIII. damnavit hanc prop. *Bulla Urbani VIII. in Eminenti eſt ſubreptitia.*

Nonnulli dicunt in Bulla Pii V, ejusque confirmationibus propoſitiones Baji non fuiſſe proſcriptas in ſenſu ab Auctore intento, adeoque in proprio verborum ſenſu ſuſtineri poſſe; probant id ex adjecta Bullæ clauſula: *quas quidem ſententias, etſi nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore & proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento, hæreticas . . damnamus.* Ubi juxta Apologiſtas comma non apponendum eſt poſt verbum *poſſent;* ſed poſt verba *ſenſu ab Auctoribus intento*, ita ut ſenſus ſit: quam-

vis earum prop. nonnullæ ſuſtineri poſſent in rigore & proprio ,verborum ſenſu, tamen eas hæreticas &c. damnamus. Sed enim etſi demus interpunctionem illam eſſe omiſſam in variis exemplaribus & Manuſcriptis, aut variatam, extare tamen comma illud verbo *poſſent* ſubnexum in autographo aſſervato in Archivio SS. inquiſitionis conſtat teſtimoniis illorum, qui illud inſpexerunt; conſtat ex exemplari ad fidem archetypi excuſo in quo illud comma fuiſſe teſtantur omnes; conſtat ex mandato Urbani, quo in impreſſionibus Belgicis comma illud eſt reſtitutum. Sane ſi ita eſt, ut fingunt Apologiſtæ, ergo Pontifex damnavit propoſitiones, quas ipſe fatetur ſuſtineri poſſe. Quid vero abſurdius, & S. Pontifici injurioſum magis fingi poteſt. Ergo propoſitiones illas non damnavit in proprio verborum ſenſu ab auctore intento, ſed alieno & extraneo, qui nihil ad Bajum pertinebat. At Bajus ipſe ſuas eſſe propoſitiones agnovit, earumque cenſuræ ſe ſubjecit. Nempe hæc eſt Eccleſiæ praxis, a qua certe Pius V. non receſſit, ut cum aliquas libri vel auctoris propoſitiones condemnat, eas conſideret relative ad mentem auctoris & ſenſum libri.

Alii nituntur Bullarum auctoritatem elevare ex vago & indeterminato, quo propoſitiones perſtringuntur modo: nulla ipſis aſſignata ſpecialis cenſuræ nota: qui modus, aiunt, non tantum inutilis eſt, ſed & noxius; unde nihil lucis affulget, diſcerni ut poſſit, quæ propoſitio ſit hæretica, vel falſa, vel temeraria &c. At mirum eſt neſcire Apologiſtas uſum hujusmodi cenſuræ tam antiquum & probatum ab Eccleſia, quæ duobus potiſſimum modis legitur cenſuras tales generales tuliſſe. Primo quidem generali librorum damnatione, nullis extractis propoſitionibus; quo modo libri Origenis proſcripti fuere, eorum lectione interdicta: deinde proſcribendo extractos ex libris articulos, congeſtis ſimul, & ut dicitur in globo, mul-

multis notis; quo modo Leo X. egit contra Lutherum, & Concilium Constantiense contra Wiclefum. Modus iste duo determinate significat: primum, nullam esse notam ex assignatis, quæ non alicui saltem competat propositioni: secundum, nullam esse ex propositionibus istis, quæ non mereatur saltem aliquam ex istis notis; ex quibus fideles intelligunt a doctrina in iis contenta sibi esse cavendum.

XXXIII. Innocentiana contra 5. Jansenii propositiones Constitutio reverenter quidem suscepta est ab Episcopis Galliæ; sed a Jansenii fautoribus non item: qui cum Magistrum suum imitari debuissent, qui se suaque scripta Romanæ Ecclesiæ corrigenda subjecit, novas turbas excitare cœperunt, adeo ut dici possit, quod de Pelagianis timuit Augustinus de verb. Apost. Serm. 2., Innocentii rescripto causam quidem finitam esse, sed non finitum errorem.

Primo, aiunt ista constitutione cum Jansenio damnari Augustini doctrinam: Molinæ vero ejusque sequacium de gratia versatili opinionem extolli. Sed id quam falsum sit, ostendunt tum vivæ vocis oracula, tum ipsorum Pontificum diplomata, qui Augustini de gratia & libero arbitrio doctrinam in Ecclesia consecratam esse docuerunt, ideoque Jansenii doctrinam esse confixam, quia ab Augustiniana toto cœlo aberrat; id quod per decursum, & speciatim controversia 3. ostendemus. Dum addunt Molinæ doctrinam, Jansenii damnatione triumphasse, id quidem Molinistæ sibi laudi vertunt: ceterum post proscriptas etiam Jansenii propositiones licet in doctrina de gratia esse Catholicum, nec tamen Molinistam; cum doctrina de gratia ex se efficaci, quam Thomistica & Ægidiana schola profitetur, nec sit Janseniana, nec Moliniana, eaque adhuc a sede Pontificia in suo vigore relinquatur.

Secundo, relicta quæstione juris, ad quæstionem (ut aiunt) facti confugerunt. Quæstio juris est, an quinque propositiones sint hæreticæ, & merito sint damnatæ: quæstio facti, an hæ propositiones reperiantur in libro Jansenii, & merito damnatæ sint in sensu a Jansenio intento. Itaque dixerunt se quoque damnare omnem sensum erroneum in his propositionibus contentum, quem Ecclesia damnare voluit: quantum vero ad factum, aiebant propositiones istas nec reperiri in Jansenio, nec esse damnatas *in sensu a Jansenio intento*, nec ita damnari potuisse, cum in quæstionibus facti judicium Ecclesiæ non sit infallibile. Hinc intulerunt Jansenismum non esse nisi purum phantasma, utpote in sola pontificis eique adhærentium mente existentem, qui putarent Jansenium ea sensisse, quæ nunquam sensit. Atque hæc est origo famosæ illius distinctionis inter quæstionem *juris* & *facti*, ac controversiæ de infallibilitate Ecclesiæ circa hanc posteriorem.

Sed refelluntur primo ex litteris Innocentii X. an. 1654. ad Episcopos Galliæ datis, *ubi declarat se damnasse in 5. propositionibus Jansenii doctrinam ejus libro contentam, cui titulus Augustinus*. Ex decreto Alexandri VII. an. 1656. edito, quo definivit *propositiones e libro Jansenii excerptas, & in sensu ab eodem intento esse* damnatas. Ex præscripta formula fidei ab eodem Pontifice, qua omnes clerici ad sacros ordines, vel ecclesiasticum aliquod beneficium promovendi jurare debent se sincero animo damnare 5. propositiones *in sensu ab Auctore intento*; quam formulam confirmarunt Clemens IX. & Innocentius XII. Ceterum quod dicunt Pontificem, eique conjunctam Ecclesiam fallibilem esse in factis dogmaticis, illud a Theologis manifeste refutatur in tractatu de fide, copiosis argumentis ex scriptura, ex traditione, ex ratione depromptis.

Ter-

Tertio, aliorum more hæreticorum nonnulli Janſenii defenſores dixerunt in hac controverſia judicem non eſſe Rom. Pontificem, ſed Eccleſiam univerſam; ideoque a ſententia Pontificum appellandum eſſe ad generale Concilium. Sed temerarie: primo enim aſſerere poſſumus cum Auguſtino cap. ult. lib. ad Bonifacium, rariſſimas extitiſſe hæreſes, propter quas damnandas opus fuiſſet *congregatione ſynodi;* quod confirmat antiqua Eccleſiæ conſuetudo. Secundo etſi daremus licitam eſſe ejusmodi appellationem, ea locum non habet in cauſa Janſenii: quando enim major pars Eccleſiaſticorum ſubſcribit decretis pontificum, etſi nonnulli repugnent, etiam juxta Gallorum doctrinam locus non eſt ejusmodi appellationibus. Alioquin nullius hæreſis cauſa finiretur, cum nulli deſint pervicaces patroni: quorum tamen non obſtante repugnantia quis non dixerit aut Arianorum aut Donatiſtarum, aut Pelagianorum dogmata fuiſſe proſcripta concordi Eccleſiæ Catholicæ auctoritate? cum igitur judicium Romani Pontificis de Baji, Janſenii, Queſnelli aſſertionibus, ſi paucos refractarios excipias, ab univerſa Eccleſia ſit receptum, ejusmodi appellationes Janſenianos non juvant.

Novum denuo Janſeniſtæ effugium meditati ſunt famoſo illo *caſu conſcientiæ*, quo referebatur aut fingebatur, cuidam Eccleſiaſtico negatam eſſe ſacramentalem abſolutionem, eo quod nollet damnare 5. propoſitiones *in ſenſu a Janſenio intento;* cum diceret ſe illam quidem abſolute damnare quoad *quæſtionem juris*, ſeu doctrinam in illis contentam; quantum vero quoad *quæſtionem facti*, ſeu quoad earum extantiam in libro Janſenii, aut ſenſum ab hoc intentum, exiſtimare ſe ſufficere, *religioſum*, ut aiunt, *ſilentium*, id eſt externam non repugnantiam. Quærebatur jam, an Eccleſiaſtico ita comparato juſte fuerit negata abſolutio? negarunt 40 Doctores Sorbonici, iſti

casui subscripti, sed hanc resolutionem Clemens XI. tribus Apostolicis brevibus damnavit. Idem Pontifex, postulante Rege Christianissimo, an. 1705. solennem edidit constitutionem *vineam Domini Sabbaoth*, qua priora decreta innovat, declaratque obsequiosum istud silentium plane insufficiens.

Diluuntur Oppositiones circa quæstionem facti.

XXXIV. Ordo jam postulat, ut nonnulla Jansenistarum objecta resolvamus. Aiunt enim I. Multos ex Doctoribus Catholicis esse (nempe Turrecrematam, Petavium, Bellarminum) qui tradunt Pontificis judicium in quæstionibus facti errori esse obnoxium: Innocentium X. & Alexandrum VII. damnasse propositiones Jansenii ex sola relatione quorundam Episcoporum Galliæ; adeoque in hac quæstione facti potuisse errare. II. Sensum cujusque auctoris esse quid internum, de quo judicare nequit Ecclesia. III. Factum, de quo controvertitur, esse factum Seculi 17. quod dirimi non potest ex scriptura & traditione. IV. Allegant exemplum Vigilii Papæ, qui tria capitula decretorio judicio probavit, quæ postea damnavit quinta Synodus: item judicium Ecclesiæ in facto Honorii, quem sexta Synodus ex ejusdem Epistolis decepta hæreticum declaravit.

Antequam respondeam, noto quæstiones alias esse *juris*, seu circa doctrinam fidei veram aut falsam, atque in his definiendis Ecclesiam esse infallibilem ipsi Jansenistæ fatentur: alias quæstiones *facti*, quæ non dogma in se, sed ut prolatum ab homine, vel scriptis expressum attingunt. Facta hujusmodi alia esse personalia, quæ, nulla facta dogmatis complexione, personam duntaxat spectant, ut si quæritur, num

Jan-

Janſenius ſit auctor hujus libri: alia dogmatica, quæ cum jure ſeu dogmate ſunt conjuncta, ut ſi quæras, an hæ propoſitiones ſint hæreticæ in ſenſu hujus auctoris vel libri. Hoc ergo notato,

Reſp. *ad primum cum diſt.* Plures auctores tradunt judicium Eccleſiæ eſſe fallibile in quæſtionibus facti pure perſonalis, & quidem talis duntaxat, quod pendet ex incertis principiis, rumore vulgi, teſtimonio hominum, & opinione ſcriptorum, concedo: in quæſtionibus facti doctrinalis & dogmatici, nego. Si enim Eccleſia infallibilis eſt in quæſtionibus juris ob aſſiſtentiam Spiritus Sancti ei promiſſam, an non etiam in quæſtionibus facti dogmatici? Si damnare poteſt propoſitionem aliquam, judicando ex ipſius verbis, obvium ſenſum eſſe hæreticum, an non damnare poterit etiam doctrinam alicujus libri, de qua judicare poteſt ex verbis & textu ipſius? An non divina aſſiſtentia Eccleſiæ regimini neceſſaria eſt tam in damnando novo aliquo dogmate, quam in cenſurando libro, ex quo illud derivatur? cum periculum ſubverſionis fidelium, quæ præberetur ſi Eccleſia falſum dogma conſecraret, non minus adeſſet, ſi hæreticum librum tanquam catholicum approbaret. Accedit praxis Eccleſiæ, qua in damnatione hæreſum damnati ſunt illarum auctores, quæſtione facti nunquam a quæſtione juris diſtincta, de qua fuſius, ut dixi, in tract. de fide. Ad id quod additur, dico: poſt conſultationem Epiſcoporum Galliæ, adhibitam fuiſſe Romæ diligentiam, qua major deſiderari non poterat, in libro Janſenii expendendo, facileque fuiſſe deprehenſum, ex quo fonte virulentæ iſtæ propoſitiones emanent. Si enim vel ſub vigente ſancta delectatione, vel ſub vividiore concupiſcentia neceſſario ſuccumbit liberum arbitrium, prout docuit Janſenius, colligi facile poterit, quem ſenſum ille in ſuo libro intenderit.

 Ad

Ad 2*dum* distinguo assertum: sensus auctoris intus latens, retentus, & non verbis expressus est quid internum, de quo non potest judicare Ecclesia, conc. sensus obvius & verbis expressus, nego. Non judicat Ecclesia de sensu interno, sed de sensu obvio verborum, & propositionum in libro contentarum. Ad 3*tium* dico: novum quidem esse factum istud, si spectetur scriptio libri, quo sensu nova fuit quævis hæresis, ut primum spargebatur; at novum non est spectata fidei doctrina, quæ adversa est dogmatibus perpetuo in Ecclesia saltem implicite creditis. Ad 4*tum* aio: exemplum allatum esse contra Jansenianos. Quæstio erat facti dogmatici, an in tribus capitulis contineatur hæresis Nestoriana, & tamen tria ista capitula damnata sunt a Synodo 5ta, & a summis pontificibus: cur ego Ecclesia non poterit similiter firmum judicium pronuntiare de assertis Jansenianis? Ceterum Vigilius Papa nunquam approbavit tria capitula, sed tantum cavit, ne quid agatur contra definitionem Concilii Chalcedonensis, quod tria ista capitula non discussit, sed tantum in suas sedes restituerat Theodoretum & Ibam Nestorium ejurantes. De facto Honorii dixi in tract. de Incarnat. Controversia 3. num. 19.

CAPUT VI.

DE VARIIS NATURÆ HUMANÆ STATIBUS RELATE AD GRATIAM.

XXXV. Nomine *status* significamus certam conditionem, seu modum se habendi totius naturæ humanæ, in ordine ad finem suum ultimum, secundum legem Divinæ providentiæ: sicque quia generatim duplex est ordo hominis ad ultimum finem, quo vel jam fruitur, vel ad quem tendit; propterea duplex distinguitur hominis status, unus termini seu

pa-

patriæ, qui proprius eſt beatorum, alter *viæ*, ſeu progreſſionis ad terminum, de quo duntaxat hic agimus.

Triplex præcipue diſtingui ſolet ſtatus viæ. Primus eſt *naturæ puræ*, qui de facto non fuit, in quo naſceretur homo cum facultatibus & perfectionibus ſibi naturaliter debitis, absque gratia & peccato, citra ordinationem ad finem ſupernaturalem, obnoxius tamen morti, ceterisque miſeriis, quæ naturam ipſam conſequuntur. Secundus eſt *naturæ integræ*, in quo homo habet ultra naturales perfectiones perfectam ſubjectionem appetitus ad rectam rationem, ipſiusque rationis ad Deum cum exemptione a doloribus, ceterisque infirmitatibus. Subdividi poteſt in elevatum ad finem ſupernaturalem, qualis erat ſtatus juſtitiæ originalis in primis parentibus, & non elevatum ad ſupernaturalia, ſed ſolum ordinatum ad beatitudinem naturalem, qualis eſt poſſibilis. Tertius eſt *naturæ lapſæ*, in quo homo juſtitiam, quam in primo homine acceperat, per ejus peccatum perdidit. Subdividi poteſt in ſtatum naturæ lapſæ, & per Chriſtum reparatæ quoad infirmitatem culpæ, licet non quoad infirmitatem concupiſcentiæ & mortalitatis, qualis eſt in juſtificatis: & non reparatæ, qualis eſt in poſteris Adæ ante baptiſmum. De his ſtatibus erit hic diſſerendum; & etſi de ſtatu naturæ puræ in tract. de Deo occaſione conditionis primi hominis nonnulla ſint explicata, ea tamen quæ ad præſens inſtitutum pertinent, contra Janſenium ſunt perſequenda uberius.

§. I.

De ſtatu naturæ puræ.

Janſenius tribus libris, quos de *ſtatu naturæ puræ* ſcripſit, fuſe oſtendere conatur non potuiſſe hominem innocentem abſque gra-

gratia ſanctificante & ordinatione ad finem ſupernaturalem creari, eo quod oppoſita ſententia ſapiat errorem Manichæorum aſſerentium Deum eſſe auctorem naturæ alicujus malæ, imo fuerit inter præcipuos errores Pelagii ab Auguſtino refutatos; ex quo contendit felicem illum ſtatum, in quo primus homo conditus eſt cum integritate & juſtitia originali, connaturalem illi fuiſſe, ut aliter creari nequiverit, nec ſubjici communibus miſeriis animi & corporis. In hoc putat ſcholaſticos a doctrina Auguſtini receſſiſſe, filumque traditionis antiquæ abrupiſſe. Præiverat autem Janſenio Baius, cujus ſequentes ſunt propoſitiones: 21. *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* 27. *Integritas primi hominis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.* 53. *Non potuiſſet Deus ab initio talem hominem creare, qualis nunc naſcitur.* Idem continent propoſitiones 23. 24. 78. 79. Contra igitur ſit ſequens

ASSERTIO

Potuit Deus primum hominem condere abſque omni ordine ad gratiam, & ſine dono integritatis.

XXXVI. Prima pars de ſtatu gratiæ probatur I. ex prop. Bajanis ſupra citatis & per Bullam Pii V. proſcriptis. II. Ex S. Auguſtino, de quo inaniter gloriatur Janſenius. D. Doctor lib. 2. alias 3. contra Maximin. cap. 15. probans Filium Dei, ſi non eſt ejusdem cum Patre ſubſtantiæ, non eſſe filium natura ſed gratia, exemplum ponit in homine, dicens: *homo ad ſimilitudinem Dei factus . . . ideo fit gratia filius, quia non eſt natura.* Si ergo filiatio Dei adoptiva per gratiam homini convenit *non natura ſed gratia*, noneſt

na-

naturalis, ſed gratioſe conceſſa, adeoque potuit ſine illa creari. Idem docet Angelos, ac proinde multo magis homines, potuiſſe creari ſine gratia; nam lib. 12. de civit. Dei cap. 9. ita ait: *creavit Deus* (Angelos) *ſimul eis & condens naturam & largiens gratiam.* En gratiam non ex naturæ debito, ſed ex largitate. Deinde dicit ad Angelos tunc pertinuiſſe, quod de hominibus dicitur: quod *charitas Dei ſit diffuſa in eis per Spiritum S. qui datus eſt eis*, ſentit ergo charitatem tam Angelis quam hominibus concedi dono Spiritus Sancti, non debito naturæ. III. Janſenius lib. 1. de ſtatu naturæ puræ cap. 15. tum lib. 2. cap. 2. & 3. fatetur, naturam humanam ex ſe ordinari ad viſionem Dei tanquam finem naturalem: ergo homo ſaltem innocens vires & media habere debet naturalia ad eum aſſequendum. At hoc tanquam Pelagianum rejecerunt Concilia & Patres, qui negarunt gratiam eſſe pure naturalem, ſed eam conſtituerunt in dono naturæ ſuperaddito, ſuperante omne illius debitum & exigentiam.

Probatur pars altera de dono integritatis I. ex prop. 27. Baji damnata. II. Auctoritate S. Auguſtini l. 5. contra Julian. c. 16. ita ſcribente: *gratia Dei magna ibi erat, ubi animale corpus libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus gratia non habebat in nudo corpore, quod puderet, ſpoliatus gratia ſenſit, quod operire deberet.* Si magna gratia fuit hominem ante peccatum libidinem non habuiſſe; ergo talis defectus carentia naturæ ejus erat indebita; ergo cum tali vitio creari potuit ante peccatum. III. Nulli naturæ naturaliter debetur remedium & exemptio a defectu, qui ipſi eſt connaturalis, ſicut naturæ corruptibili non debetur naturaliter exemptio a corruptione: at donum integritatis, nempe perfecta ſubjectio appetitus ad rationem, eſt exemptio a defectu naturali; cum enim homo

naturaliter habeat inclinationem ad bonum honeſtum & rationi conſonum, & ſimul ad bonum ſenſibile & delectabile, quod interdum rationis legibus prohibetur, inter has ſane inclinationes neceſſe eſt naturaliter pugnam & conflictum oriri.

Ceterum ut occurramus variis dictis Patrum, qui videntur aſſerere, dona gratiæ & integritatis primo homini naturalia fuiſſe, ut Cœleſtini ad Epiſc. Gall. dicentis: *in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem poſſibilitatem & innocentiam perdidiſſe*, & Auguſtini dicentis Adam amiſiſſe *poſſe naturæ & poſſibilitatem naturalem;* obſervandum eſt *naturale* non ſolum dici id quod naturaliter exigitur, ſed id etiam, quod cum naturæ conditione eſt acceptum, ſeu ſit debitum, ſeu indebitum. Hoc ſenſu dicit Apoſtolus: *eramus filii iræ natura*, non quia hoc a natura, vel naturæ debitum ſit, ſed quia cum natura filii iræ ſumus effecti.

Reſolvuntur momenta Janſenii.

XXXVII. Quoad dona gratiæ petit fundamentum Janſenius ex ordine creaturæ rationalis ad Deum ut finem ultimum. Non enim poteſt homo innocens creari incapax veræ beatitudinis aſſequendæ; atqui homo ſine donis gratiæ eſſet incapax veræ beatitudinis; quod ita probat: nullus poteſt eſſe vere beatus, niſi ſincero amore Deo ultimo ſuo fini adhæreat, ut docet Auguſtinus *lib.* 12. *de civit. cap.* 1. & alibi ſæpius; ſed amor Dei non poteſt haberi abſque beneficio gratiæ: ergo. Neque juvat diſtinguere duplicem amorem naturalem & ſupernaturalem; talis enim diſtinctio, ait Janſenius, humanum pronunciatum eſt a philoſophis adinventum, cujus nec in ſacris literis, nec Conciliis, nec PP. extat veſtigium.

Reſp.

Resp. dist. maj. Non potest creari homo incapax veræ beatitudinis sibi debitæ ex principiis suæ naturæ, conc. sibi indebitæ & ad quam ex gratuita Dei voluntate assumitur, nego. Non potest homo innocens creari absque ordinatione ad beatitudinem aliquam; sed hæc potest esse duplex, naturalis consistens in adhæsione Deo per cognitionem & amorem viribus naturæ possibilem, & supernaturalis consistens in visione Dei clara & amore beatifico. In hypothesi ergo puræ naturæ homo conditus esset ad priorem beatitudinem sibi debitam, non ad alteram ex viribus naturæ indebitam; nam ut Apostolus ait *gratia autem Dei vita æterna.* Fundamentum distinctionis amoris in naturalem & supernaturalem habemus ex Concil. Arausic. II. Can. 25. & Trident. Sess. 6. can. 3. ubi statuitur neminem posse diligere Deum *sicut oportet ad salutem* sine prævenientis Spiritus Sancti gratia; cur autem hæc limitatio poneretur, si nullus alius esset possibilis amor nisi supernaturalis & ad salutem conducens. Hinc merito proscriptæ sunt propositiones Baji 34. 36. 38.

Sed dices I. Visio beata est naturaliter debita creaturæ rationali utpote finis ejus ultimus: ergo eam illi negare non potest Deus absque prævia ejus culpa. Antec. prob. ex S. Augustino *l.* 1. *contra* 2. *Epist. Pelag.* & *l.* 1. *contra Julian. cap.* 3. ubi reprehendit Pelagianos, quod dicerent infantes nasci sine peccato originali, & tamen morientes sine baptismo excluderent a regno cœlorum; at hæc reprehensio non teneret, nisi regnum cælorum esset naturaliter debitum homini omni culpa vacuo. *Resp.* S. Doctorem loqui de statu præsenti, in quo supponitur homo elevatus ad finem supernaturalem, qui est possessio Dei clare visi in regno cælorum; supposita autem tali ordinatione non potest Deus juste hominem ab ea rejicere, nisi in pænam alicujus culpæ.

Dices 2do. Amor Dei ſuper omnia ſimpliciter haberi non poteſt citra gratiam Dei; ergo ſine hac homo creari non poteſt. Antec. prob. Præcipuus Pelagii error fuit, quod diceret amorem Dei poſſe haberi viribus naturæ; hinc D. Auguſtinus l. de grat. & lib. arb. cap. 18. *unde eſt*, inquit, *in hominibus charitas Dei & proximi niſi ex ipſo Deo? nam ſi non ex Deo, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* & lib. de nat. & grat. dicit eos, qui nihil de Chriſto agnoverunt, quique ſolum credere poſſunt in Deum ſui auctorem, & recte vivendo ejus implere voluntatem, neque hoc facere poſſe abſque gratiæ divinæ beneficio. Quod & gentiles agnoverunt, nempe amorem, quo Deus naturali lumine cognitus eſt diligendus, non poſſe hominibus ineſſe absque gratia Dei, ut teſtatur D. Doctor lib. 4. contra Julian. cap. 3. *Reſp.* Errorem Pelagii non fuiſſe, quod diceret naturæ viribus elici poſſe amorem Dei auctoris naturæ ſuper omnia, ſed quod aſſereret ſolis naturæ viribus ſine gratia haberi poſſe amorem Dei etiam auctoris ſupernaturalis & talem, qualem oportet eſſe ad juſtificationem; contra quem errorem pugnabat Auguſtinus. Is ergo in locis cit. loquitur de fide, aliisque operibus ad finem ſupernaturalem tendentibus, ad quæ certe gratia eſt neceſſaria. Gentiles autem voluerunt quidem amorem Dei haberi non poſſe abſque beneficio Dei, non quidem ordinis ſupernaturalis, nam de hoc nullam habuerunt cognitionem; ſed ordinis naturalis, quod eſſet effectus illius providentiæ, quæ limites ordinis naturalis non tranſcendit.

Dices 3tio. Homo creari non poteſt in illo ſtatu, in quo adjunctam habet impotentiam exercendi opera virtutum, & obtinendi rectitudinem ac juſtitiam: ſed talis ſtatus eſt ſine gratia, cum teſte Auguſt. quidquam veræ rectitudinis, vir-

tutis & justitiæ sine gratia sanctificante haberi non possit, ut docet lib. 1. retract. cap. 9. *Resp.* neg. min. Plures homines etiam in statu naturæ lapsæ, extra statum gratiæ sanctificantis, imo & fidei, exercent opera virtutis laude digna. Id fatetur D. Doctor lib. de Sp. & litt. c. 27. de infidelibus inquiens: *quædam facta vel novimus vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum & merito laudamus.* Et rationem dat, *quia non omni modo deletum est, quod ipsi per imaginem Dei impressum est.* Si ergo hoc in statu naturæ corruptæ contingit; quanto magis fieri potest in statu puræ naturæ nullo peccato vitiatæ. Quare dum alibi dicit nullam esse veram virtutem sine gratia, loquitur non absolute, sed comparate ad veram felicitatem contra Pelagianos, qui voluerunt virtutes viribus naturæ sine gratia esse veras virtutes, & ad salutem aliquomodo viam aperire.

Dices 4to. Gratiæ repugnat quidem debitum ortum ex jure seu opere creaturæ, non tamen debitum decentiæ & æquitatis; unde quamvis gratia non debeatur homini innocenti ex jure creaturæ, debetur tamen titulo bonitatis & sapientiæ divinæ. Addit Jansenius, quod sicut scholastici dicunt gratiam sufficientem esse gratiam absolute, & tamen debitam esse homini etiam in statu naturæ lapsæ, cum Deus non possit impossibilia jubere, ita dici possit gratiam debitam esse homini innocenti, quia decet divinam sapientiam & bonitatem creare hominem cum gratia & ordinatione ad finem supernaturalem. *Resp.* Posse Deum absque læsione suæ bonitatis id omne negare, quod pure gratuitum est & ex puro suo beneplacito pendet. Ad id quod additur dico: gratiam sufficientem non esse debitam inde, quod eam homo absolute exigat, aut ad eam ordinari debeat; sed ex gratuita duntaxat suppo-

 sitio-

ſitione, qua Deus hominem ordinavit ad finem ſupernaturalem, præcepitque ut ad illum tendat; hac facta ſuppoſitione Deo prorſus libera, quis non videt fieri debita homini media, ſine quibus finem illum obtinere non poteſt? At in theſi Janſenii gratia ponitur homini debita abſolute, & ipſa elevatio ad finem ſupernaturalem ita ei conveniens ſtatuitur, ut ab eo Deus niſi in pænam peccati abſtinere non poſſit.

XXXVIII. Quoad donum integritatis opponit Janſenius I. ſi homo innocens poſſet creari ſine dono integritatis cum concupiſcentia, hæc foret a Deo; ſed concupiſcentia non eſt a Deo, ſed a peccato, ut paſſim docet Auguſt. in *libris contra Julian. & de nuptiis & concupiſc.* II. S. Auguſt. l. 4. cont. Jul. c. 14. docet concupiſcentiam *contrariam eſſe dilectioni ſapientiæ & virtutibus inimicam*; atqui hæc non poteſt eſſe a Deo. III. Sine culpa ſua nemo poteſt eſſe miſer: atqui ſi homo foret ſine dono integritatis, ſine culpa ſua foret miſerrimus: namque non poſſet implere legem naturalem, nec proinde vitare peccata propter ignorantiam & concupiſcentiam, quæ ſine gratia moralem peccandi neceſſitatem inducunt.

Reſp. ad 1*mum diſt. maj.* Concupiſcentia, importans inordinatam cupiditatem boni delectabilis contrarii rationi, foret a Deo, neg. importans vim appetentem boni ſenſibilis naturæ convenientis, Conc. Accipitur concupiſcentia dupliciter, primo prout eſt inordinata cupiditas boni contrarii rationi, & hoc modo a Deo non eſt, ſed a peccato, in quo ſenſu eam accipit Auguſt. Secundo ſumitur pro potentia vel actu appetendi tantum ſenſibilia, & ſic nihil eſt aliud, quam potentia vel actus appetendi ea, quæ naturæ conveniunt, vel neceſſaria ſunt, & ſic naturam conſequitur, eſtque a Deo auctore naturæ. Neque obeſt, quod poſſit erumpere in actus inordina-

dinatos ; nam ſicut vita, ſenſus, intellectus, & voluntas ſunt naturales perfectiones nobis a Deo concreatæ, etſi voluntas poſſit ad malum, intellectus ad falſum declinare, ſenſus circa ſenſibilia deludi, & vita per mortem deſinere: ita potentia appetendi ſenſibilia erit potentia naturalis a Deo, etſi in motus vitioſos erumpere poſſit. Hoc enim modo defectus naturæ ſpectat ad potentiam peccandi, & præter intentionem Creatoris ex ſola materiæ corruptæ conditione oritur.

Ad 2*dum* Reſp. cum diſt. S. Auguſtinus docet concupiſcentiam eſſe inimicam virtutibus per accidens, conc. per ſe, nego. Duobus modis aliquid poteſt eſſe inimicum virtuti, ſeu inclinare ad malum morale, nempe per ſe, & per accidens: per ſe quidem, cum ex nativa ſua conditione ad malum impellit, ut eſt habitus vitioſus, qui ex ſe determinatus eſt ad malum, & quo bene uti non poſſumus: per accidens vero, cum nec ex intentione creatoris, nec ex natura operis, ſed tantum ex imperfectione ſubjecti in quo eſt ad malum propellit. Talis eſt concupiſcentia naturaliter conſiderata, quæ ex intentione Creatoris & ex natura operis eſt tantum inclinatio ad bonum ſenſibile; quod vero hæc inclinatio mentem avertat a ſpiritualibus, ex ipſa hominis corruptione oritur & imperfectione, quæ non Creatoris eſt ſed creaturæ. Ad 3*tium* diſtinguo maj. Nemo ſine ſua culpa poteſt eſſe miſer miſeria proprie dicta, quæ habet rationem pænæ, concedo: miſeria improprie dicta, quæ eſt naturalis defectus, nego. Ad id quod additur, dico in hypotheſi illius ſtatus poſſe hominem moraliter etiam ſervare totam legem naturalem, cum tunc non foret tanta ad bonum difficultas, quanta nunc eſt ob corruptionem naturæ per peccatum originale inductam.

§. II.

§. II.

De ſtatu naturæ integræ & lapſæ.

XXXIX. Duo hic tanquam certa ſuppono: inprimis Adamum in primævo ſuo ſtatu habuiſſe gratiam ſanctificantem ſeu habitualem, ut docui in tract. de Deo controverſia 4. num. 30.; deinde ipſi ad bene operandum neceſſariam fuiſſe gratiam actualem, cum juxta canonem 19. Concilii Arauſicani natura humana nullo modo ſe ipſam *Creatore ſuo non adjuvante* ſervaret, etiamſi in illa integritate, in qua condita eſt, permaneret. Quæſtio duntaxat movetur de diſcrimine inter gratiam ſanitatis, quam habuit primus homo, & gratiam medicinalem, quæ datur hominibus in ſtatu naturæ lapſæ; circa quod diſcrimen variæ ſunt Auctorum opiniones.

Janſenius id diſcriminis ponit inter gratiam ſanitatis & medicinalem, ut velit illam fuiſſe ex ſe indifferentem, cui voluntas pro arbitrio ſuo poſſit obtemperare vel reſiſtere: hanc vero adeo robuſtam & validam eſſe, ut voluntas ei reſiſtere & contraniti non poſſit; hujus autem neceſſitantis gratiæ exiſtentiam & neceſſitatem deſumit ex infirmitate & corruptione voluntatis humanæ per originale peccatum Sauciatæ, quæ cum in bonum terrenum tota propenſa ſit & incurvata, in Deum erigi non poteſt niſi vi quadam inſuperabili & dominante adjuvetur, unde fit, ut cum nulla in homine innocente eſſet corruptela, nullam in eo gratiæ victricis, ſed ſolius gratiæ ſufficientis & indifferentis neceſſitatem agnoſcat. Porro gratiam naturæ ſanæ vocat *adjutorium ſine quo*, & gratiam naturæ corruptæ *adjutorium quo*, quam diſtinctionem ex lib. de corrept. de grat. cap. 12. deſumptam ubique deprædicat Janſenius, eamque dicit eſſe fundamentum totius doctrinæ Auguſti-

nia-

nianæ. Ex hoc diſcrimine duo præcipue deducit ſyſtematis ſui capita: primo in præſenti ſtatu naturæ lapſæ per gratiam efficacem induci in homine neceſſitatem antecedentem, & ineluctabilem, eo quod ſemper conjunctam habeat indeliberatam & relative ſuperiorem delectationem, ſecundum quam hominem ſemper agere eſt neceſſe: ſecundo non aliam dari gratiam, quam efficacem, & pure ſufficientem prorſus eſſe exterminandam.

Qui Auguſtinianæ doctrinæ ſectatores & interpretes ſe eſſe gloriantur, ſtatuunt pro præſenti naturæ vitiatæ conditione gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, non quidem neceſſitantem, ut aiunt, ſed infallibiliter operantem bonam voluntatem: ubi vero de ſtatu primi hominis & naturæ innocentis loquuntur, gratiam ex natura ſua indifferentem admittunt, atque ita putant ſe deprehendiſſe diſcrimen inter gratiam utriusque ſtatus, de quo tantopere loco cit. loquitur Auguſtinus. Thomiſtæ putantes ad omne opus ſalutare neceſſariam eſſe gratiam præmotionis, inter hominem lapſum & ſanum diſcrimen non in eo ſitum putant, quod homo ſaucius egeat *adjutorio quo*, homo autem ſanus eo non indiguerit; ſed in hoc quod homo ſaucius egeat adjutorio ſanante vulnus concupiſcentiæ, homo autem ſanus tali adjutorio non eguerit. Tournelyus, Simonettus & alii inter gratiam ſanitatis, & medicinalem diſcrimen in eo ponunt, quód illa poſita fuerit in ſola ſupernaturali mentis illuſtratione: hæc vero conſiſtat tum in illuminatione mentis, tum in motione voluntatis. Demum alii gratiam medicinalem in eo diſcrepare putant a gratia ſanitatis, quod illa non ſolum illuſtret intellectum & moveat voluntatem (id quod gratiam ſanitatis arbitrantur etiam præſtitiſſe) ſed etiam quod depellat cæcitatem mentis & frenet rebellem con-

cupiſcentiam, eoque longe ſit potentior quam gratia ſanitatis. Porro ſpecialia dogmatis Janſeniani capita, & varias de natura gratiæ efficacis ſcholaſticorum opiniones hic non diſcutiemus, de quibus in decurſu ſuus erit dicendi locus: in una ergo verſabimur diſtinctione adjutorii utriuſque ſtatus, de qua ſit.

ASSERTIO I.

Gratia naturæ lapſæ non differt a gratia naturæ innocentis, quod hæc fuerit pure ſufficiens, illa vero neceſſario & ab intrinſeco victrix.

XI. Probatur I. Janſeniana diſtinctio inter gratiam utriuſque ſtatus ſumitur potiſſimum ex lib. Auguſtini de corrept. & grat. ubi cap. 11. & 12. D. Doctor diſtinguit inter adjutorium *ſine quo non*, & adjutorium *quo*, illudque dicit primo homini datum, hoc vero dari homini lapſo ad perſeverandum: atqui inde nullum fundamentum hujus diſtinctionis gratiæ ſumi poteſt: ergo. min. prob. *Primo*, S. Doctor citato loco gratiam Adamo innocenti datam non comparat cum gratia qualibet medicinali, ſed cum ea tantum, quæ datur Electis ad perſeverandum in ſtatu juſtitiæ, ut vel ex prima capitum lectione patebit. *2do*, docet quidem gratiam Adamo datam diverſam fuiſſe a gratia, quæ datur modo Electis: at minime docet in eo diſparem fuiſſe, quod Adamus ei obtemperare vel refragari pro arbitrio poſſet, Electi vero non poſſint refragari, imo docet, aliis in locis conſentire vel diſſentire propriæ eſſe voluntatis. *3tio*, diſcrimen gratiæ ſanitatis a gratia medicinali repetit S. Doctor a diſparitate ſtatuum naturæ innocentis & lapſæ, & hanc diſparitatem non conſtituit in eo, quod homo in primo ſtatu habuerit indifferentiam circa bonum & malum, in ſecundo vero non amplius habeat, ſed in eo quod in ſecundo ſtatu continuo obnoxius ſit concupiſcentiæ nobis, a quibus in primo liber erat propter donum integritatis. Hinc autem ſe-

ſequitur quod quidem homo in hoc ſtatu ad faciendum bonum, vitandumque malum egeat auxilio potentiore, non autem quod indigeat auxilio irreſiſtibiliter flectente, & applicante voluntatem. Ergo immerito dicitur S. Doctor in eo collocare diſcrimen utriuſque gratiæ.

Prob. II. Tunc gratia naturæ lapſæ non differt a gratia naturæ innocentis in eo, quod hæc fuerit pure ſufficiens, illa vero efficax, quando adjutorium *quo* ſeu efficax datur etiam in ſtatu naturæ integræ, & adjutorium *ſine quo non*, ſeu ſufficiens datur etiam in ſtatu naturæ lapſæ; at ita eſt: ergo. min. prob. Adjutorium *quo* eſt, quo aliquid fit, & adjutorium *ſine quo non* eſt, ſine quo aliquid non fit, & quo aliquid fieri poteſt; ſic enim loquitur D. Doctor lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Ipſa adjutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit:* at adjutorium *ſine quo non* datur in ſtatu naturæ lapſæ etiam peccatoribus & non perſeverantibus; & adjutorium *quo* datum eſt in ſtatu naturæ integræ Angelis perſeverantibus: ergo &c.

ASSERTIO II.

Gratia medicinalis non differt a gratia ſanitatis per motionem voluntatis ſibi ſuperadditam, ſed ex eo quod contra ignorantiam & concupiſcentiam per peccatum originis inductam potentior ſit & uberior.

XLI. Quoad priorem partem probatur Aſſertio I. tunc gratia medicinalis non differt a gratia ſanitatis in eo, quod prior ſolam mentis illuſtrationem includeret, poſterior vero & mentis illuſtrationem, & motionem voluntatis, quando gratia data Adamo includebat etiam motionem voluntatis prævi-am & indeliberatam; at hoc ita eſſe probatur ex Auguſtino. Is lib. 14. de civit. Dei cap. 13. ait: *ſi voluntas* (Adæ inno-

centis) *in amore incommutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendam averteretur.* En Adamus in statu innocentiæ a Deo immediate non tantum accipiebat illustrationem, qua videret bonum, sed & motionem voluntatis indeliberatam, qua accenderetur ad illud amandum. Idem D. Doctor l. 12. de Civ. cap. 9. hæc habet: *Si Angeli boni fuerunt prius sine bona voluntate, eamque in se ipsis Deo non operante fecerunt: ergo meliores a se ipsis quam ab illo facti sunt? absit.* Et infra: *profecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris habere non possent . . . quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi Deus ex se ipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem.* Demum sic concludit: *confitendum est ad sanctos Angelos pertinere illud, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis.* En D. Doctor hic loquitur de auxilio elevante & adjuvante immediate voluntatem, quo meliores facti sunt Angeli adhærendo Deo, & perseverando in bono. Item per charitatem Dei diffusam notat gratiam actualem voluntatem immediate moventem; nam aliis locis hæc verba adhibet ad probandam necessitatem gratiæ inspirationis ad opus salutare peragendum. Ergo gratia data Adamo & Angelis includebat etiam motionem voluntatis.

Probatur 2do. In statu naturæ innocentis intellectus indiguit illustratione supernaturali, ita ut homo etiam instructus habitibus supernaturalibus non potuerit excitare cognitionem supernaturalem; ergo etiam indiguit motione supernaturali, ita ut non potuerit absque hac elicere dilectionem Dei supernaturalem: etsi enim in illo statu par fuerit sanitas intellectus & voluntatis, tamen voluntas non potest aliquo modo determinare habitus supernaturales ad actus suos; nisi sit elevata & mo-

mota per adjutorium ſibi proprium, ſicut intellectus non poteſt determinare habitum fidei ad actus ſuos, niſi adjuvetur & excitetur illuſtratione ſupernaturali.

Aſſertio jam prob. quoad alteram partem. Gratia medicinalis eſt ea, quæ medetur infirmitati ortæ ex peccato Adami; ſed hæc differt a gratia ſanitatis in eo, quod ſit contra ignorantiam & concupiſcentiam potentior ac uberior: hæc nempe depellit cæcitatem mentis, tribuitque lumen veritatis, evertendo falſas, quas dictat prudentia, carnis rationes, & ſuggerendo vera motiva; dein frenat concupiſcentiam, tribuendo voluntati rectitudinem, ac robur ad illam vincendam. Hinc Auguſtinus l. de corrept. & grat. ait: *Quid ergo? Adam non habuit gratiam? imo vero habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ de bonitate ſuæ conditionis acceperat . . Sancti vero in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad Deum, libera nos a malo . . . ille non opus habebat eo adjutorio quod implorant iſti, cum dicunt, video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ . . . quoniam in eis caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Ex quibus patet nos modo egere gratia, quæ frenet concupiſcentiam, & voluntatem adverſus eam roboret, ac proinde quæ ſit potentior motione data Adamo in ſtatu innocentiæ, quæ voluntatem elevabat duntaxat & movebat ſupernaturaliter, non roborabat adverſus concupiſcentiam, qua erat immunis.

Reſpondetur Objectis.

XLII. Præcipuum, ut dixi, opinionis ſuæ fundamentum petunt Janſeniani ex S. Auguſtino *lib. de corrept. & grat. cap.* 10. 11. & 12. Ibi enim (cum Monachi quidam Adrumetini lecta Auguſtini ſententia de gratia efficaci & de electione

gratuita moverentur, putantes neminem ob transgressionem legis esse corripiendum, cum excusari possit quod destitutus sit illa gratia, sine qua opus salutare non perficitur, & quæ non omnibus præparatur) Augustinus docet correptioni locum superesse, quoniam ita constituit Deus rationalem creaturam, ut largiretur gratiam, qua posset in accepta justitia perseverare si vellet. Ait potuisse Adam eodem adjutorio suffultum perseverare, ideoque esse corripiendos qui gratiam perseverantiæ non habent, quia ea caret ob peccatum primi hominis. Huic malo subventum esse gratia uberiore, quæ non solum dat posse, sed etiam velle: hanc tamen divina misericordia uni & non alteri inscrutabili Dei judicio præparari. Quare qui non habet donum perseverantiæ, eo caret in pænam peccati, & juste corripitur: qui habet, habet ex dono misericordiæ. Hæc est summa doctrinæ Augustinianæ;

Unde Arguunt I. Juxta Augustinum gratia primo homini data est ea, *qua fit ut homo habeat justitiam si velit: secunda plus potest, qua etiam fit, ut velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria sentientem voluntate spiritus vincat.* Ergo in eo differunt gratia sanitatis & medicinalis, quod illa Adamo relinqueret potestatem agendi vel non agendi, hæc vero voluntatem flectat ad bonum non relicta indifferentia activa.

II. S. Doctor distinguit duo adjutoria nempe adjutorium *quo*, & *sine quo non*: secundi generis dicit esse alimenta, sine quibus vivere non possumus, sed quibus, etsi adsint, non necessario fit ut vivamus: Primi generis ait esse beatitudinem, qua necessario fit, ut homo sit beatus: demum dicit adjutorium Adamo datum ad perseverandum in statu innocentiæ fuisse adjutorium *sine quo non*; adjutorium vero quod electis datur

tur ad perseverandum in statu gratiæ, esse adjutorium *quo.* Hinc ita argues: adjutorium Adamo datum fuit gratia sanitatis, & adjutorium Electis in statu naturæ lapsæ concessum est gratia medicinalis: atqui Adjutorium Adami est tantum id, cum quo homo perseverare potest, adjutorium Electorum est illud, quo perseverat & quidem tanta necessitate, quanta necessitate beatus est, cum data fuerit beatitudo; ergo

III. Dum S. Doctor dicit *perseverare vel non perseverare in arbitrio primi hominis esse relictum*, loquitur per oppositionem ad Electos hujus status, quibus proinde putat non committi arbitrium perseverandi vel non perseverandi: nam loco citato hæc habet: *nunc autem postquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda mansit infirmitas.* Item: *Si in tanta infirmitate ipsis relinqueretur voluntas sua, perseverare non possent.* Rursum: *subventum est infirmitati, ut voluntas divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur.* Addit: *permisit* (Adamo) *facere quod vellet: infirmis servavit, ut ipso donante invictissime bonum vellent.* Demum docet beatitudinem in lapsis amisso per peccatum merito factam esse *donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat* Adamo, si stetisset, quia per liberum arbitrium meritus esset vitam beatam, quæ Electis nunc datur tanquam gratiæ donum.

His objectis ut satisfiat, resp. ad I. dist. antec. secunda gratia fit etiam, ut homo velit voluntate libera tantum a coactione, & non expedita ad utrumque, nego: voluntate libera a necessitate, & ad utrumque proxime expedita, Conc. Augustinus impugnans Pelagianos non negavit eam libertatem, quæ esset ad utrumque indifferens, & quam ipsi Pelagiani admiserunt, ut alibi diximus: quare dum agit de gratia Electorum pro hoc statu, non vult eam esse talem, quæ inducat ne-

necessitatem antecedentem & invincibilem, sed quæ datur contra rebellem concupiscentiam in his circumstantiis, in quibus facit, ut Electi velint, tantoque ardore diligant justitiam, ut voluntatem carnis contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincant. Discrimen ergo inter gratiam sanitatis & medicinalem in eo est, quod illa Adamo data fuerit vere quidem sufficiens, sed incongrua; hæc vero, quæ datur Electis in hoc statu, non modo vere sufficiens, sed etiam congrua sit, quia Electis datur, quomodo illis aptum est, ut velint & consentiant.

Ad II. Ut respondeamus, explicandum est quid Augustinus per celebrem illam distinctionem adjutorii *quo*, & *sine quo non* intelligat. Per adjutorium sine quo non datum Adamo ad perseverandum intelligit auxilium actuale, sine quo ille non poterat, & quocum poterat si vellet perseverare, unde quia non voluit, non perseveravit. Per adjutorium quo, quod Electis datur ad perseverandum in statu justitiæ, non tam intelligit auxilium actuale, sed ipsam finalem perseverantiam, hoc est, ipsum vitæ terminum, quem Deus illis misericorditer procurat eo tempore, quo in statu justitiæ sunt, sine quo vitæ termino in hoc statu nemo potest esse finaliter perseverans, & cum quo nemo potest non esse finaliter perseverans. Colligitur id ex ipsis S. Doctoris verbis: *nunc vero prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* En per donum perseverantiæ, quod datur Electis, notatur donum, cujus effectus formalis est facere hominem finaliter perseverantem, sicut effectus formalis beatitudinis est facere hominem beatum. At donum, quo dato homo fit formaliter & immediate perseverans finaliter,

est

eſt ipſe vitæ terminus homini a Deo procuratus in iis circumſtantiis, in quibus eſt juſtus. Ceterum etſi per adjutorium quo intelligamus actuale auxilium, ſequitur tantum diverſi generis gratias eſſe, alias mere ſufficientes, alias efficaces, & ſufficientem quidem datam eſſe Adamo ad perſeverandum; efficacem vero ac congruam dari Electis, qui perſeverant: non vero ſequitur nullam fuiſſe gratiam efficacem in ſtatu priori, & nullam eſſe ſufficientem in ſtatu naturæ lapſæ, prout volunt Janſeniani.

Hinc ad III. nego illatum. Auguſtinus ait in arbitrio primi hominis relictum eſſe perſeverare, vel non perſeverare, quia Deus ei tantum dedit gratiam ſufficientem: at vero in ſenſu ejusdem D. Doctoris Deus non comittit Electis arbitrium perſeverandi, quia per cæleſtem quandam ſuavitatem, qua placet eis juſtitia, ita eorum voluntatem accendit, ut ex propria ſua determinatione efficaciter velint, & credant, ac inſuper ut in bono perſeverent, procurat illis eum vitæ terminum, quo non niſi ſic credentes inveniuntur. Ex quo patet reſponſio ad adductas auctoritates:

Primo enim majora illa dona, quibus Electorum infirmitatem adjuvandam eſſe ait Auguſtinus, duo ſunt, nempe cæleſtis illa motio indeliberata, qua Deus in eis operatur velle, voluntatem eorum ita accendendo, quomodo ſcit eis congruere ut velint: & vitæ hujus exitum in iis circumſtantiis, in quibus non niſi in juſtitia inveniuntur, procurando. *Secundo*, juxta mentem S. Doctoris Deus non relinquit Electis voluntatem ſuam, quia in eis operatur velle efficaciter. *Tertio*, hæ voces *indeclinabiliter*, *inſuperabiliter*, dicuntur non relate ad voluntatem Electorum, quaſi agatur per gratiam invincibilem,

N cu-

cujus proinde motioni non possit resistere, sed relate ad tentationes hujus vitæ, a quibus vinci non potest. Itaque juxta mentem Augustini voluntas Electi gratia divina, etsi ex natura sua repudiabili, indeclinabiliter agitur, quatenus per illam ita congrue movetur ad volendam justitiam, ut eam velit efficaciter, atque ita ab ea non magis avocari possit per tentationes, quam potest idem simul velle & non velle. *Quarto*, Deus Adamo innocenti permisit facere quod vellet, quia in ejus voluntate non operatus est velle: Electis vero non permittit, quia donat illis, ut quod bonum est velint invictissime, id est efficaciter contra omnes hujus vitæ tentationes. Demum ex mente Augustini beatitudinem futuram fuisse mercedem Adamo, si perseverasset, quia in potestate ejus fuit perseverare, sibique & posteris mereri vitam æternam: at vero in potestate Electorum non est ita finaliter perseverare, ut moriantur potius eo tempore, quo sunt in justitia, quam alio quo invenirentur injusti; hoc enim pertinet ad potestatem solius Dei, cujus est unicuique hominum vitæ terminos præscribere. Plura ex eodem D. Doctore contra libertatem indifferentiæ pro statu naturæ lapsæ allegant Janseniani; sed quæ partim per decursum adferemus, partim ex iis colligi possunt, quæ pro libertate humana uberius dicta sunt in Tract. de actibus humanis.

CON-

CONTROVERSIA II.

DE

NECESSITATE GRATIÆ CHRISTI.

Egimus hactenus de Gratia Christi, & variis circa eam erroribus generatim: nunc speciales quæstiones tum eas, quæ ad fidei dogma pertinent, tum quæ salvo dogmate inter scholasticos agitantur, discutiemus, ac in præsenti quidem controversia de necessitate gratiæ agemus. Totum argumentum ad hæc universim capita revocatur: I. Utrum Gratia Dei necessaria sit ad omnes actus salutares, etiam ad initium fidei. 2do: an & qualis gratia necessaria sit ad perseverandum in accepta justitia usque ad finem vitæ. 3tio: an possit homo lapsus velle & facere bonum, sive justus sit, seu peccator, seu infidelis. 4to: an & qualis gratia requiratur ad bonum morale ordinis naturalis exercendum, ad observandam legem naturæ, ad vincendas tentationes, ad vitanda peccata.

CAPUT I.

UTRUM GRATIA CHRISTI NECESSARIA SIT, IN PRÆSENTI STATU, AD OPERIS SALUTARIS EFFECTIONEM, AUT SALTEM INCHOATIONEM.

I. Ex iis, quæ de hæresi Pelagiana, & Semipelagiana antea diximus, satis constat, qualis illorum hæreticorum, & præcipuus error fuerit. Negarunt nempe gratiam internam necessariam esse ad actus salutares, vel saltem ad initium fidei,

primosque ad salutem conducentes motus; prædestinationem ad gratiam ajebant fieri ex meritis prævisis per solas naturæ vires comparandis, aut saltem ex prævisa fide, cujus initium sit ex nobis: hinc inferebant hominem posse se aliquo modo disponere & præparare ad gratiam per solas naturæ vires. Hos errores ut refellamus, tria asserimus: primo, internam Christi gratiam ad singulos actus salutares, etiam ad initium fidei, esse necessariam: secundo, Prædestinationem ad gratiam ita gratuitam esse, ut sine ullis nostris naturalibus operibus detur: tertio, hominem nullo modo ex solis naturæ viribus se disponere ad gratiam. Triplicem hanc assertionem distinctis §. explicabimus.

§. I.

Demonstratur hominem lapsum non posse ullum bonum ad salutem conducens velle aut facere sine gratia.

II. Prob. I. ex Scripturis. Joan. 6. dicitur: *nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Quomodo autem trahit? per fidem. Ergo fides quæ est donum salutare est a solo Deo: unde ibidem: *hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.* Joan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Non ait: non potestis operari facile; sed nihil potestis, ut notat Augustinus l. de grat. cap. 29. Rursus 2. Corinth. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* Item 1. Corinth. 4. *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti?* Ex quibus sic arguimus: Qui non potest venire ad Deum, nisi ab eo trahatur; nec quidquam facere potest in negotio salutis, nisi juvetur a Christo; nec aliquid salutare potest cogitare, nisi ad id sufficientiam recipiat a Deo per Christum; nec ullum habet meritum,

quod

quod non receperit a Deo, ille non potest quidquam boni salutaris facere absque præveniente gratia Christi: at ex his locis homo lapsus talis est: ergo.

Hæc quidem generalia loca sunt contra Pelagianos; at specialia audiamus contra Semipelagianos. Apostolus ad Philipp. 1. ait: *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut credatis in eum, sed etiam ut patiamini pro eo.* Ad patiendum pro Christo requiritur gratia, ut admittebant Semipelagiani; pariter ergo requiritur ad credendum. Nam ut Augustinus arguit de Prædest. SS. cap. 2., *utrumque ostendit Dei donum, quia utrumque dixit esse donatum. Nec ait ut plenius & perfectius credatis in eum, sed ut credatis.* Ad Corinth. 1. c. 7. de se ipso dicit Paulus: *misericordiam consecutus sum a Domino, ut sim fidelis:* sed ut Augustinus eodem loco differit, *non dixit se misericordiam consecutum, ut fidelior, sed ut fidelis esset.* Sciebat ergo initium fidei donum esse sibi misericorditer collatum. Demum ait D. Doctor *quis non videt prius esse cogitare quam credere:* at Sancta cogitatio est donum gratiæ juxta illud: *non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* Erit igitur donum gratiæ ipsum credere. Hinc cum Apostolo *Coloss.* 4. oramus Deum, *ut nobis adaperiat ostium verbi sui*, nec orando petitur nisi quod ab illo donatur. His scripturarum testimoniis suffultam veritatem definiverunt Concilia, Palestinum, Milevitanum, Africanum IV. cum aliis, Arausicanum II. Tridentinum (vide canones num. 26. recitatos) eandemque sententiam tres summi, sanctissimique Pontifices, Innocentius, Zosimus, Celestinus rescriptis suis comprobarunt. Sed cum aliqui sint, qui vel cum Jansenio græcorum Patrum fidem in asserenda gratiæ necessitate suspectam reddunt, aut cum Launoio Augustinum nonnihil innovasse calumniantur, hinc

Probatur II. Teſtimoniis Patrum & latin. & græcorum. Juſtinus Apolog. 2. ait: *Ipſe perſuadet, atque ad fidem nos adducit.* Irenæus l. 4. adv. hæreſ. c. 9. *Sine Deo impoſſibile diſcere Deum.* Baſilius in Pſ. 115. *Fides Sancti Spiritus operationibus in nobis efficitur.* Greg. Naz. orat. 42. *Poſſibile non eſt mentis captivæ craſſitiem Deum concipere, niſi auxilio confortatam.* S. Ambroſius l. 2. in lucam c. 12. *Vides, quia ubique Domini virtus ſtudiis cooperatur humanis, ut nemo poſſit ædificare ſine Domino, nemo cuſtodire ſine Domino, nemo quidquam incipere ſine Domino.* S. Hieronymus l. 3. contra Pelag. *Hoc longa diſſertatione concluſum eſt, ut Dominus gratia ſua in ſingulis operibus juvet atque ſuſtentet.* De mente SS. Auguſtini, Proſperi, Fulgentii, & aliorum Auguſtino poſteriorum nemo dubius erit; de S. Chryſoſtomo inſra dicemus: & ſi veteres aliquando non tam aperte locuti ſunt, mirum non eſt: non enim diſputabant contra hoſtes Eccleſiæ, ſed conciones habebant ad populum, & ſecuri loquebantur.

Probatur III. rat. Theologicis. Prima ſit: media debent eſſe proportionata fini, & ejusdem ordinis cum illo; atqui opera ſalutaria ſunt media ad ſalutem æternam, quæ eſt ſupernaturalis; ergo debent eſſe ſupernaturalia: atqui non poſſunt eſſe ſupernaturalia, ſi fiant ex naturæ viribus ſine adjutorio gratiæ: ergo. Secunda: Fides eſt juſtificationis noſtræ principium, ut probat Auguſtinus de prædeſt. SS. c. 7. ex verbis Apoſtoli *nos in Chriſto credimus, ut juſtificemur ex fide Chriſti*, ita loquens: *ex fide dicit juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, ex qua impetrantur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivimus.* At juſtificationis principium ſumendum eſt a gratia præveniente: ergo. Tertia: Gratia non eſt merces operum naturalium; ſed ſi initium fidei eſſet ex nobis, gratia foret merces naturalium meritorum: nam ut ait Auguſtinus,

quis

quis credat eum, qui jam capit credere, ab illo, in quem credidit, nihil mereri?

§. II.

Demonstratur prædestinationem ad gratiam adeo esse gratuitam, ut homo ad illam non prædestinetur ex prævisis meritis naturalibus, aut ex prævisa fide, cujus initium sit ex nobis.

III. Prima pars est contra Cœlestium, qui scripserat *Dei gratiam secundum merita nostra dari*, quam propositionem ejurare coactus est in Synodo Palestina Pelagius, ut refert Aug. de prædest. SS. c. 2. Probatur autem cum S. Doctore ex Apostolo dicente ad Rom. cap. XI. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia non est gratia:* & infra: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Ergo repugnat gratia, quæ præparatur ex meritis; si enim ex meritis daretur, fieret, ut gratia jam non sit gratia, quia redderetur ut debita meritis, & ex justitia, non vero gratis donaretur. Certe quidquid meriti in nobis est, effectus gratiæ est: ergo gratiam non possunt præcedere merita, nec secundum merita potest gratia dari, quia effectus non potest præcedere suam causam. Rursus: opus naturale non potest supernaturalia beneficia promereri: gratia & vita æterna beneficia sunt supernaturalia: ergo opus naturale nullum gratiæ aut vitæ æternæ meritum habet.

Altera pars est contra Semipelagianos, & ostenditur ab Augustino ex supra citatis verbis Apost. *non quod simus sufficientes &c.* quæ sic exponit de prædest. c. 2. *Attendant hic & verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei cœptum, & ex Deo fidei Supplementum. Quis enim non videat prius esse cogita-*

gitare quam credere? Deinde probatur ex Apost. ad Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* Item 1. Corinth. 4, *Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti: quid gloriaris quasi non acceperis?* Quod si initium fidei esset ex nostris viribus, gloriari posset homo se habere aliquid, quod a Deo non acceperit, nempe fidei initium, quo non tractus, sed propriis viribus veniret ad Christum. Hoc testimonium adeo movit Augustinum, ut *de prædest. SS. c.* 3. fassus sit, propter illud se retractasse antiquum suum errorem. Certe cum gratia sit donum gratis collatum, non retribuitur fidei, aut operi solis naturæ viribus patrato, ut supra diximus.

Ex hactenus dictis colliges gratuitam esse prædestinationem ad gratiam non solum habitualem, sed actualem etiam; nam de hac potissimum controversia erat inter Pelagianos & Catholicos: & certe si gratia vocationis ad fidem, qua ex nolentibus fiunt volentes credere, donum est Dei, gratia etiam actualis gratuito, & non ex meritis datur. Hinc Concilium Arausicanum ait *non deberi mercedem meritis gratiam prævenientibus, sed gratiam, quæ non debetur, præcedere, ut fiant opera bona.* At vero si operum nomine intelligantur opera ex gratia facta, ex his dici possumus prædestinati ad gratiam. Nam inprimis vita æterna non solum merces est, sed etiam gratia; & hæc datur secundum opera, & merita, quæ in nobis operata est gratia Dei: rursus gratia sanctificans vera est gratia, quæ nobis datur intuitu fidei, spei, timoris tanquam dispositionum, quas in nobis facit gratia sancti spiritus moventis; sed de hoc alibi dicemus.

Sol-

Solvuntur momenta Pelagianorum & Massilienſium.

IV. Primum argumentum ſumitur ex variis Scripturæ locis, ex quibus oſtendere voluerunt Semipelagiani ſaltem initium fidei ex nobis eſſe. 1mo. Pſ. 9. dicitur: *non dereliquiſti quærentes te Domine.* Proverb. 16. *Hominis eſt præparare animam.* Zach. 1. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Matth. 25. *Unicuique dedit* (Deus) *talenta ſecundum propriam virtutem.* Lucæ 9. *Dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Rom. 1. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Apoc. 3. *Sto ad oſtium & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mibi januam, intrabo ad illum.* Ergo noſtrum eſt diſponi, quærere, converti, petere, uti naturali virtute, aperire oſtium: & Dei eſt adjuvare, & gratiam tribuere quærentibus, volentibus, petentibus & pulſantibus.

2do. Apoſtolus ad *Eph.* 2. *v.* 9. diſtinguit fidem ab operibus; ergo ex eo, quod gratia ſit neceſſaria ad bona opera, non infertur illius ad initium fidei neceſſitas. Hinc ad Rom. 10. pro fidei commendatione ſic ait: *ſi confiteris ore tuo Dominum Jeſum, & in corde tuo credideris, ſalvus eris.* Ubi unum exigitur nempe fides; alterum nempe ſalus offertur: quod exigitur, in hominis eſt poteſtate; quod offertur, in poteſtate eſt Dei.

3tio. Scriptura nonnulla adfert exempla eorum, qui ob meritum naturale gratiam obtinuerunt. Sic Cornelius centurio meruit per eleemoſynas & orationes ſuas, ut per Apoſtolum Petrum inſtrueretur in fide, ut fuſe narratur Act. 10. Zachæus ob deſiderium videndi Jeſum audire meruit: *hodie in domo tua oportet me manere*, Luc. 19. Latro ſocium increpans

& Chrîsti prædicans innocentiam ab eo meruìt audire: *hodie mecum eris in Paradiso*, Luc. 23.

Resp. ad 1. dist. Illatum: ergo nostrum est quærere, disponi &c. ope gratiæ prævenientis & excitantis, conc. per solas naturæ vires, N. Sacræ literæ in allatis locis commendant quidem liberum arbitrium, sed minime tollunt gratiam prævenientem; siquidem ex opposito docent *præparari voluntatem a Domino*, neminem venire ad Deum, *nisi Pater traxerit eum*, Deum esse, qui *incæpit in nobis opus bonum*, qui *operatur & velle & perficere*. Qui ergo Deum quærunt, qui præparant animam, qui convertuntur ad Deum, non sola natura, sed Divinæ gratiæ auxilio adjuvantur. Igitur hominis est præparare animam ope gratiæ prævenientis ad gratiam uberiorem, quæ necessaria est, ut pie cogitata prosequatur, & in opus redigat. Alterum explicat Trident. Sess. 6. c. 5. his verbis: *cum dicitur, convertimini ad me, & ego convertar ad vos, libertatis nostræ admonemur: cum respondemus: converte nos Domine ad te & convertemur, Dei gratia nos præveniri confitemur.* Similiter virtus illa, secundum quam Deus talenta distribuit, non est absque gratia. Verborum Apostoli sensus est, bonum velle, quod nobis adjacet operante Dei gratia, ut aderat Paulo vocato jam & justificato, non sufficere ad perfectionem bonorum operum sine gratia Dei cooperante, ob pravam cupiditatem captivantem in lege peccati, ut statim explicat dicens: *non quod volo bonum, hoc facio*, possibilitatem perfectionis suæ ponens in gratia Dei. Locus Apocal. ostendit oppositum, nempe Deum pulsare ad ostium, antequam homo aperiat, & gratiam vocantem præcedere humanæ voluntatis conatus.

Ad II. Resp. dist. ant. Apostolus distinguit fidem ab operibus, quatenus ipsa impetrat cetera, quæ proprie appellantur ope-

opera, in quibus juste vivimus, C. quatenus ipsa fides non est opus & donum Dei merita nostra præveniens, N. Ita ipse Augustinus respondet adducens, quod ibidem scribit Apostolus: *gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis; donum enim Dei est.* Si ergo fides est donum & opus Dei, non distinguitur ab operibus, nisi sensu exposito. Ad alterum Apostoli textum rursum respondemus cum Augustino, qui l. de prædest. SS. c. XI. dicit eodem modo Paulum enunciare: *si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*, sicut ait: *si credideris, salvus eris.* Utrobique unum exigitur, alterum offertur; ergo ut facta carnis mortificare donum Dei est, ita donum est credere, & confiteri Dominum Jesum: ipse enim facit ut credamus, ipse prior elegit nos, ipse operatur in nobis velle & perficere, ipse est Electorum suorum virtus, fortitudo & præmium.

Ad III. Generalis est responsio hæc omnia *agere gratiam Salvatoris* ut inquit S. Prosper contra Collat. c. 8. Hinc Synodus Arausf. can. 25. *credendum est*, inquit, *quod illius latronis, quem Dominus ad Paradisi patriam vocavit, & Cornelii, ad quem Angelus Domini missus est, & Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed Divinæ largitatis donum.* Jam expendamus singula. Cornelius acceptus erat Deo per opera sua, tanquam credidisset in Christum: sed teste August. *non orabat & donabat sine aliqua fide; nam quomodo invocabat, in quem non crediderat?* Deerat ergo ei fides explicita in Christum; credebat tamen in Deum, nec sine gratia. Idem dicendum de Zachæo & latrone, in quibus teste Prospero *præcessit præparatio aliqua ex fide supernaturali:* quæ facile in ipsis, utpote Judæis, esse potuit. Fidem præsertim latronis, qua credidit in Jesum crucifixum omnibus blasphemantibus, quis non credat maximum opus gratiæ? Quæres, quomodo Cornelius, aliique infideles ante

converſionem ſuam potuerint virtute gratiæ bonum opus facere, cum primus effectus gratiæ ſit fides? dico in ipſa fide primum ſpectari ſanctam cogitationem, & inſpirationem ſeu voluntatem audiendi Evangelii: deinde deliberatum aſſenſum ſeu actum ipſum credendi. Fides ergo dicitur primus effectus gratiæ, non quantum ad aſſenſum, ſed quantum ad præcedentem illuſtrationem & inſpirationem. Imo ante explicitam fidem in Chriſtum, poteſt per gratiam excitari in nobis fides in Deum, & ſancta cogitatio, quæ ducat ad opera bona.

V. Argumentum II. ſumitur ex quibusdam PP., qui docuiſſe videntur gratiam Dei bona hominis voluntate præveniri. Juſtinus Apol. 2. docet eos, qui ante Chriſtum *cum ratione vixerunt*, *Chriſtianos fuiſſe*. Clemens Al. l. 1. Strom. ait Græcos veniſſe ad Chriſtum per Philoſophiam, & ab ea fuiſſe juſtificatos, & l. 7. dicit *Philoſophiam græcam præparare animam ad fidem*. Ambroſius l. 4. in Luc. ſcribit *non dormientibus divina beneficia deferri ſed obſervantibus*. Hieronymus in 1. contra Pelagium Dialogo ait: *conſtat ergo inter nos, in bonis operibus poſt propriam voluntatem Dei nos niti auxilio*, & cap. 2. *Noſtrum quidem eſt velle & currere, ſed ut voluntas noſtra & curſus compleatur, ad Dei miſericordiam pertinet*. Demum Semipelagiani objiciebant teſtimonia ipſius Auguſtini. Primum eſt ex Epiſt. 102. quæſt. 2. ubi de Religione Chriſtiana ait: *ſalus hujus religionis nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit*. Alterum eſt ex *tract. 10. in Joan.* ubi monet Cathecumenos (omni utique gratia deſtitutos) ut ſe ad gratiam præparent. Tertium ex tract. 26. ubi ait: *ſi non traheris, ora ut traharis*. Si ergo gratia homo traheretur, non eſſet, cur oraret, ut traheretur.

Reſp. Generatim, ſenſum Patrum eſſe, nos per liberum ar-

arbitrium divina gratia excitatum disponi ad justificationem, & beneficia ampliora. Justinus vult duntaxat, eos, qui ante adventum Christi rationis ductum secuti sunt, in hoc ipso legem Christianam observasse, quæ naturalis legis præcipit observantiam, & sic quodam modo Christianos fuisse. At legem naturalem in rebus difficilioribus servare non potuerunt sine gratia Dei. Clementis Alex. verba ad literam spectata duriora sunt: non tamen voluit Philosophos se ad justitiam disposuisse sine gratia Dei: cui omnia hominum merita tribuit lib. 2. 5. & 6. Stromat. Vult solum Philosophos ope luminis naturalis opera quædam naturalia fecisse, & ad notitiam Dei pervenisse: asserendo autem Philosophiam præparare ad fidem valde improprie locutus est, & intendit tantum illam tollere aliqua ad fidem impedimenta, quæ sine illa fuissent. Ambrosius loquitur de beneficio justificationis, quod quidem non dormientibus datur, sed præparantibus se per actus fidei, timoris, spei, qui fiunt gratia spiritus moventis. D. Hieronymus nihil intendit aliud, quam nostrum esse incipere, orare, velle dependenter a gratia præveniente, ita tamen ut sæpe plus non possimus, sed Dei sit dare uberiorem gratiam, per quam præstantiora possimus; quam quidem uberiorem gratiam concedet, si priori gratiæ cooperemur. Hinc Epist. ad Demetriadem ait: *velle & nolle nostrum est, ipsumque quod nostrum est, sine Dei miseratione nostrum non est.* Ad primum locum respondet ipse Augustinus l. de prædest. SS. c. 10. *Si quæratur, unde quisque sit dignus, dicimus gratia vel prædestinatione divina.* Ad secundum locum dico, Augustinum monere Cathecumenos, ut se præparent, non ad gratiam fidei, quam supponit eos saltem imperfecte habere, sed ad gratiam uberioris illustrationis, & ad ipsam justificationem. Ad tertium aio D. Doctorem his verbis: *ora ut traharis* non velle orationem non esse effectum

gratiæ, ſed indicare potius orationem, qua quis orat, ut uberius trahatur, eſſe donum Dei.

VI. Argumentum III. rationes continet Semipelag. Prima eſt: Credere vel non credere eſt in arbitrio poteſtatis humanæ; ergo initium fidei ex nobis eſt, non ex Deo. Secunda: Si indigemus adjutorio Dei ad opera bona inchoanda, perit poteſtas liberi arbitrii, cum fruſtranea ſit poteſtas, quam implere non poſſumus, niſi per opem alterius plane gratuitam. Tertia: Si gratia pro beneplacito Dei nos prævenit, Deus acceptor erit perſonarum, cum uni det fidem, alteri deneget. Quarta: Licet homo infirmus non poſſit a ſe ſanitatem acquirere, poteſt tamen eam deſiderare, & quærere medicum; ergo licet homo lapſus non poſſit facere bonum & a ſe juſtificari, poterit tamen deſiderare ſalutem, quærere Chriſtum medicum, & ſic ſalutem inchoare propriis viribus. Quinta: homo inſpectis propius motivis credibilitatis, & apprehenſa morali evidentia de exiſtentia revelationis poteſt per lumen naturale, ſuisque viribus cognoſcere hic & nunc honeſtum eſſe aſſentiri veritatibus & myſteriis ſibi credibiliter propoſitis; ſed hoc ipſo credere poteſt absque prævia cognitione ſupernaturali: ergo.

Ad 1*mum* Reſp. D. ant. Credere eſt in poteſtate humana per gratiam præparata, C. ſine gratia, N. Poteſt equidem homo ſine gratia non credere, quia ſibi ſufficit ad malum: ſed non poteſt credere ſine gratia, quia non ſufficit ſibi ad bonum pertinens ad ſalutem. Ad 2*dum* reſpondet Auguſtinus *l. de ſp. & lit. c.* 30. per gratiam *liberum arbitrium non evacuari, ſed confirmari.* Rationem reddit ibidem: quia *gratia ſanat voluntatem, qua juſtitia libere diligitur*: & cap. ſequenti: *cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.* Hinc Juxta Trident.

gra-

gratiæ possumus consentire vel dissentire. Ad 3tium dico; Deum largitorem gratiæ non esse acceptorem personarum, tum quia acceptio personarum non est, nisi cum ea, quæ debentur ex justitia, secundum justitiæ leges non distribuuntur, quod in distributione gratiæ, quæ nemini ex justitia debetur, locum non habet: tum quia Deus dat omnibus gratias sufficientes, & quandoque illis majores, qui iis non utuntur: quod ergo aliqui non credant, inde est, quia Divinæ vocationi & oblatæ gratiæ reluctantur. Ad 4tum aio ingens discrimen esse inter sanitatem animæ & corporis: hæc enim non excedit vires naturales, sicut salus animæ, quæ est ordinis supernaturalis, quamque homo a se nec potest cogitare, multo minus desiderare & quærere. Ad 5tum distinguo maj. Homo suis viribus potest cognoscere honestum esse assentiri veritatibus revelatis, potest inquam suis viribus cognoscere cognitione sufficiente ad imperium credendi & assensum fidei supernaturalem, N. ad imperium credendi & assensum fidei mere naturalem, C. Ad imperium fidei & assensum supernaturalem requiritur illustratio pariter supernaturalis; nam *utrumque est donum Dei, scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus*, ut ait Conc. Milevit. c. 4. Neque dicas: si ad imperium fidei requiritur supernaturalis illustratio, ex hac, & non ex fide, sumeretur exordium Justificationis, quod falsum est, cum ex Trident. fides sit *humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis Justificationis.* Distinguo enim illatum: & non ex fide *perfecta*, sumeretur initium justificationis, concedo: non ex fide *inchoata*, nego. Cum ejusmodi illustrationes disponentes ad fidem sint quædam inchoationes fidei, ut ait Aug. L. ad Simplic. q. 2., nomine fidei hæc omnia veniunt, quando PP. & Concilia aiunt exordium a fide procedere: ita tamen ut sicut hæ dispositiones sunt tantum inchoationes fidei, ita etiam ab ipsis remote tantum exordiatur Justificatio; a fide autem

per-

perfecta proxime, quatenus teste Augustino non solum concipi, sed & nasci opus est, ut ad vitam æternam perveniatur. Ex eo autem, quod cognitiones & judicia proxime suadentia actum fidei, debeant esse supernaturalia, minime sequitur etiam perceptiones alias remote disponentes esse supernaturales: adeoque supernaturalem esse debere auditionem externam (qua fidei prædicationem, & miracula in ejus confirmationem patrata audimus) atque necessario inde emanantes perceptiones de prædicatione fidei & patratis miraculis: cum enim tales perceptiones necessariæ sint & solius naturæ viribus ortæ, supernaturales non sunt: ac præterea per se non requiruntur ad actum fidei salutarem, utpote quem habere possumus, modo adsit illustratio a Deo infusa, quæ ostendat hic & nunc honestum esse credere mysterium fidei, licet nullæ tales sensationes & inde ortæ perceptiones præcesserint; ut crediderunt Prophetæ, quin audirent prædicationem.

§. III.

An homo aliquo modo se possit disponere ad gratiam sine gratia.

VII. Postquam de ipso dogmate egimus, quædam scholasticorum placita in examen veniunt. Non defuerunt qui naturalibus operibus moraliter bonis putarunt vim aliquam aut dispositionem inesse ad beneficia supernaturalia obtinenda, ita ut Deus facienti quod est in se viribus naturæ, primam gratiam non deneget. Estius refert *l. 2. dist.* 26. §. 34. nonnullos scholæ Theologos docuisse, posse hominem per opera moraliter bona ex merito, ut vocant, de congruo, conciliare sibi primam gratiam, eoque pacto se ad illam disponere, juxta quem sensum intellexerunt illud tritum scholæ effatum: *facienti quod est*

in

in se, *Deus non denegat gratiam.* Ita sensisse ait Durandum, Scotum, & Gabrielem. Molina in *concordia disp.* 10. videtur admittere, Deum facienti quod est in se per vires naturæ, largiri suam gratiam, non quod opera naturalia aut illam mereantur, aut ad illam positive disponant, sed lege quadam & pacto inito a Deo cum Christo, ut bene utentibus ratione naturali, vi promissionis Divinæ supernaturale auxilium tribuatur Arriaga, Lessius & alii dicunt Deum conferre gratiam facienti quod est in se, seu ponenti opera naturaliter bona & honesta: quæ tamen non sint meritoria gratiæ supernaturalis, aut conditiones stricte tales ad illam; sed tantum sint dispositiones negative tales, aut puri termini, quibus positis Deus conferat gratiam ex meritis Christi. Hoc præmisso sit sequens

ASSERTIO

Non potest homo se ullo pacto præparare ad gratiam sine gratia.

VIII. Argumenta hujus assertionis præcipua jam a nobis in prioribus §. allata sunt, ubi contra Pelagianos ostendimus nullum plane opus ad salutem conducens fieri posse sine interiore Dei gratia: Hoc unum igitur hic superest, ut varios refellamus modos, quibus dici posset hominem sibi relictum posse se præparare ad primam gratiam. Quare ita arguimus: si homo se posset ad gratiam præparare, id fieret per opera naturæ moraliter bona, quæ haberent respectu gratiæ rationem meriti saltem congrui, vel quæ forent occasio, conditio aut dispositio saltem negativa, qua Deus ex certa lege excitaretur ad gratiam conferendam; at nullo simili pacto se potest homo præparare: ergo.

Aſſumpta propoſitio probatur quoad I. partem. Si meritum aliquod ineſſet operi naturali ad obtinenda beneficia gratiarum, poſſet homo aliquid ad ſalutem pertinens ſuamet virtute facere, poſſet gloriari a ſe bonum opus inchoatum eſſe, poſſet aſſerere ſe priorem aliquid dediſſe Deo, & habere meritum aliquod a Deo non acceptum, poſſet affirmare gratiam conferri ex operibus; quæ quidem omnia cum errore Pelagianorum conſpirant, repugnantque claris ſcripturarum teſtimoniis. Hinc Arauſicanum II. definivit *in omni opere bono nos non incipere, ſed Deum nobis nullis præcedentibus meritis & fidem & amorem ſui prius inſpirare;* & Tridentinum Seſſ. 6. de Juſtif. cap. 5. ait: *Ipſius Juſtificationis exordium a Dei gratia præveniente in adultis ſumendum eſſe, hoc eſt ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur.* Si autem naturalia opera Deum ad gratiam conferendam moverent, ab illis ſumendum eſſet ſalutis, & juſtificationis exordium. Plura ex ſupra adductis Scripturarum, CC. & PP. teſtimoniis argumenta deduci poſſunt; atque hinc Eſtius dicit veteres ſcholæ magiſtros, qui in operibus bonis naturalis ordinis meritum aliquod in ordine ad gratiam ſupernaturalem agnoverunt, non ſatis doctrinam orthodoxam obſervaſſe.

Quoad II. partem ſic arguo: tunc opera virtutum moralium naturalia non poſſunt eſſe diſpoſitio ad gratiam, quando Deus in diſtributione ſuarum gratiarum nullam habet rationem cujusdam diſpoſitionis naturalis; atqui ita eſt. Ne autem priores argumentationes huc pertinentes repetam, unum adduco Concilium Arauſic. can. 6. ita loquens: *Miſericordiam divinitus, non conferri ſine gratia Dei deſiderantibus, conantibus, laborantibus, pulſantibus, aut tale quidquam facientibus nobis, atque fieri per inſpirationem Spiritus S. ut hæc omnia ſicut oportet agere valeamus.* Quid autem eſt hæc diſpoſitio, niſi conatus,

tus, desiderium, labor, aut tale aliquid? adverte etiam Concilium definire non tantum per naturalia opera neminem mereri dona gratiarum, sed & ob nullam operationem & dispositionem *misericordiam conferri divinitus.* Et certé omnis dispositio quandam proportionem habere debet cum forma, ad quam disponunt: hanc autem proportionem cum gratia non habent actus naturales. At fortassis aliquam rationem habet Deus largitor gratiæ, dispositionis, ut aiunt, *negativæ?* quæ in eo dicitur consistere, quod homo minoribus implicatus sit vitiis, ac meliore donatus indole, vel quia ita vivit, ut omnem gratiæ recipiendæ removeat obicem: verumquam multi sunt, qui hac negativa dispositione instructi relinquuntur, & vicissim hac destituti præveniente & efficaciter movente gratia convertuntur? ut observat August. l. 1. ad Simpl. q. 2. & l. 1. de peccat. merit. c. 22.

Quoad III. partem sic arguo: tunc merita naturalia nullo pacto disponunt ad gratiam ex pacto quodam gratuito, quando illud pactum, quod promittit gratiam facienti quod est in se ex solis naturæ viribus, prorsus fictitium est, nulloque scripturæ vel traditionis momento suffultum, imo pugnans cum dictis PP. & CC. at ita est: Cœlestinus enim in sua ad Episcopos Epist. clare dicit *neminem nisi per gratiam bene uti arbitrio libero*, nempe in his quæ pertinent ad salutem. Arausicanum ait *neminem habere de suo nisi peccatum*, hoc est neminem in ordine ad salutem absque gratia quidquam posse nisi demereri. Et certe dum testatur Deus non derelicturum quærentes se, & expectare conversionem nostram, docet etiam se omnia operaturum in nobis, a se converti corda mortalium, & a se voluntatem præparari.

Colliges: hominem nullo modo ex solis naturæ viribus se

posse disponere ad gratiam *habitualem* recipiendam. Nam non potest se disponere remote & mediate, nisi possit se disponere ad gratiam actualem, ad quam ex solis naturæ viribus non potest se præparare, ut diximus: sed etiam non potest se ad justificationem disponere proxime, nisi per actus fidei, spei, & charitatis perfectæ, vel imperfectæ cum sacramento, quos actus sine gratia fieri non posse definit. Trident. Sess. 6. Can.3. sic loquens: *si quis dixerit sine præveniente Sp. S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere aut pænitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

Solvuntur argumenta opposita:

IX. Qui aliquam ex parte operum naturalium dispositionem ad gratiam agnoscunt, sequentia opponunt. I. Augustinus l. de dono persev. c. 14. scribit: *habere quosdam in ipso ingenio Divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem.* Et l. 19. de Civ. Dei c. 13. dicit Deum dedisse hominibus quædam bona huic vitæ congrua, *eo pacto æquissimo, ut qui mortalibus talibus bonis recte usus fuerit, accipiat ampliora & meliora, pacem scilicet immortalitatis.* En fatetur adesse pactum, ut qui se dignum utendo recte temporalibus reddat, accipiat a Deo gratiam. II. Antiquissimum & ex Patribus derivatum effatum est: *facienti quod est in se, Deus non denegat gratiam.* Unde D. Thomas q. 24. de veritate art. I. ad 2. docet, quod *gratiam, quæ opera meritoria facit, quamvis homo non possit ex libero arbitrio acquirere, potest tamen ad gratiam habendam se præparare, quæ ei a Deo non denegabitur, si fecerit quod in se est.* Item 9. 14. de verit. art. XI. ad 1. dicit *ad divinam providentiam pertinere, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, modo ex parte ejus non impediatur:* & afferens exem-

exemplum de homine in silvis nutrito dicit: *si aliquis taliter nutritus ductum rationis sequeretur, certissime esse tenendum, quod Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret.* III. Magis congruum videtur, ut Deus det gratiam vocationis ad fidem ei, qui facit opera virtutum moralium, quam illi, qui vitiis indulget; ille enim minorem habet repugnantiam cum gratia, minusque ea est indignus.

Resp. ad *primum:* Augustinum in priore loco nihil aliud voluisse, quam quosdam propter opera moraliter bona habere in se minorem obdurationem, & facilius, si a Deo vocentur, moveri. In altero loco recte dicit D. Doctor bono temporali bene utentibus rependi æternam gloriam: at opus habet homo, ut bene utatur bonis temporalibus, *magisterio Divino, cui certus obtemperet, & adjutorio, ut libere obtemperet,* ut ait capite proximo.

Ad 2*dum* dico: illud axioma ita esse sumendum, ut Deus facienti, quod est in se cum gratia præveniente, movente, & operante, tribuat gratiam uberiorem seu fidei perfectæ, seu Justificationis, seu augmenti charitatis, seu vitæ æternæ. Quod attinet ad S. Thomam, is vel retractavit suam opinionem in summa, quæ postremum ipsius opus est; vel locutus est de homine faciente quod est in se per gratiam prævenientem. Nam. 1. 2. q. 112. art. 2. ita loquitur: *nulla præparatio requiritur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxilium: sed potius quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et ipse motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ, est motus liberi arbitrii moti a Deo.*

Ad 3*tium* nego assertum. Esto qui bene vivit moraliter, minus sit indispositus, minusque indignus gratia Dei; non tamen magis congruum est dare gratiam minus indispositis: nulla enim est congruitas seu ex parte Dei, seu ex parte hominis. Non ex parte Dei: quia gratiæ suæ Dominus est, nulli debitor, neque titulo congruitatis; sed cum omnis homo peccato sit obnoxius, dum Deus unum etsi magis indignum sua gratia liberat, misericors est: dum alium licet minus indignum in peccato relinquit, justus est. Neque ex parte hominis, cum, ut diximus, per solas naturæ vires nullam habeat proportionem ad gratiam.

§. IV.

Vindicatur Chrysostomus a nota Semipelagianismi.

X. Cum nonnulli existiment S. Joannem Chrysostomum errori Semipelagianorum prælusisse, superest ut tantum Virum ab omni labe immunem fuisse ostendamus: exhibendo inprimis doctrinam orthodoxam illius, deinde ea, quæ ex ejus scriptis opponuntur, refellendo.

Quatuor adduco loca, unde Chrysostomi fides manifeste apparet. Homilia 4. in c. 2. ad Eph. ita loquitur S. Pater: *non enim fides ex nobis: nisi enim vocasset, quomodo credere potuissemus . . . . illud ipsum donum Dei est, ne quis glorietur.* Hom. 12. in Epist. ad Heb. negat quidem dari auxilium necessitans: *non prævenit, ut perdat liberum arbitrium;* sed Hom. 12. in 2. ad Corinth. c. 4. ita scribit: *manifestum est sua quemque voluntate vel malitiam vel virtutem eligere: verum in nostra voluntate totum post gratiam Dei relictum est.* Hom. 12. in 1. ad Co-

Corinth. (expendens verba Apoſtoli: *Quid autem habes, quod non accepiſti?* quibus potiſſimum error Semipelag. evertitur) ita habet: *quid igitur te habere ſimulas, quod non accepiſti? Quamvis fidem adducas, a vocatione eam accepiſti: quamvis peccatorum veniam adducas, quamvis virtutes, omnia inde provenerunt.* Hom. 18. in Epiſt. ad Rom. hæc habet: *Eorum qui ex gentibus credebant faſtum dejiciens, oſtendenſque quod totum gratia ſua perfecerit, dicit. Ego palam apparui eis.* Qui hæc perpendit, facile perſpiciet præſtantiſſimum Eccleſiæ doctorem non fuiſſe Semipelagianum.

XI. Sed videamus loca, quæ opponuntur. Hom. 42. in Gen. Chryſoſtomus aſſerit Abraham ſuis operibus promeruiſſe, ut tanta ei gratiæ dona tribuerentur. *Ante gratiæ tempus, & ante legem, ait, in tantum pervenit virtutis faſtigium . . . niſi prius & ipſe quod ſuum erat feciſſet, non tanta a Domino obtinuiſſet.* Eandem doctrinam habet in Homiliis de Daniele, de Noe, de Pelagia, & ubicunque de Juſtis orationem inſtituit. In Homilia 17. in Joan. hæc habet: *Hinc admoneri poſſumus Deum ſuis in nos beneficiis noſtras non prævenire voluntates, ſed a nobis eſſe incipiendum.* Hom. 12. in Epiſt. ad Hebræos: *oportet:* inquit, *nos primum bona eligere, & tunc affert, quæ ſua ſunt. Non prævenit noſtras voluntates, ne perdat noſtrum liberum arbitrium.* Adde Hom. 8. in Epiſt. ad Rom. ubi dicit fidem præcedere & gratiam impetrare. Ex his ita arguitur: Qui docet a nobis eſſe virtutem, nos divina beneficia ita prævenire, ut a nobis ſit incipiendum, ad nos pertinere primum, ut bona velimus & eligamus, & gratiam dari iis, qui ſe gratia dignos præſtant, is certe Semipelagianus eſt: hæc autem docet Chryſoſtomus, ut vidimus.

Reſp. diſt. majorem: Semipelagianus eſt, qui docet vir-

tu-

tutem esse a nobis deliberate operantibus per gratiam prævenientem; qui docet nos prævenire divina beneficia, qualia sunt augmenta gratiarum, sanctitas & justitia, incrementa virtutum, aliaque hujusmodi; qui docet a nobis esse incipiendum, quatenus post gratiam totum est relictum in nostra voluntate; qui docet nos primum velle excludendo gratiam necessitantem, nego: qui hæc omnia docet excludendo omnem gratiam prævenientem, concedo. At hanc gratiam non exclusit Chrysostomus, ut priore num. vidimus. Singula igitur loca explicamus. Dixit Abrahamum promeritum esse tanta dona, non operibus factis ante gratiam, sed ex operibus factis per gratiam & fidem. Cum vero asserit Patriarcham *a se ipso*, & *a scientia naturæ insita* ad tantam pervenisse virtutem, non excludit gratiam, sed tantum legem, prædicationem Evangelicam, & uberiora quæ ipsam comitantur auxilia, unde lex gratiæ dicta fuit. Eadem est responsio ad illa, quæ D. Doctor habet de Daniele, Noe, Pelagia, & aliis justis: nam agit de augmentis gratiarum, & profectibus virtutum, quæ obtinentur post pia voluntatis initia, piosque conatus, qui tamen non fiunt sine præcedente gratia. In Hom. 17. in Joan. Sermo non est de prima vocatione ad fidem, sed de beneficiis collatis Andreæ, quem sponte obtemperantem vocationi Dominus constituit Apostolum, & familiari consuetudine est complexus. Ceterum Deus sua gratia nos non prævenit præventione, quæ necessitatem imponat. In Hom. in Epist. ad Rom, ait quidem fidem impetrare gratiam, sed loquitur de gratia sanctificante. Demum Homil. 12. in Epist. ad Heb. totus est D. Doctor in defendenda contra Manichæos libertate, & excutienda hominum socordia, ne scilicet putent se in omnibus a Deo sic præveniri per gratiam, ut nihil sibi agendum relinquatur. Ex quibus omnibus evidenter patet, D. Doctorem non negasse necessitatem gratiæ ad actus salutares, sed tantum voluisse

Deum

Deum non prævenire voluntates noſtras totum faciendo: ita tamen ut judicarit homini per bonum uſum gratiæ prævenientis parato concedi gratias uberiores, quibus & juſtificationem & perſeverantiam obtinere poſſit.

CAPUT II.

AN ET QUALE ADJUTORIUM GRATIÆ DETUR AD PERSEVERANTIAM FINALEM.

XII. In hoc argumento graviter errarunt Pelagiani, & Semipelagiani. Illi, ſicut ad nullum pietatis opus, ita nec ad perſeverantiam usque ad finem gratiam Chriſti abſolute eſſe neceſſariam contendebant: Iſti vero negabant perſeverantiam eſſe ſingulare Dei donum, gratiamque ſpecialem, contendentes non tantum initium fidei, ſed & finalem perſeverantiam ex poteſtate eſſe cujusvis arbitrii. Quare ægre ferebant traditam ab Auguſtino Electionem ſecundum propoſitum, quaſi libertatem everteret.

Contra hos diſputans D. Doctor L. de dono perſev. c. 1. inſtituit quæſtionem de illa perſeverantia, *qua usque ad finem perſeveratur in Chriſto*, & de qua legimus Matth. 10. *Qui perſeveraverit uſque ad finem, hic ſalvus erit.* Duplex autem diſtingui poteſt perſeverantia, una, quæ activa, altera, quæ paſſiva dicitur; *activa* eſt continuatio in ſtatu gratiæ finalis juncta cum actibus virtutum, ut cum adultus aliquamdiu poſt acceptam juſtitiam in obſervantia mandatorum Dei, tentationum victoria, & exercitio virtutum ad mortem usque perſeverat. *Paſſiva* eſt ipſa unio gratiæ juſtificantis cum morte,

ut cum infans baptizatus moritur ante adeptum uſum rationis, vel adultus ſtatim poſt acceptam juſtitiam.

Porro in dono perſeverantiæ duplicem diſtinguimus gratiam, unam *exteriorem*, nempe ſingularem providentiam Dei erga Electos, qua avertuntur occaſiones peccandi, variique vitæ caſus ita ordinantur, ut mors uniatur cum ſtatu gratiæ; alteram *interiorem*, quæ conſiſtit in illuminatione & inſpiratione adeo robuſta, ut concupiſcentiæ, & tentationum, quæ in morte ſolent eſſe vehementiores, impetus prorſus infringat. Quæritur itaque contra Maſſilienſes, an Perſeverantia duplex hoc gratiæ genus complectens ſpeciale ſit Dei donum diſtinctum a gratia ſanctificante, & communibus auxiliis? qua in re duæ etiam inter Catholicos ſunt opiniones. Prima affirmat perſeverantiam non eſſe ſpeciale donum, quando ab inſtanti juſtificationis usque ad mortem intercedit tempus breve: etſi ſit donum ſpeciale, ſi interveniat longius tempus, quo vel præcepta difficilia obſervanda, vel tentationes graves vincendæ. Ita Vega in Trident. lib. 12. cap. 22. cui ſubſcribit Duvallius. Altera opinio, eaque communior aſſerit Perſeverantiam ſeu ad breve ſeu longum tempus ſemper eſſe ſpeciale donum a gratia habituali, & communibus auxiliis diſtinctum.

ASSERTIO.

Sine ſpeciali Divinæ Gratiæ adjutorio nemo perſeverat uſque ad finem.

XIII. Probatur ex ſcripturis, quibus Auguſtinus *lib. de dono perſeverantiæ*, probat eam eſſe donum ſpeciale. Philipp. 1. v. 29. dicitur: *vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum ut credatis in eum, ſed & ut patiamini pro eo.* Fides, ut arguit Aug., pertinet ad initium ſalutis, & paſſio ad finem: at-

atqui fides eſt donum ſpecialis gratiæ; ergo & finis. Addit verba Jeremiæ 32. v. 40. *Timorem meum dabo in cor eorum, ut a me non recedant.* Non recedere a Domino nihil eſt aliud, quam perſeveranter ei adhærere: at hoc Dei munus eſt. Demonſtrat id ex verbis orationis Dominicæ: *& ne nos inferas in tentationem, ſed libera nos a malo.* Juſti ergo petunt his verbis donum perſeverantiæ. Quid autem hoc petere deberent, ſi non eſſet diſtinctum donum a gratia habituali; cum nemo petat ab alio, quod in ſua habet poteſtate? Sap. 4. dicitur: *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Hinc Auguſtinus: *videte a veritate quam alienum ſit, negare donum Dei eſſe perſeverantiam uſque ad finem, cum vitæ huic, quando voluerit, ipſe det finem.*

Prob. ex traditione. Arauſicanum II. can. 10. ita habet: *Adjutorium Dei etiam renatis, ac ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad bonum finem pervenire, vel in bono opere poſſint perdurare.* Eandem doctrinam tradit adverſus Pelag. & Semip. Innocentius I. in Epiſt. ad Conc. Carthag. & Cæleſtinus in Epiſt. ad Epiſc. Galliæ. Trident: Seſſ. 6. cap. 13. ait donum perſeverantiæ haberi non poſſe, *niſi ab eo, qui potens eſt eum qui ſtat, ſtatuere, & eum qui cadit, reſtituere.* Can. 16. donum perſeverantiæ *magnum* appellat, & Can. 22. ſic definit: *ſi quis dixerit juſtificatum vel ſine ſpeciali auxilio Dei in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum eo non poſſe, anathema ſit.*

Probatur etiam ratione Theolog. Ut enim oſtendimus in tract. de Deo, eſt providentia ſpecialis, quæ habet infallibilem connexionem cum gloria. Nam non omnes juſti perſeverant usque ad finem: imo multi, qui tota fere vita juſti erant, in fine defecerunt, & contra multi, qui tota vita erant injuſti, in fine gratiam obtinuerunt. At tale donum, qua ali-

aliqui perseverant præ aliis, non est donum commune, sed speciale. Hinc inferes: Perseverantiam finalem brevioris etiam temporis speciale donum esse. Nam dum Deus seu adultum, seu infantem accepta justitia post breve tempus morte abripit, id ex mente Augustini facit ex speciali dispositione, ne scilicet illi specialiter electi gravibus tentationibus objiciantur, & gratiam, quam obtinuerunt, per mutabilitatem liberi arbitrii amittant.

Argumenta Opposita.

XIV. P*rimum.* Justus habet jus ad gloriam, quæ in gratia habituali, velut fructus in semine, continetur juxta illud 1. Joan. 3. *Semen Dei est in illo*: ergo habet & jus ad finalem perseverantiam, per quam gratia cum gloria conjungitur: sed hoc ipso perseverantia non est speciale donum à gratia habituali, & aliis eam comitantibus auxiliis distinctum. Adde per gratiam habitualem Deum sanare animam, *non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus*, ut ait Aug. de nat. & grat. c. 26. Quisquis ergo justitiam obtinuit habet in ea perseverandi adjutorium. Et sane omni justo debetur gratia, cum qua possit perseverare.

Secundum: Justus potest ad breve tempus sine speciali gratia vitare peccatum mortale: ergo si in eo statu moriatur, dicendus erit perseverasse usque ad finem. At possunt eidem mortem inferre causæ naturales ab universali Dei providentia ordinatæ; ergo in eo casu perseverantia non erit donum speciale.

Tertium: Quod datur omnibus, non est donum speciale: atqui perseverantia, quantum est ex parte Dei, datur omnibus;

bus; omnes enim obligantur ad perſeverandum, & ad hoc habent potentiam, & ſola ratio, cur non perſeverent, eſt, quia nolunt: hinc. Aug. l. de corrept. & grat. c. 7. *Homo in eo, quod audieras & tenueras, perſeverares, ſi velles.*

Quartum: Si perſeverantia eſſet donum ſpeciale, ſine hoc juſtus non haberet potentiam perſeverandi: atqui hanc potentiam omnes habent. Major probatur primo: Ex Trident. damnantur ii, qui dicunt *juſtificatum ſine ſpeciali auxilio Dei perſeverare poſſe:* ergo ſolum ſpeciale auxilium eſt ſufficiens, ut Juſtus poſſit perſeverare. Secundo: ſi juſtus ſine dono ſpeciali haberet potentiam perſeverandi, in quæſtione: *cur ex duobus juſtis uni detur, alteri non detur perſeverantia*, reſponderi poſſet, ideo unum perſeverare, alterum non, quia unus voluit, alter non. At Auguſtinus non recurrit ad hanc rationem, ſed ad *inſcrutabilia Dei judicia*, & ad *ſecretiſſimam, eamque juſtiſſimam ac beneficentiſſimam voluntatem.*

Reſp. ad 1. D. ant. Juſtus habet jus ad gloriam remotum, & conditionatum, ſi nempe uſque ad mortem in gratia perſeveret, Conc. habet jus abſolutum & proximum; eique conceditur gloria, niſi re ipſa perſeveret, nego. Hinc ad id, quod ex Auguſtino opponitur, dico gratiam quidem habitualem præſtare ut non peccetur, quoad *ſufficientiam*, ita ut juſti accipiant ſemper actuales gratias, quibuscum poſſint perſeverare: non autem quoad *efficaciam*, ita ut accipiant gratias efficaces, quibus perſeverent. Nam quos Deus reddere vult perſeverantes, illis præparat auxilium ſpeciale diſtinctum a gratia habituali & ei annexis gratiis, efficaciter faciens, ſalva tamen libertate, ut velint & perſeverent. Id quod additur, diſtinguo. Juſto debetur gratia communis & *ſufficiens*, cum qua poſſit perſeverare, conc. gratia ſpecialis & efficax, cum

qua actu perseveret, nego. Imo etsi Justus tale auxilium speciale & efficax perseverantiæ aliquo modo *suppliciter emereri* possit teste Augustino, non tamen mereri potest tali merito, quod infallibiliter suum effectum obtineat, ut alibi dicam.

Resp. ad II. Tribuendum minime est causis naturalibus, sed latenti in his altissimæ, & speciali erga Electos providentiæ, quod mors superveniat Justo post breve tempus, ante insurgentes tentationum impetus, & longe prius, quam malitia mutet intellectum ejus. En Augustinum cap. 17. de dono persev. ita loquentem: *videte a veritate quam sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam, cum vitæ huic, quando voluerit, ipse det finem . . . sed mirabilior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis datur hæc gratia.* Innumera alia D. Doctoris sunt testimonia, quibus perseverantiam usque ad finem tanquam speciale donum deprædicat.

Resp. ad III. N. min. Rationem additam distinguo: omnes obligantur ad perseverandum, adeoque omnes possunt perseverare, si velint, ita tamen, ut illis non sit præparatum speciale donum perseverantiæ, concedo: ut sit præparatum, nego. Hoc donum, ut dixi, situm est in duobus: primo in efficaci & congrua gratia, qua Justus vel a peccando retrahitur, vel a peccatis suis cito resipiscit, ac tandem perseverat: deinde in singulari Dei protectione externa, qua Deus ab homine, qui fortassis per preces, aliaque pietatis opera perseverantiam impetrat, graves tentationes, peccandi occasiones, & salutis obstacula removet, & tandem mortem ejus cum statu gratiæ conjungit: Quis autem non videt hoc donum esse speciale, & non commune omnibus?

Resp. ad IV. D. maj. Si perseverantia est donum speciale-

cia-

ciale, ſine hoc non haberet Juſtus potentiam perſeverandi *phyſicam*, & antecedentem, nego: conſequentem & *moralem*, concedo. Poteſt Juſtus potentia abſoluta & phyſica cum ordinariis, quæ nunquam denegantur, auxiliis perſeverare ad mortem usque per longum tempus, non tamen potentia morali. Primum inde eſt, quia Tridentinum, & Innocentius X. eos damnat, qui dicunt *præcepta Dei homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia*, & *deeſſe gratiam*, *qua poſſibilia fiant*. Ex quibus patet Deum omnibus conferre donum perſeverantiæ in actu primo. Alterum autem, ſeu moralis perſeverandi per longius tempus impoſſibilitas oritur ex mutabilitate voluntatis, tentationum occurſu, concupiſcentiæ rebellione, quæ obſtacula communiter non removent gratiæ ordinariæ, etſi ad ea removenda abſolute ſufficiant.

Ad primam Majoris prob. D. Illatum: ergo ſolum auxilium ſpeciale eſt ſufficiens, ut juſtus poſſit perſeverare non tantum potentia phyſica, ſed etiam morali, C. ut poſſit tantum potentia phyſica, N. Quod ad potentiam phyſicam non requiratur ſpeciale auxilium, patet ex ipſa libertate ad peccandum requiſita. Ad ſecundam prob. dico: eſſe in poteſtate hominis habere auxilium efficax quoad operationem, ſeu hominem poſſe conſentire & facere, ut auxilium ſit efficax: non tamen eſſe in illius poteſtate, ut auxilium ſit efficax quoad proviſionem, ſeu ut ſibi detur auxilium efficax. Hinc etſi ipſa perſeverantia in voluntatis ſit arbitrio, tamen in eo recurrendum eſt ad voluntatem Divinam, cur uni det uſque ad mortem auxilia etiam ſpecialia præviſa efficacia, & alteri non conferat, atque adeo cur uni det, & alteri non det perſeverantiam.

CAPUT III.

UTRUM SINE GRATIA SUPERNATURALI FIERI POSSIT BONUM MORALE ORDINIS NATURALIS.

Postquam contra Pelagianos, eorumque reliquias de necessitate gratiæ in ordine ad actus salutares egimus, dicendum erit de actionibus moralibus ordinis naturalis, seu de iis, qui quidem fiunt ex ductu & lumine rationis, nullam tamen habent proportionem cum fine & ordine supernaturali. Quærimus, an similes actiones fieri possint sine gratia Salvatoris, & loquimur duntaxat de statu naturæ lapsæ, in quo homo potest esse vel justus & instructus gratia sanctificante: vel peccator eadem gratia destitutus: vel infidelis carens gratia & fide. De hoc argumento errores varii sunt hæreticorum, variæque opiniones Catholicorum, quas ante nostras assertiones proponemus.

§. I.

Explicatur doctrina hæreticorum & Catholicorum.

XV. Sicut Pelagiani libero arbitrio plus æquo tribuerunt, ita ex opposito alii ejusdem vires nimium depresserunt. Ac primo Lutherus & Calvinus dixerunt nullum opus in se bonum ab homine lapso fieri posse, sed omnia opera, etiam hominis Justificati, ob concupiscentiæ labem omnia vitiantem esse in se immunda; ea tamen justis ex meritis Christi non imputari. Hos damnavit Tridentinum *Seß. 6. Can. 7. Si quis dixerit opera omnia, quæ ante Justificationem fiunt, vere esse peccata &c. anathema sit.* Eodem modo *Can.* 25. damnat eum, qui

qui dixerit *in quolibet bono opere Justum peccare, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem.* De hoc errore modo nobis sermo non est, sed eum refutabimus, ubi agemus de bonis operibus.

Baius existimat ad omne opus bonum requiri gratiam habitualem, & imperium charitatis: cum illo autem Jansenius & Quesnellus docent ad opus bonum requiri gratiam fidei, adeoque omnia infidelium opera esse peccata. Proponit id Jansenius l. 3. de statu naturæ lapsæ c. 14. his verbis: *nullum opus bonum, ne quidem moraliter, ab humano arbitrio fieri posse, nisi per gratiam, non quamlibet, sed fidei liberetur.* Quod ut melius innotescat, aliquas Baji & Quesnelli propositiones in medium adfero.

Inter Bajanas sunt propos. sequentes: 25. *omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* 22. *cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli Rom. 2. gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* 27. *liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* 28. *Pelagianus error est dicere: quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.* 35. *omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.* 37. *cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Similes his sunt propositiones 38., 40., 65.

Propositiones Quesnellianæ in Bulla *Unigenitus* damnatæ sunt sequentes: 26. *Nullæ dantur gratiæ nisi per fidem.* 27. *Fides est prima gratia & fons aliarum gratiarum.* 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia salvatoris.* 39. *Voluntas,*

tas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum: virium, nisi ad se vulnerandum. 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Ex his, aliisque propositionibus patet, Quesnellum docere gratiam nullam conferri infideli ante fidem, & peccatori ante Justificationem, adeoque illis nihil remanere nisi peccatum & peccati consecutiones.

XVI. Orthodoxi contra Bajum & ejus sequaces asserunt posse hominem absque fide supernaturali, & gratia habituali saltem per adjutorium actuale perficere bonum aliquod opus morale, adeoque non omnia infidelium & impiorum opera esse peccata: sed tamen hi Auctores salva fide in duas oppositas opiniones distrahuntur. Aliqui ad omne opus moraliter bonum requirunt gratiam actualem theologicam collatam ex meritis Christi: Alii plures admittunt, sine gratia speciali hominem lapsum posse aliquod opus bonum moraliter efficere. Vasquezius ad opera bona moralia speciale gratiæ auxilium requirit; sed gratiam hanc naturalem esse contendit, indebitam tamen, & ex meritis Christi provenientem.

Sunt qui inter contrarias has opiniones mediam quandam amplectuntur; docent enim posse quidem hominem lapsum per solas naturæ vires bonum morale facere, ex divina tamen ordinatione fieri, ut omnes illi actus, qui cæteroquin fierent ex viribus naturæ, fiant ex gratia præveniente. Cum Deus, aiunt, velit sincere salutem omnium adultorum, nisi ipsi obsistant, & gratiæ sibi destinatæ obicem ponant, voluit simul omnes actus moraliter bonos quandam habere affinitatem cum ipsa gratia & salute, non quidem per modum meriti & dispositionis, sed per remotionem obicis & impedimenti: jam vero cum nulla possit esse affinitas inter actus mere naturales, & sa-

ſalutem, putant eos actus non eſſe a ſola natura, ſed a gratia præveniente. In iſta ergo hypotheſi indiget homo gratia Chriſti ad actus etiam moraliter bonos: non quia ipſum opus naturalem ejus poteſtatem excedit; ſed quia Deus virtute modernæ providentiæ illos actus vult aliquo modo eſſe utiles ad ſalutem.

Quare præſens controverſia ad duo capita revocatur. Primo utrum homo abſque gratia fidei & charitatis poſſit velle ac facere opus quoddam morale: deinde an id poſſit citra gratiam actualem; e. g. an poſſit viribus ſolis naturæ colere parentes, ſubvenire egenti &c. Hic de iſtis operibus generatim agimus; nam de amore Dei ſuper omnia naturali, de victoria tentationum & obſervantia totius legis naturalis dicemus ſpeciatim.

§. II.

Demonſtratur hominem poſſe perficere aliquod opus bonum morale abſque gratia habituali, & gratia fidei: adeoque non omnia opera peccatoris, & infidelis eſſe peccata.

XVII. Utraque pars damnata eſt decretis Concil. & Pontificum, ut vidimus ſupra: ac quidem prima pars probatur ex ſcripturis commendantibus opera hominum nondum juſtorum (e. g. humilitatem Publicani, eleemoſynas Cornelii) & hortantibus peccatores ad opera virtutum. An vero ſcriptura commendaret, & hortaretur ad id, quod ſemper peccatum eſt? an non hortandi potius forent peccatores, ut abſtineant ab oratione, jejunio, mortificatione, tanquam operibus malis? Baius quidem voluit non fieri opus bonum a peccatore,

 quia

quia in quovis ſuo opere ſervit dominanti cupiditati: at ipſum hoc fundamentum quam inane ſit, quis non videt? peccator dum ex motivo pietatis reveretur parentes, ex motivo miſericordiæ ſuccurrit egeno, aut aliud opus ex motivo virtutis peragit, non agit ex affectu perverſo, & ut ſerviat cupiditati. Nam ſicut homo habitualiter converſus ad Deum per gratiam non ſemper operatur ex affectu & ordine ad Deum, ſed interdum venialiter peccat: ita homo habitualiter averſus a Deo per peccatum non ſemper operatur ex affectu ad creaturam, ſed opus bonum ex alio motivo facere poteſt. Sed ad hanc aſſertionem firmandam ſatis erit agere de infideli, hinc

Secunda pars prob. ex Scriptura, quæ variis locis refert, aliqua infidelium opera fuiſſe a Deo remunerata. *Exodi* 1. *v*. 15. laudantur obſtetrices Ægypti, & mercedem conſecutæ ſunt, quia maſculos Hebræorum ex miſericordia ſervarunt. *Ezech.* 29. Nabuchodonoſor accepit operis boni mercedem, nempe poſſeſſionem terræ Ægypti. Hinc Hieronymus in hunc locum ſcribit: *etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, non abſque mercede Dei judicio præteriri.* Dantur ergo in infidelibus opera bona, nam mala & pæna digna non remuneratur Deus. Porro Daniel *cap.* 4. eidem Nabuchodonoſori conſulit, *ut peccata ſua eleemoſynis redimeret.* Si ergo opera hominis infidelis avertere, aut mitigare poterant pænam temporalem, non erant peccata.

Prob. II. Ex Auguſtino, quo tanquam patrono gloriatur Janſenius. Libro de Spir. & lit. poſtquam dixit D. Doctor hos, qui faciunt naturaliter ea, quæ legis ſunt, nondum eſſe habendos in numero eorum, quos Chriſti gratia juſtificat, ita ſubjungit: *quædam tamen facta vel legimus, vel novimus, quæ ſecundum juſtitiæ regulam non ſolum vituperare non poſſumus, verum*

verum etiam merito recteque laudamus. Quamvis autem addat vix reperiri aliqua, quæ spectato fine justitiæ debitam laudem mereantur, dicit tamen: *non adeo in anima humana imaginem Dei terrenorum affectuum labe esse detritam, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint; unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere.* Cap. 18. ait: talia opera etsi non sint profutura in die judicii, prodesse tamen iis, *ut mitius puniantur.* En diluitur Jansenii responsio, qui docet dari quidem in infidelibus aliqua opera bona ex parte objecti seu operis, non vero ex parte finis, seu operantis. Ait enim Augustinus imaginem Dei in infideli non esse penitus detritam: esset autem penitus detrita, si non posset aliquod opus bonum ex fine honesto facere. Deinde dicit bona illa opera infideli profutura saltem ad mitiorem pænam: si autem essent ex fine mala, non prodessent ad mitiorem, sed obessent ad acerbiorem pænam. Similia habet S. Doctor *in Epist.* 130. *modo* 144. ubi dicit continentiam Polemonis fuisse donum Dei, adeoque fuisse bonam non tantum ex officio, sed & ex fine. Item *l.* 5. *de Civ. Dei c.* 15. ubi dicit Deum Romanis terrenam Imperii gloriam concessisse, ut redderetur merces eorum virtutibus. Rursum *l.* 4. *contra Jul. cap.* 3. ubi ait infideles post hanc vitam non puniri propter opera quædam, sed potius minori supplicio affici, persolventes tantum pænas infidelitatis, vitiorumque suorum. Quod si Augustinus aliis locis negare videtur virtutes morales infidelium, id intelligi debet vel de iis operibus, quæ fiunt ex fine improbo, & perverso: vel quia talia etsi bona opera nihil conferunt ad veram & christianam pietatem, & prorsus sterilia sunt ad cælestem beatitudinem.

Probatur III. ratione. Ideo ex mente Jansenii omnia opera infidelium forent mala, quia vel agunt ex pravo fine,

vel ſaltem opera ſua non referunt ad debitum finem nempe Deum; atque ſic peccarent vel ex appoſitione finis mali, vel ex omiſſione finis debiti: atqui utrumque eſt falſum. Primo enim infidelis non ſemper agit ex infidelitate, ſicut nec juſtus ſemper agit ex juſtitia, nec vitiis deditus ſemper ex habitu prædominante: avarus enim aliquando liberalis, impudicus interdum temperans eſt. Secundo ad honeſtatem moralem actus non requiritur, ut in Deum tanquam finem ultimum expreſſe referatur, ſed ſatis eſt ut ex natura ſua ad Deum tendat tanquam auctorem omnis honeſtatis moralis, & a Deo per pravum operantis affectum non deordinetur, ut in tract. de actibus humanis dictum eſt uberius.

Solvuntur momenta oppoſita.

XVIII. Opponunt Bajani varios textus Scripturæ. I. Apoſtolus Rom. 14. ait: *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt.* At infideles deſtituti ſunt fide: ergo quidquid operantur, peccatum eſt. Idem Hebr. 11. dicit: *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* II. In Epiſt. ad Titum c. 1. legitur: *omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum.* Ergo infideles omni ex parte nihil mundum & rectum operantur. III. Matth. 7. Chriſtus dicit: *non poteſt arbor mala bonos fructus facere:* quilibet infidelis eſt arbor mala: igitur non poteſt fructus bonos facere.

Reſp. ad 1*mum* diſtinguendo, & explicando textum: quod non eſt ex fide agendorum, id eſt ex bona conſcientia, peccatum eſt, C. quod non eſt ex fide credendorum, N. Apoſtolus loquitur de conſcientia, quam qui ſequitur, dicitur bona fide agere, mala vero fide, qui ea reluctante operatur. Ait ergo infidelibus nihil eſſe mundum, ſeu a cibis olim in le-

ge

ge vetitis abstineant, seu iis utantur: si enim ex superstitione abstinent, peccant; si manducant, etiam peccant, quia agunt mala fide & contra conscientiam. At cum S. Augustinus hæc verba de fide Christiana intelligat', dici potest infideli nihil esse mundum, & omne quod agit, esse peccatum, si agit ex infidelitate; quo sensu etiam dicitur *qui natus est ex Deo peccatum non facit*, nempe si agit ut filius Dei & per gratiam adoptionis. Adde: infideli moraliter loquendo nihil esse mundum, quia frequenter agit ex perverso affectu. Alterum textum etiam disting. Sine fide impossibile est placere Deo in ordine ad vitam æternam, Conc. in ordine ad honestatem moralem, nego. Infidelis etsi non possit placere Deo ratione sui, placet tamen ratione operis moraliter boni, non quidem complacentia orta ex justitia supernaturali, per quam Deo placent justi in ordine ad vitam æternam, sed complacentia orta ex virtute morali.

Ad 2*dum* eodem modo resp. Infidelibus, qui per immunditiam cordis, vel ex infidelitate abutuntur creaturis, vel quasi forent impuræ, eis non utuntur, nihil est mundum, conc. præcise ratione infidelitatis, nego. Alias pariter dicendum foret, omnia opera mundorum esse munda. Ad 3*tium:* non potest arbor mala bonos fructus facere, quando agit ut mala est, seu ex malitia, C. quando non agit ex malitia, sed ex dictamine rectæ rationis, N. sensus harum distinctionum patet ex dictis.

XIX. Opponunt adversarii copiosa S. Augustini testimonia, quibus videtur asserere, nihil boni fieri posse sine fide. Illustris præ ceteris locus est e libro 4. contra Jul. cap. 3. ubi ex professo probat nullas esse veras virtutes, nulla bona opera in infidelibus. *Absit*, inquit; *ut sit in aliquo vera virtus, nisi fue-*

fuerit justus: absit autem ut sit justus, nisi vivat ex fide, justus enim ex fide vivit. Postea docet nullas virtutes esse steriles: *fieri*, inquit, *non potest, ut steriliter boni simus . . . nullo igitur modo homines sunt steriliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali.* In eo autem dicit peccasse homines sine fide, quod non retulerunt ista opera ad eum finem, ad quem referre debuerunt. *Minus*, ait, *Fabricius, quam Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, & minus impius quam Catilina, Fabricius, non veras virtutes Habendo, sed a veris virtutibus non plurimum deviando.* Tum vero ultra prosequitur, & optima quæque opera infidelium peccata esse eo præcise pronuntiat, quod sunt infidelium & infideliter facta. Quærenti Juliano, an misericordia facta egeno ab ethnico sit peccatum, reponit D. Doctor: *prorsus in quantum non est ex fide, peccatum est . . . si vitium est male misereri, procul dubio vitium est infideliter misereri . . . hoc bonum male facit, qui infideliter facit; qui autem male facit aliquid, profecto peccat.*

Hinc ita arguitur: illud est necessarium ad opus bonum morale, sine quo nihil boni esse potest, & sine quo nulla potest esse vera virtus: atqui constat ex allatis locis, sine fide nihil boni aut velle aut facere posse hominem, nec veram sine illa esse virtutem: ergo &c.

Resp. dist. min. nihil boni nec ullam virtutem esse sine fide perfectam & vitæ æternæ meritoriam, C. moralem in ordine naturali, N. Id unum docet Augustinus contra Pelag. & in loco cit. contra Julianum, in infidelibus nihil boni esse posse, cui debita sit æternæ salutis merces, & quod quidquam possit conferre ad vitam æternam. Constat id primo ex sententia Juliani, qui contendebat ad actus vere bonos inutilem esse

esse gratiam Dei & fidem; adducebat eo fine virtutes gentilium, quos putabat posse consequi vitam æternam viribus naturæ: unde cum ex adverso Augustinus negat bona esse gentilium opera, id intelligit eo sensu, quod ad salutem nihil conferre possint. Secundo id patet ex ipso D. Doctore, qui dum eo loco refutat Julianum, eique ostendit non esse veram sine fide justitiam, de ea loquitur, qua possit homo vitam æternam consequi. Quo non obstante admisit aliam in iis justitiam longe inferiorem & in ordine naturali, ut declarant loca superius in probatione adducta.

Instabis: probat Augustinus eas non esse veri nominis virtutes, quæ non prosunt quidquam ad vitam æternam, *fieri non potest*, inquit, *ut steriliter boni simus.* Ergo nullam admittit justitiam in ordine naturali. Ex D. Doctore infideles non sunt alii boni, alii mali, sed magis & minus mali, ut ex citato loco patet. Ergo singula illorum opera sunt peccata. Rursus misericordia egeno præstita opus est laudabile; quod tamen Augustino in infideli peccatum est.

Resp. ad *primum* dist. ant. probat eas non esse veras virtutes ad sensum Juliani, C. ad sensum Theologorum, N. voluit Julianus ejusmodi virtutes veram esse justitiam, per illas gentiles vere & proprie justos ac bonos effici, imo posse mereri vitam æternam, quod merito impugnat Augustinus. Ad 2*dum* dist. Infideles sunt magis & minus mali ut plurimum, C. semper & necessario, N. loquitur enim de infidelibus, prout solent se gerere, qui nempe ex pravo fine agunt, dæmonibus vel humanæ gloriæ servientes, & una cupiditate vincentes aliam. Ad 3*tium* dico: Augustinum illud opus habere pro peccato non per se, & ratione sui, sed ratione finis perversi:

S vult

vult enim non adeo laudanda esse infidelium opera, etsi bona sint ratione officii, quia nempe persæpe ex malo fine fiunt; nam *si discutiantur*, inquit, *quo fine fiant*, *vix inveniuntur*, *quæ debitam justitiæ laudem mereantur*. Cum igitur dicat *vix* inveniri, haud dubie supponit nonnulla reperiri.

Urgebis: Juxta S. Augustinum ut bona sit actio, debet referri ad gloriam Dei: at infideles non possunt referre actiones suas ad gloriam Dei; cum enim fide sint destituti, Deum aut male aut non omnino cognoscunt: ergo.

R. D. maj. ut actio sit bona, debet ad gloriam Dei referri vel explicite vel implicite, C. implicite semper, N. tunc actiones dicuntur explicite referri ad Deum, cum propter illum fiunt ex actuali ipsius agentis intentione: eædem vero actiones dicuntur non nisi implicite referri ad Deum, quando ex ipsius operis honestate ad Deum velut cujusvis boni auctorem ordinantur. Revera omnes infideles ii præsertim, qui Deum non cognoscunt, suas actiones non referunt ad Deum explicite, sed dici possunt referri implicite, quatenus moralem habent bonitatem, cujus auctor est Deus. Dici etiam potest infideles actiones suas non referre ad Deum ut plurimum, quia sæpe agunt ex prava intentione: sed tamen suas actiones quandoque referre ad Deum non ut auctorem gloriæ, quem non ita noverunt, sed ut auctorem naturæ.

§. III.

Ostenditur posse hominem facere opus aliquod bonum naturalis ordinis absque gratia actuali.

XX. Probatur auctoritate S. Pontificum, qui damnarunt propositiones Baji §. I. citatas, inter quas est 27. *liberum arbi,*

arbitrium ſine adjutorio Dei nonniſi ad peccandum valet. Si ergo hæc propoſitio falſa eſt, verum erit liberum arbitrium ſine ſpeciali Dei adjutorio poſſe aliquid, quod non ſit peccatum, ſed opus bonum in ordine naturali. Prob. etiam ex eo, quod Patres & Concilia idcirco tantum ſtatuant neceſſitatem gratiæ ad actiones morales, quia ſupponunt eas ordinari ad vitam æternam: ita Trident. declarat ſpecialem Dei gratiam eſſe neceſſariam ad credendum, & diligendum Deum *ſicut oportet.* Fruſtra autem adhiberetur talis reſtrictio, niſi ſupponeretur gratiam duntaxat neceſſariam eſſe ad actus bonos in ordine ſupernaturali; unde conſequitur poſſe fieri aliqua opera bona in ordine naturali ſine ſpeciali gratiæ adjutorio. Et certe ut actio ſit bona in ordine naturali, ſatis eſt, ut in eodem ordine bonum habeat finem, bonum objectum & fiat in legitimis circumſtantiis: ſed ſine gratia ſpeciali homo per ſolas arbitrii vires poteſt elicere actionem, quæ bonum habeat finem, bonum objectum, bonasque circumſtantias; ſi e. g. revereatur parentes ex motivo pietatis, eroget eleemoſynam ex intentione ſublevandi inopis miſeriam &c. Nihil igitur obeſt, quo minus ſine gratia actuali fiat opus bonum ordinis naturalis.

Quod autem nonnulli dicunt, inſtitutum eſſe eum providentiæ ordinem, ut actiones omnes, quæ fieri poſſent ex naturali facultate, fiant ex gratia præveniente, id quidem gratis, & ſine fundamento aſſeritur. Quomodo enim probabitur homini cuique etiam infideli adeſſe ſemper ſupernum auxilium, dum operatur ex motivo pure naturaliter honeſto, atque actionem fieri ſupernaturalem, & fortaſſis de congruo meritoriam? quo fundamento omnis actio moraliter bona habet affinitatem quandam cum gratia & ſalute? dat quidem Deus adultis infidelibus gratias ſufficientes, ut juſtificentur, atque adeo illuſtrat illos lumine ſupernaturali, ut poſſint cognoſcere Deum

ut remuneratorem ac credere fide Divina, & adjuvat motione speciali, ut possint amare Deum super omnia, & justificari, vel saltem, dat gratiam ut pro sua salute Deum orare, petere, desiderare & pulsare possint, ut alibi dicemus: ex hoc tamen non sequitur, Deum ad actiones omnes morales conferre gratias prævenientes. An fortasse ideo confert, ne ejusmodi actus ex omni parte sint steriles ac inanes? At per illos, etsi mere naturales, infidelis satisfacit sæpe præcepto legis naturalis, vitat peccatum & pænam illi debitam, minus indignum se præbet misericordiæ divinæ, insuper promereri potest præmium temporale. Adde: Concilia & Patres actus ejusmodi absque gratia factos agnoscere. Concilium Arausf. & Trident. anathema dicunt ei, qui dixerit hominem posse justificari per opera solis naturæ viribus facta; supponunt ergo in hac etiam providentia fieri opera bona ordinis naturalis. Sane Augustinus multis locis præter virtutes ad salutem conducentes asserit fieri virtutes non ita conducentes, sed mere naturales. Demum (testante Cornelio a lapide in Epist. ad Rom.) multi ex Patribus, nempe Chrysost. Theodoret. Theophyl. Cyprianus, Hieron. & etiam Augustinus textum Apostoli: *gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de infidelibus, voluntque his verbis notari: gentes legem nec Mosaicam nec Evangelicam habentes, naturaliter habere illam sibi inditam, quæ eos impellat, ut aliqua opera legis naturalis perficiant naturaliter, id est, ductu & virtute naturæ.

Resolvuntur Objecta.

XXI. Oppones 1. Constat ex scripturis sine gratia Dei hominem nihil boni facere posse: *Sine me*, inquit Christus Joan. 15., *nihil potestis facere.* Apostolus 1. Corinth. 4. ait: *quid*

quid habes, *quod non accepiſti?* & 2. Corinth. 3. *Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis quaſi ex nobis*, *ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* II. Sæpius docet Auguſtinus nullam vim ineſſe libero arbitrio per peccatum labefactato: *liberum*, inquit, *arbitrium nonniſi ad peccandum valet.* Unde Arauſ. Concilium: *nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.* III. Deus vult ſalutem omnium, & media ad illam neceſſaria. Hoc poſito infideles ſaltem negativi, qui nunquam audiverunt de Evangelio, ad gratiam fidei & ad ſalutem pervenirent, niſi gratiæ ſibi deſtinatæ obicem ponerent. Ergo ipſa obicis remotio habet affinitatem cum obtinenda fide & ſalute: atqui obex gratiæ unicus eſt peccatum & transgreſſio legis naturalis; igitur omiſſio peccati & obſervantia legis naturalis habet affinitatem cum fide & ſalute. Sed nulla poteſt eſſe affinitas inter actum pure naturalem & ſalutem: ergo obſervantia legis naturalis non eſt a ſola natura, ſed a gratia.

Reſp. ad I. Conſtat ſine gratia Dei hominem nihil boni facere poſſe, quod ad ſalutem æternam ordinetur, C. nihil boni in ordine naturali, N. ſolutio hæc ſatis intelligitur ex dictis. Nec dici poteſt frivolam eſſe & ad arbitrium excogitatam diſtinctionem boni naturalis, & ſupernaturalis: conſtat enim illam a Conciliis & Patribus contra Pelagianos non ſemel uſurpatam, ut indicant, quoties actus boni dicuntur fieri *ſicut oportet*, conducere ad *pietatem*, *veram juſtitiam*, *vitam æternam.* Nam de ſola bonitate ſupernaturali mota fuit quæſtio inter Catholicos & Pelagianos.

Ad II. diſt. ant. Auguſtinus docet nullam vim in libero arbitrio eſſe nullâ gratia adjuto, & quando agitur de actibus veræ pietatis ad ſalutem æternam pertinentibus, C. In libero arbitrio gratia Dei adjuto, vel etiam ſi ſermo ſit de bonis operibus ordinis naturalis, N. In allatis teſtimoniis ſignificatur libe-

 rum

rum arbitrium per peccatum originale debilitatum ex ſe ſolo habere tantum, quod peccare poſſit, quia ſine gratia nullum opus facere poteſt ad pietatem & ſalutem ordinatum: ſed inde non ſequitur nullam plane vim eſſe in libero arbitrio ad actus morales ordinis naturalis. Certe ſi prorſus ad literam intelligenda forent allata Auguſtini verba, ſequeretur nihil boni fieri poſſe ab homine poſt peccatum originale, in quo errarunt Novatores.

Ad III. Nego illatum, nempe remotionem peccati, ſeu obſervantiam legis naturalis quoad omnes actus habere affinitatem cum obtinenda fide & ſalute. Nam, ut ſupra dixi, Patres & Concilia videntur agnoſcere actus pure naturales, adeoque gratis ſupponitur illa Dei ordinatio, quæ referat omnes actus moraliter bonos ad ſalutem. Quippe Deus dat omnibus etiam infidelibus media ſufficientia ad ſalutem, non quidem per gratiam ſuam omnes actiones præveniendo, ſed excitando ad orandum, illuſtrando mentem ad credendum, movendo voluntatem ad Deum amandum.

CAPUT IV.

UTRUM HOMO SINE GRATIA SUPERNATURALI POSSIT COGNOSCERE VERUM, ET DILIGERE DEUM SUPER OMNIA.

XXII. Prænotandum primo veritates, quæ ab homine cognoſcuntur, duplicis eſſe generis, naturales, & ſupernaturales. Naturales dicuntur, quæ intra ordinem naturæ continentur, & citra ſpecialem revelationem cognoſci poſſunt: ſupernaturales ſunt illæ, quæ omnem humani intellectus captum excedunt, qualia ſunt Myſteria fidei.

Utrum-

Utrumque hoc verum aut mere ſpeculativum eſt, nihil conducens ad actionem moralem; aut etiam practicum ita menti propoſitum, ut conducat ad uſum & praxim, qualia ſunt iſta effata: *Deus eſt colendus*, *honorandi ſunt parentes &c.* Dupliciter ſumi poſſunt veritates cognoſcendæ, collective pro collectione omnium veritatum, & diſtributive pro quibusdam tantum ſeorſim ſpectatis.

Notandum ſecundo, amorem quo Deus diligitur duplicem eſſe, naturalem & ſupernaturalem: nam proſcriptæ ſunt propoſitiones Baji 34. *diſtinctio illa duplicis amoris*, *naturalis quo Deus diligitur ut auctor naturæ*, *& gratuiti*, *quo amatur ut beatificator*, *vana eſt & commentitia.* & 37. *amor naturalis*, *qui ex viribus naturæ exoritur*, *ex ſola philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria crucis Chriſti defenditur.* Amor igitur Dei naturalis dicitur quo diligitur Deus ut auctor naturæ, ut objectum intra naturæ ordinem contentum: ſupernaturalis vero quo diligitur ut objectum intra ordinem gratiæ ſpectatum. Utraque hæc dilectio iterumdup lex diſtingui poteſt, nempe imperfecta, qua Deus ſic diligitur, ut nondum rebus creatis præponatur; & perfecta, ſeu *ſuper omnia*, qua homo Deum ceteris omnibus bonis anteponit. Rurſus dilectio Dei ſuper omnia alia affectiva eſt, alia effectiva; illa in unico voluntatis actu eſt poſita, quo homo ſe & omnia ſubjicit Deo, atque majore ardore in illum fertur, quam in ullam rem creatam: per iſtam autem non ſolum homo in Deum fertur per actum voluntatis, ſed & efficaciter ſervat omnia Dei mandata.

Notandum tertio, duplicem diſtingui potentiam, phyſicam & moralem; quæ diſtinctio per decurſum ſæpius erit adhibenda. *Phyſica* potentia eſt ea, cujus vis activa proportionata eſt operi faciendo; hinc qui habet omnia principia neceſ-

ſario

ſario ad agendum requiſita, habet facultatem agendi phyſicam. Potentia *moralis* eſt vis activa relative proportionata operi faciendo cum adjuncta facilitate; hinc qui ad agendum expeditus eſt, nullisque ſaltem gravibus difficultatibus, quæ ab opere ſuſcipiendo deterreant, implicitus, habet poteſtatem agendi phyſicam. Ex quo perſpicitur, illud eſſe phyſice impoſſibile, quod excedit vires, & inducit abſolutam neceſſitatem non operandi, adeoque excuſat a peccato, quia omne peccatum debet eſſe liberum: moraliter vero impoſſibile, quod etſi vires abſolute non ſuperet, ita tamen difficile eſt, ut voluntas ſibi relicta nunquam aut rariſſime ad illud faciendum ſe ſit determinatura; quæ impotentia non excuſat a peccato. His notatis ſit

ASSERTIO I.

Etſi homo ſine gratia ſupernaturali non poſſit credere & certo cognoſcere veritates fidei: poteſt tamen abſque illa cognoſcere veritates etiam practicas in ordine ad actus moraliter bonos.

XXIII. Prima pars certa eſt contra Pelag. negantes fidem eſſe gratiam proprie dictam, & probata eſt capite primo, ubi oſtendimus fidem eſſe ſingulare donum Dei, juxta illud Matth. 11. *Nemo novit filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Hinc Concilium Milevit. can. 4. ait: *donum Dei eſt ſcire quid facere debeamus.* & Trident. eum damnat, qui dixerit hominem *ſine præveniente Dei gratia credere poſſe.*

Pars ſecunda prob. ex cap. 1. ad Rom. ubi dicitur: *inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles,*

quia

quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Ubi supponit Apostolus per solas naturæ vires & ex cognitione naturali creaturam Deum ipsum, ejusque aliqua attributa cognosci posse, consentanee ad illa Sap, verba: *a magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Igitur a fortiori absque speciali gratia cognosci possunt veritates aliæ naturales, ad quas intellectus noster naturalem habet proportionem.

Neque est quod objiciantur nonnulla tum ex Scripturis tum ex Conciliis, quæ indicare videntur omnem vel minimam hominis cogitationem esse ex gratia Dei. Ejusmodi enim loca intelligi debent de cogitatione pertinente ad salutem & vitam æternam. Ceterum loquimur hic de aliquibus duntaxat veritatibus naturalibus: nam omnes collective sumptas cognoscere non possumus saltem potentia morali; tum quia ingens est illarum collectio, tum quia plures longe a sensibus sunt remotæ, nec sine gravi difficultate & acri studio attingi queunt. Adde: veritates practicas & singulares specialia habere impedimenta, quando concupiscentia & passiones mentem ita perturbant, ut quamvis non ignoret, quid virtutes in genere præscribant, in praxi tamen videre non possit morali potentia, quid hic & nunc sit faciendum aut fugiendum; obrepit nempe in usu ciborum voluptas sub prætextu necessitatis, ira suadet nos juste irasci, superbia contumeliam non esse ferendam &c.

ASSERTIO II.

Etsi homo sine gratia supernaturali non possit diligere Deum super omnia in ordine ad salutem, potest tamen absque ea Deum diligere amore naturali tum affectivo, tum effectivo.

XXIV. Prima pars constat ex iis, quæ diximus contra Pelagianos: altera probatur I. auctoritate. Rom. 1. dicitur: inexcusabiles esse gentiles, *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Ergo Deum, qui teste Aug. *non colitur nisi amando*, amare potuerunt; alias immerito dicerentur inexcusabiles, quod veri Dei cultum deseruerint: atqui amor ille potuit esse naturalis, utpote ex naturali Dei notione ortum habens: ergo. Adde damnatas prop. Baji num. 22. citatas, & definitiones Conciliorum Araus. & Trident. quæ dum dicunt gratiam necessariam esse ad diligendum Deum, adjungunt has particulas *sicut oportet ad salutem*, aut *ut justificationis gratia conferatur.* Supponunt ergo possibilem esse dilectionem, quæ non conferat ad salutem, quæque mere sit naturalis.

Prob. II. Argumento Augustini & Fulgentii. Prior ait *naturæ nostræ competere esse cum Deo:* sed cum Deo non est nisi per dilectionem: ergo naturæ nostræ competit dilectio Dei. Fulgentius dicit: *propter libertatem arbitrii Deum cognoscendi & diligendi facultatem dedisse*, *eodem modo diligendi quo cognoscendi:* sed cognoscendi facultatem dedit mere naturalem, nempe per visibilia hujus mundi: ergo & facultatem diligendi. Notandum autem hic sermonem tantum esse de dilectione Dei tam effectiva quam affectiva pro brevi tempore, & quando non occurrunt graves tentationes & difficultates; in his enim circumstantiis haberi potest propositum servandi totam legem natura-

turalem, eaque obſervari: utrum autem talis amor & obſervantia legis per longius tempus ſine gratia continuari poſſit, infra videbimus.

Refelluntur momenta oppoſita.

XXV. Adverſus aſſert. Secundam opponuntur ſequentia. I. Apoſtolus ad Rom. 5. ait: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis.* Eph. c. 6. *Pax fratribus & charitas cum fide a Deo Patre.* Gal. 5. *Fructus ſpritus eſt charitas.* Ergo dilectio Dei eſt per gratiam, & infuſionem Spiritus Sancti. II. Concil. Milev. ait: *donum Dei eſſe diligere, ut faciamus.* Arauſ. can. 25. *prorſus donum Dei eſt diligere Deum.* Addit: *per peccatum primi hominis liberum arbitrium ita eſſe attenuatum, ut nullus poſtea diligere Deum . . . poſſit, niſi gratia eum Divina prævenerit.* Non loqui hic Concilium de amore ſupernaturali inde patet, quia ſupponit, quod prius Deum potuerit diligere ſine gratia. III. Auguſt. l. 4. contra Jul. c. 3. *Amor Dei,* inquit, *quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi a Deo Patre.* lib. de grat. & lib. arb. c. 18. *Unde eſt in hominibus charitas Dei & proximi, niſi ex ipſo Deo?* & Epiſt. 107. ad Vitalem ſcribit: *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* IV. Amor Dei ſuper omnia non patitur affectum inordinatum, imo includit odium omnium legi Divinæ adverſantium: ergo ſi poteſt homo viribus naturæ hunc amorem elicere, poterit etiam ſine auxilio gratiæ ſervare totam legem; ſed hoc eſt contra Concilia & Patres, ut infra videbitur. Adde: quod dilectio Dei ſuper omnia involvat propoſitum vincendi omnes, etſi graviſſimas, tentationes, quale propoſitum videtur vires naturæ excedere, cum ſine gratia non poſſit homo illas tentationes ſuperare. V. Amor Dei ſuper omnia excludit peccatum;

ergo ſi poſſet haberi viribus naturæ, per eas etiam haberi poſſet remiſſio peccati & juſtificatio. Demum omnis, quo Deus diligitur, amor habet objectum ſpecificativum charitatis ſupernaturalis, nempe abſolutam Dei bonitatem: ergo erit ſupernaturalis, & nullus naturalis.

Reſp. generatim omnia fere Scripturæ, Conciliorum, & Patrum loca intelligenda eſſe de dilectione Dei ſupernaturali, de vera charitate Chriſtiana, quæ meritoria eſt ſalutis æternæ, & ad illam ordinatur. Quare ad 1*mum* R. diſt. conſequens: ergo dilectio Dei aliqua, nempe ſupernaturalis & conducens ad vitam æternam, eſt per gratiam, C. omnis etiam tantum naturalis & non conducens ad ſalutem, N. Hujus diſtinctionis fundamentum haberi in ipſis Conciliis & Decretis Pontificum dixi ſupra.

Ad 2*dum* dico: Conc. Milevit. loqui de actionibus ſupernaturalibus; quod patet ex eo, quia loquitur de gratia, quæ datur ad opera Juſtificationis. Arauſicanum pariter loquitur de amore ſupernaturali & conducente ad ſalutem, quia eodem canone addit *ſicut oportuit*, & can. 7. loco *oportuit*, dicit: *bonum quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ*. Dum autem dicit liberum arbitrium attenuatum non poſſe amplius ſine gratia diligere Deum: loquitur de ſupernaturali dilectione, qualem potuiſſet habere arbitrium ſanum & integrum, quale eſt Adamo collatum, nempe inſtructum gratia ſuperna, qua per peccatum eſt ſpoliatum, ut docui *in tract. de Deo Creatore*. Hinc ſine gratia nova, eaque fortiore non poteſt ſupernaturaliter diligere Deum. Dixi *fortiore*, quia Adamus habuit arbitrium nondum ſauciatum infirmitate, nec debilitatum ignorantia aut concupiſcentia, adeoque non egebat tam forti auxilio.

Ad

Ad 3*tium* eadem ad textus Aug. eſt reſponſio: nam D. Doctor arguit Pelagianos, qui actus virtutum ſalutares & meritorios vitæ æternæ ſolis naturæ viribus tribuebant; hinc dicit: *amor, quo pervenitur ad Deum, non eſt niſi a Deo.* Textum alterum diſtinguo: liberum arbitrium ad diligendum Deum perdidimus, nempe arbitrium ſanum, ad Deum diligendum in ſtatu innocentiæ promptum & facile, imo ſufficiens etiam ad actus ſupernaturales, C. arbitrium liberum *prorſus* perdidimus, & ſufficiens ad actus etiam naturales, N. ſcribebat hoc loco Auguſtinus ad Vitalem, quem voluit retrahere ab errore Pelagiano.

Ad 4*tum* diſt. conſequens: ergo poterit ſine auxilio gratiæ ſervare totam legem, intellige naturalem, brevi tempore & non occurrente gravi difficultate, C. conſtanter & tempore longiore, ſubdiſtinguo: poterit ſervare potentia phyſica, C. morali, N. Poteſt homo lapſus ſolis naturæ viribus amare Deum ſuper omnia amore efficaci quoad affectum (id eſt tali, ut cum eo ſtare non poſſit voluntas peccandi mortaliter) adeoque etiam quoad effectum pro brevi tempore, cum hoc ejus vires non ſuperet: longiore autem tempore (ſicut non poteſt ſervare legem naturalem potentia morali, etſi poſſit phyſica; pari modo non poteſt habere dilectionem Dei, quæ conjunctam habet legis Divinæ executionem. Propoſitum tamen fieri poteſt non offendendi Deum, non obſtante morali illa impotentia, ſicut attritio ſupernaturalis (quæ juxta Trident. debet omnem voluntatem peccandi excludere) concipi poteſt ab homine vitioſo habitu illigato, non obſtante morali impotentia de peccato evitando.

Ad 5*tum* diſt. Amor Dei, nempe naturalis, excludit omne peccatum grave *actuale*, C. *habituale*, N. Nam hoc tantum

tum aufertur ex divina promiſſione per dilectionem ſupernaturalem, quæ promiſſio cum non referatur ad naturalem dilectionem, per eam peccatum habituale non tollitur. Ad id quod additur, dico: amorem naturalem non diſcerni a ſupernaturali *objective* ſeu per objectum formale & materiale: nam & Deus ut auctor naturæ poteſt amari amore ſupernaturali, & ut auctor gratiæ amore naturali; ſed diſtinguuntur tantum *ſubjective*, ſeu per principia influentia, quatenus amor Dei ſupernaturalis procedit ab principio ejusdem ordinis moraliter & phyſice influente. Paritas eſt in aſſenſu fidei naturali, & ſupernaturali; qui actus etſi habere poſſint idem objectum materiale & formale, diſtinguuntur tamen ſubjective, quia hic procedit a principio ſupernaturali, hic a principio mere naturali.

CAPUT V.

AN HOMO LAPSUS ABSQUE GRATIA CHRISTI POSSIT IMPLERE LEGIS PRÆCEPTA, ET VINCERE TENTATIONES.

XXVI. Obſervandum I. Inter præcepta, quæ homines obligant, alia eſſe ſupernaturalia, quæ Deus poſt religionem Chriſtianam nobis promulgatam impoſuit, alia naturalia, quæ lex naturalis præſcribit. Eſt autem lex naturalis nihil aliud, quam lumen quoddam a Deo auctore naturæ inditum, quo diſcernimus quid ſit bonum, quidve malum, quid faciendum, quidve fugiendum. Porro præcepta illa dupliciter ſumi poſſunt, collective, ubi ſermo eſt de tota omnium præceptorum complexione, & diſtributive, quando nonniſi de uno vel altero præcepto agitur. In obſervatione præceptorum duo diſtinguuntur *ſubſtantia*, ut ita dicam, obſer-

ſervationis, ſi nempe actus præceptus ſuam habet bonitatem, & *modus* agendi, ſi nempe actus ex charitate fiat, & referatur ad finem ſupernaturalem; quæ diſtinctio fictitia non eſt, ut docuerunt S. Pontifices damnantes Baji propoſ. 61. & 62.

Obſerv. 2do. In obſervandis præceptis occurrere poſſe difficultates vel ex objecto actionis, vel ex tentatione, quæ nihil eſt aliud quam ſollicitatio quædam ad peccatum, orta ex triplici potiſſimum fonte, ex propria cujusque concupiſcentia, ex mundo ſeu creaturis ſenſibilibus, & ex dæmone. Inter tentationes aliæ ſunt *graves*, quæ vehementer mentem commovent, & tales ſunt vel ratione objecti, vel ratione durationis, vel ratione infirmitatis in ſubjecto: aliæ *leves*, quæ leviter tantum voluntatem ad peccandum provocant.

Porro tribus modis vinci poteſt tentatio: primo ex motivo Chriſtianæ pietatis, ex amore Dei inhabitantis, vel ſaltem moventis, ita ut victoria non ſit ſterilis, ſed utilis ad vitam æternam. Secundo ex motivo malo & inhoneſto; ut ſi unum peccatum vincatur per aliud, una cupiditas per aliam, ut ſi quis tentationem avaritiæ ſuperaret per motivum vanæ gloriæ. Tertio ex motivo pure naturali; ut qui vel ex ſolo amore recti, vel propter peccati turpitudinem, vel ne diſpliceret Deo ut auctori naturæ, alicui tentationi reſiſteret.

Obſerv. 3tio. In propoſita quæſtione varios eſſe errores & opiniones, Pelagiani affirmant poſſe hominem ſolis naturæ viribus obſervare præcepta omnia, vincere quasvis tentationes, etiam in ordine ad ſalutem conſequendam. Bajus & Qui cum eo ſentiunt, nullum plane bonum morale opus fieri poſſe ſine gratia, conſequenter docent, nullum legis naturalis præceptum obſervari, nullam tentationem vinci poſſe ſine gratia. Ex Theo-

Theologis nonnulli putant hominem non posse absque gratia universa præcepta quoad substantiam observare, nec vincere tentationes graviores: posse tamen observare faciliora præcepta, & vincere tentationes leviores. Alii docent posse servari absque gratia totam legem naturalem potentia physica, non item morali: rursum graves tentationes vinci posse victoria sterili absque gratia, physice, non item moraliter. Sit igitur

ASSERTIO I.

Sine gratia Christi non potest homo servare mandata ut oportet, ea observatione quæ illi utilis sit ad vitam æternam.

XXVII. Assertio hæc etsi ex dictis generalibus sit manifesta, probatur uberius ex Scripturis, Conc. & PP. Ex eo textu: *sine me nihil potestis facere*, & ex his Apostoli verbis: *non sumus sufficientes &c.* ostendimus hominem a se ipso non posse credere, Deum diligere, aliaque opera salutaria peragere sine gratia: sed hoc ipso sine ea non potest servare mandata, ut oportet. Hinc Concilium Carthaginense in Epist. Synodica ad Innocentium I. data significat damnatos esse Pelagianos, eo quod asserebant in eo gratiam Dei deputandam, quod talem hominis instituit naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei posset implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam. Idem habet Conc. Milevit. & alterum Carthagin. Can. 5. ubi anathema dicitur *ei qui asseruerit hominem sine gratia posse implere divina mandata.* Eandem doctrinam tradit Augustinus, tum in iis locis, quibus gratiam scribit ad singulos actus necessariam, tum ubi recenset inter hæretica dogmata Pelagii, quod diceret non aliud esse adjutorium ad bene agendum, quam legem & doctrinam; item ubi ostendit legem sine spiritu gratiæ non impleri posse,

poſſe, non prodeſſe ſed plurimum obeſſe, ut ex profeſſo toto libro de nat. & grat. demonſtrat. Idem plane docet S. Proſper lib. contra Collat. c. 1. & 11. ubi ait neminem poſſe implere mandata Dei ſine gratia, & legem ſine ſpiritu gratiæ eſſe omnino inutilem; cui & addere poſſumus S. Fulgentium eadem ſcribentem *lib. de veritate Prædeſt. cap.* 20.

ASSERTIO II.

Homo lapſus, abſque gratia Chriſti, non poteſt potentia morali obſervare totam legem naturalem etiam quoad ſubſtantiam longiore tempore: etſi poſſit potentia phyſica.

XXVIII. Prima pars probatur I. ex Apoſtolo Rom. 7. ita ſcribente: *video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Hinc exclamat: *infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Reſpondet: *gratia Dei per Jeſum Chriſtum.* Ergo natura humana ita eſt debilitata, ut hoc præceptum *non concupiſces* non poſſit implere absque gratia Dei; unde Sap. 8. dicitur: *ſcivi quoniam aliter non poſſum eſſe continens, niſi Deus det.* II. Ex Trident. Seſſ. 6. c. 13. ubi differens de dono perſev. poſtquam monet fideles illis Apoſtoli verbis: *qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant*, ſubjungit: *formidare debent de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti: debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus &c.* Hinc Aug. l. de gr. & lib. arb. ait: *Dei donum eſt, ſine quo caſtitatis præcepta ſervari non poſſunt.* III. Sane in hoc infirmitatis ſtatu ſunt omnia, quæ inferunt impotentiam moralem: nempe ardor rebellis concupiſcentiæ, tentatio multiplex, mutabilitas & inconſtantia voluntatis, quæ longo tempore non poteſt unifor-

formiter operari, frequens peccandi occasio; mala exempla &c. Dixi autem *longo tempore;* nam brevi tempore & seclusa gravi tentatione potest homo etiam potentia morali servare totam legem naturalem absque gratia, quæ tamen observatio non foret salutaris, ut supra dixi.

Probatur pars secunda assert. Docet S. Thomas, & cum eo fere omnes Theologi hominem in statu naturæ integræ non indiguisse gratia supernaturali ad totam legem naturalem etiam longo tempore (non salutariter) servandam, quia in eo statu habuit principia naturalia de se sufficientia ad eam facile faciendam. Ergo homo in statu naturæ lapsæ saltem id poterit potentia physica, cum præcepta legis naturalis etiam collective sumpta non superent vim humanæ voluntatis in præsenti statu; quæ vis per peccatum non fuit sublata, sed duntaxat labefactata. Et sane talis potentia physica necessaria est ad libertatem, quæ requiritur ad hoc, ut quævis transgressio legis naturalis sit peccatum. Neque obesse videtur id, quod Augustinus ait cap. 11. de corrept. & grat. *si hoc auxilium homini defuisset, non utique sua culpa cecidisset:* quibus notatur Adamo necessariam fuisse gratiam ad observandum præceptum de fructu non comedendo. Hoc inquam non obest, quia dictum præceptum non erat legis naturalis sed supernaturalis, ad quam servandam opus est gratia Dei.

Diluuntur Oppositiones.

XXIX. Contra primam partem assert. Opponitur I. Deut. 30. dicitur: *mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te.* & Eccli. 15. *adjecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te*, sed mandatum quod non est supra nos positum, & cujus observantia in

no-

noſtra eſt voluntate, impleri poteſt per ſolas naturæ vires. Hinc Chryſoſt. Hom. 5. in Epiſt. ad Rom. de gentibus ait: *admiratione digni ſunt, quod nec lege illis opus fuit, & omnia quæ legis erant præſtiterunt.* II. Homo lapſus habet potentiam moralem ad omnia præcepta legis naturalis diſtributive; ergo ad omnia collective: alioquin daretur tempus aliquod determinatum, in quo homo absque gratia non poſſet moraliter ſervare totam legem, proinde quo neceſſario, neceſſitate morali, peccaret ex ſuppoſitione, quod præcedente tempore non peccarit. III. Lex non poteſt obligare ad aliquid moraliter impoſſibile; ſic Deus non poteſt ſub culpa imperare, ut ſingulis aleæ jactibus jactes numerum parem, quod phyſice fieri poteſt. Nam nec rationabile nec utile eſt, ſed perniciosum, hominem ad aliquid moraliter impoſſibile obligari: ergo homo ſine gratia non obligatur ad ſervandam totam legem naturæ, vel certe illam poteſt ſervare potentia morali.

Reſp. ad *primum*: neutrum textum Scripturæ excludere gratiam. Ait quidem Moyſes mandatum non eſſe ſupra nos, ſed ſupponit non defore divinum auxilium ad implenda præcepta neceſſarium. Eccleſiaſt. dicit hominem liberum eſſe ad ſervandamandata Dei, at non dicit liberum eſſe ſine gratia. Imo hæc abſolute neceſſaria eſt, ſi ſermo eſt de obſervantia legis ſacta ut oportet in ordine ad ſalutem. Senſus autem Chryſoſtomi eſſe videtur varia præcepta legis naturalis a tota gentium collectione eſſe obſervata, non quidem omnia a ſingulis, ſed a ſingulis aliqua, cum nempe nulla vel levis erat difficultas vel ex parte operis, vel ex parte tentationis.

Ad 2*dum* D. anteced. habet potentiam moralem ad omnia præcepta diſtributive, quæ ſunt facilia, & ſecluſa vehementi paſſione aut tentatione, C. quæ ſunt ardua, ſive ex objecto,

 ſive

ſive ex aliis circumſtantiis, N. Non igitur tenet argumentum a ſenſu diſtributivo ad collectivum, cum collectio præceptorum contineat difficultatem, quam non habent ſingula. Ad id quod additum eſt, dico: dari tempus aliquod determinatum, ultra quod homo in talibus circumſtantiis non poſſit moraliter vitare peccatum, ut proinde in illo inſtanti peccet neceſſario neceſſitate morali, ex hypotheſi, quod in præcedentibus non peccaverit: ſive iſta neceſſitas oriatur ex majore difficultate pro illo inſtanti orta ex moleſtia reſiſtendi toto priore tempore, ſive ex inconſtantia humanæ mentis inferente vagam neceſſitatem deficiendi aliquo inſtanti intra certum tempus, adeoque in ultimo, ſi non defecit in prioribus. Quare in iſto poſtremo inſtanti homo ſecundum ſe ſpectatus non eſt abſolute minus potens ad non peccandum, quam aliis inſtantibus præcedentibus, ſed ſolum ſpectatus ut ſubeſt inconſtantiæ humanæ, & ex hypotheſi, quod non defecerit in præcedentibus, in quorum ſingulis eidem obnoxius erat neceſſitati peccandi, ex hypotheſi quod in aliis inſtantibus intra certum tempus non eſſet peccaturus.

Ad 3*tium* diſt. Lex *poſitiva* ſaltem humana non poteſt obligare ad aliquid moraliter impoſſibile, C. quia legislatori non eſt conceſſa poteſtas obligandi ad aliquid de ſe indifferens, niſi illud ſit humano modo, id eſt moraliter poſſibile, exigente id bono communi, cui ſervire debet lex, ut ſit juſta & valida: lex *naturalis*, N. quia hæc quatenus præcipiens reſpicit ea, quorum omiſſio eſt intrinſece mala, & quatenus prohibens ea ſpectat, quæ ſimiliter ſunt de ſe rationi diſſona. Hinc lex naturæ obligat multo rigidius quam humana: nempe cum quovis incommodo & vitæ periculo, ut patet in præcepto non blaſphemandi, mentiendi &c. adeoque cum quavis difficultate & morali impotentia, modo non deſit potentia phyſica,

id-

idque rationabiliter, cum lex naturæ sit ipsa Divina ratio per dictamen rectæ rationis nobis promulgata. Ad id quod additur, discrimen est, quod habeatur tantum potentia physica ad jaciendum numerum parem fortuito, non libere & ex propria electione: at adest potentia physica ad legem servandam libere; unde ad hoc potest dari obligatio, non ad illud.

XXX. Opponitur contra 2dam partem assert. I. Lex naturalis defacto obligat ad quærendam beatitudinem supernaturalem; ergo obligat etiam ad actus supernaturales, sine quibus illa obtineri non potest: sed illi actus e. g. fidei, spei, charitatis, ne quidem potentia physica fieri possunt absque gratia supernaturali: ergo & absque illa lex naturalis servari non potest. II. Lex naturalis obligat ad servandam legem supernaturalem; ipsa enim ratio naturalis dictat servandam esse legem supernaturalem, si talis detur: sed lex supernaturalis absque gratia servari non potest, ut patet; ergo nec tota lex naturalis.

R. ad 1mum D. ant. Lex naturalis obligat ad quærendam salutem, si spectetur secundum se, & absque suppositione naturæ elevatæ, N. ex hypothesi naturæ elevatæ, cum qua tamen hypothesi non connectitur ratione sui, C. dum diximus totam legem naturalem servari posse potentia physica, intelligendum est de lege naturæ secundum se spectata, prout illa versatur circa objecta naturalia: unde argumentum contra nostram assertionem non est, etsi lex naturalis in hoc statu dicatur obligare ad procurandam salutem, & actiones salutares. Hinc patet etiam responsum ad 2dum: lex naturalis obstringit hominem ad servandam legem supernaturalem, ex suppositione quod hæc detur; cum qua tamen suppositione de se, & ex intrinseco non connectitur.

ASSERTIO III.

Nulla tentatio seu gravis seu levis superari potest in ordine ad vitam æternam sine gratia Christi: sine hac vinci potest tentatio levis, etiam moraliter, victoria sterili: qua ratione gravis tentatio quæcunque superari potest absque gratia potentia physica, non item morali.

XXXI. Probatur *prima* pars assertionis ex illis Scripturæ locis, quibus ostendimus necessitatem gratiæ ad opus meritorium & conducens ad vitam æternam: Porro Synodus Palestina contra Pelagium definivit victoriam tentationum non esse ex libero arbitrio, sed ex Deo. Id plurimis locis ostendit S. Augustinus: *sanat Deus*, inquit l. de nat. & grat. c. 26. *non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Neque dicas: hominem gravi quadam tentatione impulsum manere liberum; ex eo enim sequitur tantum illum posse resistere cum adjutorio gratiæ, non item sine illo. Est homo liber sed ita, ut nihil ad salutem conducens præstare possit, nisi liberum arbitrium gratia adjuvetur, & quod tentationes spectat, quotidie orare debet Deum, ne nos inducat in tentationem, id est, ne permittat ut tentationi succumbamus: *vigilate*, inquit Christus, *& orate ne intretis in tentationem.*

Prob. *Secunda* pars, nempe hominem vincere posse absque gratia tentationem levem etiam moraliter victoria sterili. Damnatæ sunt Baji prob. 29. & 30. *Non solum fures ii sunt, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant - - - sed etiam qui docent tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, ut ab ea non superetur.* Ex quo deducitur, posse hominem in natura lapsa absque speciali auxilio gratiæ vincere quasdam tentationes ex motivo honesto & moraliter bono. Certe potest homo lapsus ali-

aliquod bonum ordinis naturalis peragere abſque gratia, ut capite 3tio probavimus; tentatio igitur levis obſtare non poterit, quin illud naturaliter faciat.

Prob. pars 3*tia*, ſeu gravem tentationem absque gratia ſuperari poſſe potentia phyſica. Poteſt homo lapſus ſine gratia cedendo tentationi peccare; ergo etiam reſiſtendo tentationi non peccare, cum ſine gratia poſſe peccare neceſſario includat, ſine gratia poſſe non peccare, ſine quo conſiſtere nequit libertas ad peccandum requiſita.

Prob. pars 4*ta*, ſeu non poſſe quamlibet gravem tentationem ſuperari absque gratia ſpeciali potentia morali. Apoſtolus 1. Corinth. 10. ait: *non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis:* ex quo Patres apud Suarezium citati inferunt dari tentationes, quæ vires arbitrii ſibi relicti ſaltem morales ſuperent. Hinc Aug. l. 22. de civ. Dei c. 23. *In hoc bello periculorum pleniſſimo nec de viribus noſtris ſperetur victoria, nec viribus noſtris tribuatur, ſed ejus gratiæ, de quo Apoſtolus ait: qui dat victoriam per Chriſtum.* Et ſane cum liberum arbitrium ad bonum etſi non extinctum, viribus tamen ſit attenuatum, poterit ſolum ſine gratia opera facilia, non difficilia, qualis eſt victoria gravis tentationis; urgente enim illa prævalet inclinatio ad bonum delectabile & peccatum, ſecundum quam agere ita connaturale erit voluntati infirmæ, ut bonum alterum inefficacius propoſitum difficillime eligi poſſit. Addunt Auctores nonnulli: ejusmodi ſpecialem gratiam, quæ ſuperet moralem neceſſitatem ad peccandum ſæpe infidelibus culpabiliter non credentibus, nec non fidelibus peccatoribus in pænam præteritarum culparum negari; dari vero fidelibus juſtificatis.

CA-

CAPUT VI.

DE NECESSITATE GRATIÆ AD VITANDA PECCATA.

Agimus hic rursus de homine in statu naturæ corruptæ consistente: an possit sine gratia omnia peccata seu mortalia, seu venialia evitare; ac inprimis sermo hic est de peccatis mortalibus evitandis per *longius tempus:* nam ad ea vitanda (quæ nempe sunt contra legem naturæ) per breve tempus hominem potentem esse absque gratia colligitur ex dictis. Ut enim contra Bajanos diximus, homo in statu peccati mortalis existens non peccat in omni opere suo, non semper operatur ex affectu ad peccatum, sed aliquando opera moraliter bona facere potest; adeoque ad breve saltem tempus, non occurrente gravi tentatione, poterit vitare peccata gravia. Sit igitur

ASSERTIO I.

Ad hoc, ut homo lapsus longiore tempore omnia peccata mortalia evitet, requiritur non tantum gratia sanctificans, sed & speciale adjutorium gratiæ actualis.

XXXII. Probatur. Homo peccator non potest potentia morali diu vitare peccata gravia, & homo justus eadem vitare diu non potest sine speciali gratia actuali; sed hoc ipso ad eadem vitanda requiritur non tantum gratia sanctificans, sed & speciale adjutorium actuale: ergo. Maj. probat. quoad primam partem: Quamdiu ratio non est perfecte subjecta Deo, non potest esse, quin oriantur multæ inordinationes in actioni-

nibus nostris; atqui ratio non fit perfecte subjecta Deo, nisi per gratiam habitualem sanantem eam a peccato: ergo. Hinc D. August. ait. de nat. & grat. c. 26. *Sanat Deus non solum ut deleat quod peccavimus, sed ut præstet etiam ne peccemus.* Et S. Gregorius lib. 25. moral. c. 9. *peccatum, quod mox per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit:* quia, ut idem Hom. 17. in Ezech. advertit, *peccatum quod per pœnitentiam non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati: si citius pœnitendo non tergitur, justo judicio omnipotens Deus obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere.* Juxta leges ergo divinæ providentiæ peccatori & Dei inimico non datur ea gratiarum abundantia & efficacia, quæ justis conceditur, ut possint vitare omnia peccata mortalia; etsi ei non negetur auxilium sufficiens, quo possit vitare omnia potentia physica, quæ requiritur ad peccandi libertatem.

Probatur eadem major prop. quoad 2dam partem, tum ex eo, quod Christus pro suis Apostolis gratiam sanctificantem jam adeptis, auxilium a Patre postulavit Joan. 17. *Pater sancte serva eos in nomine tuo.* Tum quia hoc exigunt Patres Arausicani can. 10. *Adjutorium Dei renatis & sanctis est semper implorandum, ut ad bonum finem pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Tum quia Justi, etsi quantum ad mentem sint sanati, egent tamen sanari quantum ad carnem, quæ menti rebellis est: & ideo Deum orant, ne illos patiatur tentatione vinci, insuper incerti sunt, quid illis ad salutem expediat, & ideo Deum rogant, ut eis voluntatem suam ostendat; ergo ultra gratiam habitualem, quam habent, aliam gratiam petunt eaque indigent, & hæc est gratia actualis.

ASSERTIO II.

Nemo hactenus (si Christum & B. ejus Matrem excipias) ad eum sanctitatis gradum pervenit, ut sine omni peccato viveret; etsi id absolute fieri possit: nemo igitur tota vita cum solis auxiliis gratiæ habituali annexis potest potentia morali vitare omnia collective peccata venialia; etsi possit potentia physica.

XXXIII. Prima pars probatur ex Scripturis & Tradit. Psal. 142. dicitur: *non intres in Judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Eccles. 7. *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum & non peccet.* 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Quo loco nihil ad rem istam illustrius proferri potest; sic enim de se ipso loquitur unus ex Apostolis jam plenus Spiritu Sancto. Hinc est quod omnes etiam justi debent orando quotidie dicere: *dimitte nobis debita nostra.* Idem affirmant PP., Hieronymus lib. 2. & 3. contra Pelagianos, quorum, inter alios, hic erat error: posse hominem vivere absque peccato. Unde August. Serm. 29. de verbis Apost. cap. 2. Pelagianos reprehendit, quod dicerent *justos prorsus in hac vita nullum habere peccatum;* & Tract. 1. in primam Joan. *non potest homo*, inquit, *quamdiu carnem portat, non habere levia peccata.* Idem passim habet lib. de perfectione Justitiæ, lib de nat. de grat. lib. de grat. Christi c. 45. & 48. lib. de dono persev. c. 2. Hanc doctrinam Sanxerunt Concilia Carthaginense can. 8. Milevit. can. 6. & Trident. Sess. 6 cap. 11. ubi docet sanctos & justos in hac mortali vita quandoque cadere in levia saltem & quoditiana peccata.

Por-

Porro cum dicimus neminem integram duxisse vitam sine aliquo saltem leviore peccato, excipimus Christum Dominum, ejusque sanctissimam Matrem (conformiter dictis in tract. de Incarnatione) de qua August. (de sanctis viris & mulieribus, quos Pelagius enumerabat sine peccato vixisse, agens) ita loquitur lib. de nat. & grat. cap. 36. *Excepta itaque Sancta Virgine Maria - - - Si omnes illos sanctos & sanctas, cum hic viverent, congregare possemus & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? - - - Nonne una voce exclamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos decipimus & veritas in nobis non est?* Ex quibus patet privilegium vitandi omnia peccata venialia collective (etsi in aliqua materia dici possit concessum aliquibus viris sanctis) generaliter tamen & in omni materia nulli puro homini, excepta B. Virgine, datum esse. Scio aliquos cum Catharino docere, quosdam alios sanctos per totam vitam a venialibus abstinuisse; verum sine fundamento: cum non liceat aliquem a lege generali eximere, nisi constet ex scripturis, Patribus & Conciliis; & ex adverso scriptura potius omnes justos peccare asserat, ac PP. & Concilia neminem excipiant nisi B. Virginem. Sane concupiscentia constanter pugnat contra rationem; illius motus aliquando præveniunt rationem omnino, aliquando solum ejus plenam deliberationem, adeoque frequentes sunt, ut dum uni ratio resistit, insurgat alius, & sic contingit, ut in tanto conflictu ubi vincit unum, vincatur ab altero.

Pars *secunda*, seu absolute fieri posse, ut justus ab omni peccato per totam vitam præservetur, exemplo B. Virginis constat. Dicit enim Conc. Trident. Sess. 6. can. 23. *Si quis hominem justificatum dixerit, posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Hic Canon non so-

ſolum confirmat priora aſſerta, ſed & ſupponit hominem ab omni peccato præſervari poſſe per ſpeciale *privilegium ;* quod in hoc ſtatu requiritur ad vitanda peccata venialia (ſaltem per ſubreptionem & ſemiplena deliberatione fieri ſolita) eo quod ſtatuta ſit lex non conferendi gratiam ea menſura, quæ illam non peccandi difficultatem tollat. Hoc privilegium conſiſtit partim in perfectione gratiæ & virtutum, partim in ligatione aut extinctione fomitis peccati, & in extrinſeca Dei protectione circa talem perſonam.

XXXIV. *Tertia* pars, ſeu neminem poſſe potentia morali cum ordinariis gratiis vitare per totam vitam omnia levia peccata, ſequitur ex laudatis teſtimoniis Scripturæ, CC., & PP. ſi enim Juſtus poſſet cum ordinariis gratiæ auxiliis per diuturnum tempus vitare omnia peccata, aliqui iisdem auxiliis adjuti vitaſſent: atqui non vitarunt, cum non ſit homo, qui non peccet, cum omnis Sanctus oret pro remiſſione ſui peccati, cum nullus vivens in conſpectu Dei juſtificetur, cum, ſi quis dixerit ſe non habere peccatum, ipſe ſe decipiat, & veritas in eo non ſit; Ergo. Ratio hujus aſſerti ſæpe eſt inſinuata: nempe gratia habitualis, eique annexa auxilia non auferunt frequentiam tentationum, inconſtantiam voluntatis, ardorem concupiſcentiæ, quibus omnibus ſpectatis quis non credat moraliter eſſe impoſſibile, ut non peccet homo ſaltem per ſubreptionem & infirmitatem, ſi caret ſpeciali privilegio? Ceterum quod ultimo in Aſſertione propoſitum eſt, hæc impotentia non eſt phyſica; nam nemo peccat in eo, quod abſolute vitare non poteſt.

Reſolvuntur momenta oppoſita.

XXXV. Opponitur I. reſponſum Pelagianorum, qui dicebant verba e ſcripturis petita (maxime ex *Epiſt.* 1. *Joan.*

Joan. c. 1. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus)* significare tantum, ut Justi debeant fateri se habere peccata, aut ob humilitatem, aut quia sunt pars populi, qui in peccatis est.

Resp. N. quoad utramque partem. Priori responso obstat, quod S. Joannes non dicit: si dixerimus nos peccatum non habere, superbimus, & humilitas in nobis non est (quod juxta Pelagianum sensum erat dicendum) sed *ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est.* Imo subdit: *si confiteamur peccata nostra, fidelis est, ut remittat nobis peccata nostra & emundet nos ab omni inquitate.* Non ergo tantum confitenda nobis peccata sunt ex humilitate, sed quia re ipsa peccatores sumus: hinc PP. Milevit. can. 6. Sic habent: *quisquis sic putet accipiendum, ut dicat propter humilitatem dici, nos habere peccatum, non quod vere ita est, anathema sit.* Alteri responso obest illud: *non esse hominem, qui non peccet.* Hinc PP. Milevit. rejecerunt explicationem, qua Pelagiani hæc verba: *dimitte nobis debita nostra*, dixerunt non proferri pro se ipsis, sed pro aliis. Et Trident. Sess. 6. c. 11. ait: *vox est & humilis & verax: dimitte nobis debita nostra.*

Opponunt II. varia Scriptur. loca, ubi laudantur aliqui tanquam perfecti, & omni labe carentes. Ps. 118. dicitur: *beati immaculati in via.* De Jobo dicitur c. 1. *Quod non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deum.* De Zacharia & Elisabeth legimus Lucæ 1. *Erant ambo Justi ante Deum incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* De S. Joanne Baptista dixit Christus: *inter natos mulierum non surrexit major.* Qui dicuntur immaculati, timentes Deum, incedentes in omnibus mandatis &c. certe caruerunt omni labe etiam veniali.

Resp. ad singula. *Primo*, dicuntur etiam in hac vita immaculati, qui nullam habent peccati lethalis labem, quique labentes in levia, ab iis cito purgari volunt: non vero qui omni prorsus macula carent; cum omnes vere dicant: *dimitte nobis debita nostra.* Hinc August. de perfect. Justit. c. 9. *ingredi sine macula*, inquit, *ille dicitur*, *non qui jam est perfectus; sed qui ad ipsam perfectionem currit*, *carens criminibus damnabilibus*, *& ipsa peccata venialia non negligens mundare.* *Secundo*, Jobus, etsi justus, & abstinens fuerit ab omni opere malo ex deliberata voluntate, non fuit tamen immunis a fomite, nec proinde a noxis levioribus, quæ saltem ex subreptione & infirmitate contingunt. Hinc August. de peccat. merit. c. 12. *Non igitur* (inquit) *præclarum illud testimonium Dei*, *quo laudatus est Job*, *contrarium est ei testimonio*, *quo dictum est: non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* *Tertio*, Zacharias & Elisabeth dicuntur justi ante Deum, & incedentes in omnibus mandatis, quia eam habebant inter homines conversationem laudabilem, quam nemo posset criminari, ut loquitur D. Doctor de grat. Christi c. 48. *Quarto*, sensus verborum Christi est, Joannem primas tenere quidem inter Prophetas, quin tamen propterea immunis fuerit ab omni peccato saltem leviori. Idem porrò judicium ferri debet de Apostolis, qui post descensum Spiritus Sancti in gratia confirmati dicuntur: inde enim colligere est tantum, eos non fuisse deinceps peccatis lethalibus obnoxios.

Sed urgent Pelagiani illud 1. Joan. 3. *Qui natus est ex Deo non peccat - - - & non potest peccare*, *quoniam ex Deo natus est*: ergo in justo non est peccatum, nec esse potest. Resp. Verba ista dupliciter intelligi posse, vel quod justus nec peccat, nec peccare potest, ne quidem venialiter, quatenus talis id est, quatenus operatur ut justus ex Dei gratia & charita-

ritate; vel quod juſtus nec peccet nec peccare poſſit, componendo cum juſtitia peccatum juſtitiæ oppoſitum, atque adeo mortale, dum juſtus manet: ſimul enim conſiſtere nequeunt, peccare mortaliter, & manere juſtum. Unde ſupra v. 8. dictum eſt: *omnis qui facit peccatum, ex diabolo eſt,* quibus notatur ſermonem hic eſſe de peccato mortali.

Opp. III. Si omnia venialia peccata evitari non poſſent, non poſſet fieri propoſitum de illis vitandis; at hoc dici nequit. Item Si non poſſumus abſtinere ab omni peccato, non poſſemus a Deo petere eſſe ſine peccato, ſeu *ut ad nullum declinemus peccatum:* peteremus enim ſpeciale privilegium B. Virgini conceſſum.

Reſp. *D. maj.* Non poſſet fieri propoſitum de vitandis venialibus, ſi vitari non poſſent potentia phyſica, C. morali tantum, N. Ceterum docent Theologi votum etiam de vitandis omnibus venialibus, quæ ex propoſito & plena deliberatione contingunt, fieri poſſe, quia eſt de re bona & poſſibili: etſi fieri non poſſit reſpectu venialium, quæ ex inadvertentia culpabili & fragilitate naſcuntur. Nam votum eſt lex privata, quam vovens ſibi imponit; lex autem humana, ut juſta ſit & rationabilis, non poteſt obligare ad aliquid moraliter impoſſibile. adeoque nec votum. Ad alterum dico: nos petere, ut Deus nos præſervet ab omnibus venialibus plene deliberatis, & a multitudine eorum, quæ ſunt imperfecte deliberata, & ex ſubreptione fieri dicuntur. Oratio illa valebit, ut rarius peccemus, & peccata quæ commiſimus, aut deleantur, aut minuantur.

CON-

CONTROVERSIA III.

DE
GRATIA SUFFICIENTE ET EFFICACI.

Omnium gratiæ divisionum celebrata plurimum ea est, qua dividitur in sufficientem & efficacem, atque ob hanc divisionem, vel potius expositionem utriusque gratiæ, gravissimæ exortæ sunt disputationes tum inter Catholicos & Novatores, tum inter ipsos Orthodoxos de explanando utriusque gratiæ genere contendentes. Quare illustre hoc argumentum pro viribus nostris ita tractabimus, ut primum ea quæ ad gratiam sufficientem, deinde quæ ad vim & efficaciam gratiæ pertinent, uberius exponantur. Quæstiones præcipuæ erunt: utrum in hoc naturæ lapsæ statu detur gratia sufficiens, quæ sit ejus natura & potestas, & an omnibus conferatur ad salutem consequendam: deinde utrum detur gratia ex se ut aiunt, & ab intrinseco efficax, atque posito quod talis non admittatur, unde gratiæ vis & efficacia sit repetenda.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA ET NATURA GRATIÆ SUFFICIENTIS.

Ut omnis tollatur æquivocatio, nota gratiam sufficientem sumi posse dupliciter, nempe generice & specifice. Si *generice* sumitur, ea est, quæ voluntati hominis subministrat vires pares & proportionatas effectui bono, ad quem proxime movet: quo sensu gratia efficax dicitur etiam sufficiens, cum quidquid efficax est, sit etiam sufficiens. Gratia sufficiens

spe-

ſpecifice ſumpta ea dicitur, quæ licet vires pares & proportionatas ad effectum ponendum ſubminiſtret, illum tamen non ſortitur ex ſola culpa voluntatis nolentis gratiæ conſentire: quo ſenſu opponitur gratiæ efficaci, diciturque *mere* ſufficiens. De hac ſola hic agimus, atque inprimis Novatorum hac de re errores, deinde varias DD. Orthodoxorum opiniones adferemus: utrinque noſtram ſententiam & contra ſectariorum errores, & adverſus nonnullorum ſcholaſticorum opiniones ſtabiliemus.

§. I.

Exponuntur errores Novatorum.

I. Circa gratiam ſufficientem graviſſime errarunt Lutherus, Calvinus, Baius, Janſenius, Queſnellus, qui docuerunt nullam ejusmodi gratiam eſſe admittendam, quæ ſuo privetur effectu, & cui voluntas humana reſiſtat. Ac inprimis manifeſtum eſt, hæreticos noſtri temporis nullam admittere gratiam pure ſufficientem, cum per eos neceſſario bene agant, qui a Deo moventur, & ii qui non moventur, non poſſint bene agere: ac per hoc omnis Deo motio ſit efficax, nulla ſufficiens. Audiatur pro omnibus Calvinus (*lib. 2. Inſtit. cap. 3. §. 10.*) ita loquens: *voluntatem movet gratia, non qualiter multis ſeculis traditum eſt & creditum, ut noſtræ poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo.* Neque eſt quod velit quis fidem Calvini hic vindicare, quaſi his verbis gratiam per ſe efficacem extollat duntaxat, gratiæ vero ſufficientis exiſtentiam non rejiciat; ſiquidem ſuam mentem ſatis explicat, ubi poſtea ſugillat Catholicos admittentes gratiam, cui voluntas reſiſtere poſſit. Sed in hoc capite

Calvinum ſectari potiſſimum videntur Janſeniani, quorum ſyſtema nobis explicandum eſt uberius.

II. Janſenius *l.* 3. *de grat. Chriſti* acriter inſurgit in gratiam ſufficientem, eamque miſere diſcerpit. *Non tantum*, inquit lib. citato. c. 2., *inutilis eſt ſed & pernicioſa. Quid homini pernicioſum magis, quam illa gratia abundare, qua nemo unquam, fatentibus etiam ſcholaſticis, niſi majorem damnationem aſſecutus ſit?* & cap. 3. *Illud a recentioribus prolatum gratiæ ſufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum eſt, aut unquam fiet, videtur monſtrum ſingulare gratiæ, peccatis duntaxat faciendis, majorique damnationi inſerviens.* Magiſtrum ſequuntur diſcipuli: quantis enim calumniis auctor libelli, cui titulus *Lettres Provinciales*, explodit gratiam ſufficientem? quæ nempe non ſufficiat, quæ ſemper det poſſe agere, & nunquam det agere &c. Sed videamus propius doctrinam Janſenianam.

III. Diſtinguit ergo Janſenius. *(l.* 4. *de grat. Chriſti c.* 11.*)* duplicem delectationem, unam *cœleſtem*, quæ ad bonum; alteram *terrenam*, quæ ad malum inclinat & attrahit. Eodem lib. *c.* 9. docet utramque delectationem invicem pugnare, earumque conflictum ſopiri non poſſe, niſi altera alteram delectando ſuperet, eoque totum voluntatis pondus tendat; ita ut vigente delectatione terrena non poſſit prævalere minor delectatio cæleſtis. Addit *lib.* 7. *cap.* 5. delectationem eſſe vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia, vel peccato ita firmiter retinetur, ut quamdiu iſto conſtringitur, actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem, ita nempe, ut arbitrium non liberatum eum velle non poſſit. Contendit *l.* 4. *c.* 7. naturali ordine ſequi ex delectatione dilectionem, ex dilectione operationem, & *l.* 2. *c.* 25. gratiam & opus bonum ita reciprocari,

ut ſicut ex gratia data infertur, effectum operis eſſe conſecutum; ita viciſſim ex defectu operis inferatur gratiam non eſſe datam.

Ex his principiis ſtatuit Janſenius duplicem gratiam, unam victricem & ſuperiorem, alteram parvam & inferiorem. *Victrix* ea dicitur, quæ major eſt oppoſita cupiditate, eamque ſuperat; adeoque plenum atque perfectum aſſequitur effectum, nempe efficacem volitionem & operationem boni: gratia *parva* ea appellatur, quæ quidem debilem & infirmum effectum operatur, nempe veleitates, ut aiunt, & inefficacia deſideria; plenum tamen effectum, ſeu ipſum opus bonum habere non poteſt in his circumſtantiis propter *defectum virium*, & majorem concupiſcentiæ delectationem. Hinc homo juſtus gratia parva inſtructus, & abſente victrice non habet potentiam ſaltem relativam ad vincendas tentationes, & obſervandum præceptum, quia in ipſo tunc ſupponitur actualis concupiſcentia dominari, ac major eſſe ipſa gratia.

Ne tamen Janſeniani videantur omnem vim in ordine ad opus bonum exercendum adimere gratiæ parvæ, duplicem diſtinguunt poteſtatem, unam *abſolutam*, alteram *relativam*, quæ diſtinctio radix eſt omnium fallaciarum, quibus Catholicorum argumenta eludere, & Eccleſiæ cenſuris ſe ſubducere conabantur. Potentia abſoluta ad bonum ea dicitur, quam habet & dat gratia parva, ſi ſecundum ſe præciſe & abſolute ſpectetur, præciſis ſubjecti, cui datur, diſpoſitionibus & concupiſcentia. Relativa ea dicitur, quam habet gratia & dat relate ad majorem delectationem concupiſcentiæ ſubjecti, cui ineſt. Quare dum opponunt Catholici: juſtum non poſſe obſervare præcepta cum gratia parva (utpote quæ non alium, quam inefficacis deſiderii, effectum habere poteſt) reponunt

Janseniani se non negare perfectam, completam & expeditam potentiam, idque intelligunt de potentia absoluta, & præcisis subjecti circumstantiis; non vero de potentia relativa nempe relate ad circumstantiam, in qua justus versatur, seu ad intensiorem motum concupiscentiæ, ob quam necessitatur ad violandum præceptum. Ex quo vides hominum illorum subtilem fraudem sed inanem; perinde enim est ac si dicerent: si justus non haberet vehementem adeo concupiscentiam, gratia ei daret sufficientem potestatem agendi bonum; hanc tamen non habet in his circumstantiis, in quibus versatur, & tenetur servare præceptum. Ac proinde justus qui præceptum violat, in his circumstantiis non habet veram potentiam ad illud observandum; sed habet duntaxat potentiam abstractam, & inutilem pro praxi, quippe quæ ad exercitium boni operis nihil conferre potest: siquidem delectatio major superari non potest ab opposita minore, & voluntas semper necessitatur a majore concupiscentia juxta fundamentale principium systematis Janseniani.

IV. Hoc potentiæ *absolutæ* subsidio damnatas ab Ecclesia propositiones & ipsi Janseniani ad speciem damnant. I. Aiunt Justis non esse impossibilia Dei mandata, impotentia scilicet absoluta, non relativa. 2*do:* dicunt gratiæ interiori resisti, nempe quoad effectum uberiorem & perfectum, quem habere potest absolute, at non relative. 3*tio:* ad libertatem requiri immunitatem a necessitate absoluta & antecedente, non relativa & hypothetica. 4*to:* humanam voluntatem posse resistere vel obtemperare gratiæ, si ea absolute & in se simpliciter spectetur, non vero si relative, & quatenus est intensior motu concupiscentiæ. 5*to:* Christum pro omnibus esse mortuum, & Deum velle omnes salvos fieri, quatenus meruit & confert reprobis quasdam gratias, quæ absolute & secundum se spe-

ctatæ

ctatæ possunt eos ad salutem perducere; quamvis non possint relative, & secundum præsentes illorum hominum dispositiones & tentationes. Ita unius vocis æquivocatione explodunt judicium Ecclesiæ, & sese in Catholicos transformant.

§. II.

An & qualis detur in præsenti statu gratia sufficiens.

Proposita quæstio duas partes complectitur: primo quæritur, utrum in statu naturæ lapsæ præter gratiam efficacem admitti oporteat gratiam mere sufficientem; secundo, quid nomine gratiæ sufficientis adversus parvam Jansenii gratiam sit intelligendum.

ASSERTIO I.

In statu naturæ lapsæ præter gratiam efficacem, alia debet admitti gratia actualis, quæ sit pure sufficiens, suoque privetur effectu.

V. Prob. 1. ex Scripturis, in quibus passim redarguuntur homines, quod gratiæ motum & inspirationem contemnant: Proverb. c. 1. *Vocavi & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Isaiæ 5. Deus profitetur se nihil omisisse, ut homines ad se adduceret: *quid est quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Matth. 11. *Christus cæpit exprobrare civitatibus in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam: væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis in Cilicio & cinere pænitentiam egissent.* Act. 7. Sic Judæos ca-

 pitr-

pit Stephanus: *vos ſemper ſpiritui ſancto reſiſtitis.* Ad Rom. 2. *ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram.* & Apocal. 3. *Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam & aperuerit januam, intrabo ad illum.* Ex quibus, aliisque, quæ copioſe Scripturæ habent, locis manifeſte colligitur, dari hominibus lapſis gratiam, cui reſiſtant; ita enim arguimus: illi gratiæ Dei reſiſtunt, qui dicuntur vocationi Divinæ *renuere*, ejus conſilium *negligere*, vel etiam deſpicere, ſecundum *duritiam* & *impœnitens cor* ſpiritui ſancto *reſiſtere*, ac demum pulſanti Deo non *aperire:* atqui hæc omnia leguntur in citatis textibus: ergo.

Reſpondet quidem Calvinus ea loca intelligi debere de gratia & vocatione externa; non autem de interiore; ſed hæc reſponſio inprimis favet Pelagianis, qui de prædicatione Evangelii hæc loca exponebant, negantes proinde gratiam interiorem, & inſpirationem Dei interius moventem; contra quos Auguſt. in *l. de grat.* ex ipſis adductis locis interioris gratiæ exiſtentiam probavit, ut priore controverſia vidimus. Deinde his locis dicitur homines ita vocari ad fidem, ad pœnitentiam, ad alia bona opera, ut poſſint ſequi divinam vocationem, adeoque non ſequendo ſint inexcuſabiles: ſed homines vocantur per gratiam interiorem; neque dici poteſt aliquem reſiſtere ſpiritui ſancto, bonitatem Dei contemnere ſecundum duritiem cordis &c. niſi interius fuerit excitatus per veram gratiam externæ vocationi adjunctam.

Probatur II. ex Conciliis. Arauſicanum II. hæc definit. c. 25. *hoc ſecundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptiſmum gratia omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter labo-*

laborare voluerint, *adimplere.* Ergo ex fide catholica baptizati omnes habent ea omnia, quæ ad salutem pertinent: atqui quæ ad salutem pertinent, non possunt impleri sine interiore gratia complente potentiam: ergo eam gratiam omnes habent. At non omnes habent efficacem, ut certum est; ergo aliqui, imo multi habent mere sufficientem, quacum ea, quæ pertinent ad salutem non implent, non quia non possunt, sed quia fideliter laborare nolunt. Hinc Trident. Sess. 6. c. 11. hæc habet: *Deus impossibilia non jubet*, *sed jubendo monet & facere quod possis*, *& petere quod non possis*, *& adjuvat ut possis.* Unde sic argues: nulla præcepta divina, quorum tamen multa observari non possunt sine interiore gratia, sunt ad observandum impossibilia justis. Ergo habent pro loco & tempore gratiam interiorem ad omnia præcepta observanda necessariam: atqui hæc gratia non est efficax in omnibus; ergo in multis mere sufficiens. Eadem Synodus cap. 5. aperte pronuntiat hominem *posse gratiam abjicere*, & can. 4. *posse dissentire si velit.* & cap. 13. Deum bonum opus perficere, *nisi ipsi illius gratiæ defuerint;* supponit ergo homines interdum gratiæ deesse seu resistere, adeoque dari gratiam, quæ non semper suum habet effectum.

Prob. III. ex Patribus: quorum illustria hanc in rem testimonia adfert Bellarminus; sed cum adversarii præcipuum suæ sententiæ Patronum jactitent S. Augustinum, ex multis illius locis quatuor adfero. Ac primo gratiæ Dei interdum resistere hominem testatur D. Doctor lib. 83. quæstionum, quæst. 68. ita loquens: *ad illam cœnam nec omnes qui vocati sunt*, *venire voluerunt*, *neque illi qui venerunt*, *venire possent nisi vocati. Igitur nec illi debent sibi tribuere qui venerunt*, *quia vocati venerunt; nec illi qui noluerunt venire*, *debent alteri tribuere*, *sed tantum sibi: quoniam ut venirent vocati*, *erat in eo-*

rum

rum libera potestate. Loquitur hic D. Doctor de vocatione non tantum externa, sed vel maxime interna, atque de ea, qua vocati sibi soli tribuere debent, quod non venerunt, etsi venire potuissent; atqui vocatio interna, quacum homines possunt venire ad Christum per fidem & dilectionem, & tamen non veniunt ex culpa sua, est gratia mere sufficiens. L. I. de peccat. merit. cap. 39. ita scribit: *habet homo concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque adjuvante Deo superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Quotquot igitur gratiam in vacuum & sine fructu recipiunt, eidem resistunt. L. de corrept. & grat. c. 7. *corripimus juste*, inquit, *eos, qui cum bene viverent, non in eo perseverarunt - - - quoniam potest dici: homo in eo, quod audieras & tenueras, perseverares si velles.* Ergo qui non perseverat in fide & charitate, potuit perseverare, ac proinde habuit gratiam vere sufficientem, cui noluit obedire. L. de sp. & lit. c. 34. hæc habet: *in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Ergo possumus gratiam prævenientem dissentiendo frustrare effectu suo.

Addo duas rationes Theologicas: 1mo: mandata Dei sunt omnibus possibilia; Deus enim impossibilia non jubet: at nisi daretur gratia sufficiens, mandata Dei forent impossibilia multis ea non implentibus, qui omni nempe carent gratia, qua possibilia fierent; certum est enim multos carere gratia efficaci: ergo præter efficacem alia sufficiens est admittenda. 2do: non intelligitur, quomodo vel malitiæ, vel torporis insimulari possint multi homines, imo & corripi, quod mandata non servarint, tentationes non superarint, ac secuti non fuerint bonos motus, sanctasque inspirationes, nisi gratiam interiorem persæpe irritam faciant.

AS-

ASSERTIO II.

Nomine gratiæ ſufficientis intelligi debet ea, quæ voluntati ad opus bonum confert potentiam completam & relativam ad præſentes ſubjecti circumſtantias: hinc erronea eſt gratia parva Janſenii.

VI. Probatur I. ex omnibus prioris aſſert. argumentis. Inde enim conſtat homines divinis inſpirationibus perſæpe reſiſtere: ſed ſi daretur gratia Janſeniana (quæ ſemper ſuum habet effectum, ad quem a Deo eſt deſtinata) nemo divinis inſpirationibus reſiſtit; cum quævis Dei gratia eum ſemper effectum habeat, quem habere poteſt, adeoque quilibet noſtrum divinæ gratiæ ſemper conſentiat, nemo voluntati Divinæ unquam reluctetur, quod allatis Scripturæ locis manifeſte adverſatur. Certe ut exprobratio Chriſti facta Judæis per illa verba: *væ tibi Corozaim &c.* juſta ſit, neceſſe eſt, ut ſicut Tyrii & Sidonii, viſis Chriſti miraculis vere & relative doluiſſent, ita Corozaitæ, eadem ſibi affulgente gratia, pænitentiam vere & relative agere potuiſſent; ceteroquin nulla vis in Chriſti verbis fuiſſet.

Probat. II. ex duabus propoſ. Janſenii ab Eccleſia damnatis in ſenſu ab eo intento. *Prima* eſt: *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.* Jam ita arguo: Eccleſia eam agnoſcit in gratia ſufficiente ad opus bonum potentiam, quam negat damnata propoſitio: atqui illa non negat in gratia ſufficiente & parva abſolutam ad bonum potentiam, ſed tantum relativam ad præſentes juſtorum vires: ergo. *Secunda* eſt: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Eam ergo Eccleſia agnoſcit gra-

gratiam, quam his verbis negat Janſenius: atqui hic negat eam, quæ ex culpa voluntatis non habet effectum ad quem in his circumſtantiis, in quibus ei reſiſtitur, eſt vere ſufficiens; cum juxta illum gratia omnis hominibus lapſis data habeat omnem effectum, quem habere poteſt in his circumſtantiis, in quibus datur: ergo: Hinc etiam in Bulla *Unigenitus* hæ Queſnelli propoſ. damnantur. 13. *Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit.* 15. *Quando Deus mandatum ſuum comitatur unctione ſpiritus & interiori vi gratiæ ſuæ, operatur illam in corde obedientiam, quam petit.* 18. *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, ſemper adfert fructum ſuum &c.*

§. III.

Solvuntur Oppoſitiones.

VII. Tripliciter contendunt adverſarii contra exiſtentiam gratiæ ſufficientis pugnare, depromptis nempe argumentis ab auctoritate Divinæ ſcripturæ, ab Auguſtini contra Pelagianos diſputationibus, & ab ipſa ratione. Singula ordine explicanda veniunt.

Objecta ex Scripturis.

Primo Iſaiæ c. 55. Deus ait: *ſic erit Verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his ad quæ miſi illud.* Per Verbum Dei intelligitur gratia; at illud dicitur non fore vacuum; ergo nec gratia Dei vacua erit & inefficax.

2do: Joan. 6. Chriſtus ait: *omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me:* Nullus ergo veræ & internæ vocationi re-

resistit. Apostolus ad Rom. 9. *Non est volentis*, inquit, *neque currentis*, *sed miserentis Dei.* Ad Philipp. 2. *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere.* In quibus locis asseritur gratiam Dei esse efficacem. Denuo Psal. 113. dicitur: *Deus noster in cælo*, *omnia quæcunque voluit fecit*; & in Epist. ad Rom. 9: *voluntati ejus quis resistit?* Ergo semper Deus per suam gratiam quidquid vult operatur, ejusque voluntati nemo resistit.

Resp. ad I. Eo loco per *Verbum* non intelligi gratiam internam, sed aliquid a sola Dei voluntate pendens, nempe promissum de fædere novi testamenti, de Messia, & bonis per eum dandis. Ceterum per Verbum Dei notatur proprie res a Deo revelata, quæ tamen non semper ab hominibus impletur; ut præcepta Divina nobis declarata non semper servantur. Præterea gratia interna non caret omni effectu, nec redit vacua: nam hunc saltem effectum habet a Deo intentum, ut manifestet Divinam providentiam, misericordiam & voluntatem salvandi omnes, imo & justitiam in homine ex propria malitia gratiæ resistente: intendit nempe Deus per hanc gratiam, ut bonum fiat, aut si illud omittatur, justa pæna transgressionem sequatur. Unde cum alterutrum semper fiat, Verbum Dei seu exterius seu interius ad ipsum non redit vacuum, denique si textus objectus spectaret etiam gratiam internam, intelligeretur relate ad illos, quibus Deus interne loquitur ex voluntate efficaci; relate ad illos, seu electos nunquam Verbum illud redit vacuum, sed prosperatur.

R. ad 2*dum*: id unum probari ex istis & similibus textibus, dari gratiam efficacem, quæ infallibiliter inferat actum salutarem, quæ miserentis est Dei, & quæ dat velle bonum & perficere; quod ultro fatemur: at nego inde colligi posse

nullam dari gratiam pure ſufficientem, quæ careat ſuo effectu, & cui voluntas humana reſiſtat. Ex prioribus locis ſane colligitur, tantum gratiam efficacem adſtrui, cum loquatur de iis, quorum miſeretur Deus, & qui ejus vocationi obediunt. Quod ad alios textus pertinet, advertendum eſt ad ea, quæ docui in *tract. de Deo*, nempe aliam eſſe Dei voluntatem antecedentem, conditionatam, omnesque homines generaliter reſpicientem, aliam conſequentem, abſolutam & ſpecialem: Quare huic quidem voluntati non reſiſtit homo, reſiſtit tamen priori, ut adeo ſufficiens gratia ſit, quæ a prima illa voluntate deſcendit; efficax vero, quæ confertur voluntate poſtrema.

Urgent ex illo textu: *non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei*, ita arguentes; Non eſt volentis, ſeu in poteſtate hominis, vocationi obtemperare vel repugnare; ergo non datur gratia pure ſufficiens. R. diſt. ant. Non eſt volentis per ſolas naturæ vires, C. per gratiam Chriſti: iterum diſtinguo: non eſt volentis primario & principaliter, quaſi præcipuæ boni operis partes homini, & non Deo, ſint adſcribendæ, C. Non eſt volentis ſecundario, quaſi homo Divinæ gratiæ nihil cooperetur, Nego. Hoc unum vult Apoſtolus, bonum opus magis eſſe a Deo per gratiam, quam ab homine, qui absque gratia nec conſentire nec conari poteſt. Hoc explicat Auguſt. textu citato *num.* 5. *Controverſiæ I.*, ibique indicat converſionem noſtram eſſe partim humanæ partim divinæ voluntati tribuendam, licet primario opus ſit Dei miſerentis.

Objecta ex D. Auguſtino.

VIII. Primo D. Doctor in Verba Chriſti ſupra citata: *omnis qui audivit a Patre &c.* ita loquitur l. de prædeſt. c. 8. *Quid eſt omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me,*

me, nisi, nullus est qui audiat & discat, & non veniat ad me? si enim omnis qui audivit & didicit, venit: certe omnis qui non venit, nec audivit nec didicit. & infra: *hæc itaque gratia, quæ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Ex quibus merito inferri potest, illum, qui non convertitur; non audivisse a Patre, nullamque gratiam habuisse. Adde, quæ D. Doctor habet l. de grat. Ch. c. 13. *qui novit quod fieri debet, & non facit; nondum didicit secundum gratiam sed secundum legem; non secundum spiritum sed secundum literam.* Ergo absente gratia efficaci; quæ operatur fidem de qua hic sermo est, sola superest gratia externa, non alia gratia interior.

R. Ad primam illationem: ergo qui non convertitur, non audivit efficaciter, C. sufficienter, N. Ideo enim non convertitur, quia vocationi, cui consentire potuisset, resistit. Hinc Aug. l. de grat. Ch. c. 13. *Non est autem consequens, ut qui potest venire etiam veniat, nisi id voluerit.* His locis agitur de gratia efficaci, quæ semper suum habet effectum: sed præter hanc datur alia vere sufficiens, quæ dat completam potentiam ad bonum faciendum; quo tamen effectu caret ex culpa voluntatis. Mirum autem videri non debet, D. Doctorem in suis libris sæpe agere de gratia efficaci: nam cum Pelagius diceret hominem solis naturæ viribus agere salutariter, debuit id opus tribuere gratiæ & loqui de illa, prout re ipsa bonum operatur. Adde ibidem agi de prædestinatione gratuita, adeoque de gratia cum salute connexa. Ad alteram illationem dico: S. Doctorem ibi duntaxat requirere præter gratiam legis & doctrinæ, qua mens illustratur, gratiam voluntatis & actionis, de qua alibi dixi. Hinc dist. propos. Qui novit quod fieri debet, & non facit, nondum didicit secundum gratiam,

in hypothesi seu doctrina Pelag. C. secundum mentem August. N, Sensus ergo est, eum qui per legem cognovit quid sit faciendum, nondum posse agere salutariter, nisi moveatur interiore gratia.

Secundo, opponitur locus ex lib. I. ad Simplicianum q. 2. ubi sic loquitur D. Doctor: *Manifestum est frustra nos velle, nisi Deus misereatur: illud autem nescio, quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus misereatur, ergo jam volumus.* Dicit ergo nos velle, si Deus misereatur, quod perinde est, ac effectum cum gratia semper esse conjunctum. Eodem loco ita scribit: *ad alios autem vocatio quidem pervenit, sed quia talis fuit, qua moveri non possent, nec eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi.* Agnoscit ergo sine gratia efficaci non posse quemquam converti; adeoque negat gratiam pure sufficientem.

Resp. D. Doctorem in priore loco agere contra illos, qui voluerunt nostram primam boni voluntatem non esse ex gratia præveniente, sed ex nobis; unde contendit voluntatem nostram non præcedere Dei misericordiam, sed eam sequi. Illa ergo volitio, de qua ibi sermo est, intelligi potest de volitione indeliberata, & præveniente: quod si tamen ea volitio dicatur deliberata, responderi potest, ibidem agi de misericordia efficaci, non excludendo gratiam sufficientem, quam Deus etiam concedit, cum non ita efficaciter miseretur. Ad alterum locum dico, illa verba: *moveri non possent* notare tantum impotentiam consequentem; quia nempe prævisa erat vocatio tunc illis incongrua ob reluctantem eorum voluntatem, qua stante moveri non poterant: sic S. Doctor se explicat tract. 53. in illa verba Joan. *propterea non poterant credere &c.* quærens enim quomodo peccaverint

si

ſi non potuerunt credere, ita ait: *quare autem non poterant? reſpondeo, quia nolebant: malam enim eorum voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænunciavit.*

3*tio* ducitur argumentum ex illis locis, quibus S. Auguſt. innuere videtur voluntatem Dei ſemper impleri: inſtar omnium ſunt textus ex cap. 14. lib. de corrept. & gr. deſumpti, ubi ait *volenti ſalvum facere nullum reſiſtit arbitrium. Sic velle & nolle in noſtra eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem. Non eſt dubitandum voluntati Dei humanas voluntates non poſſe reſiſtere &c.* Ergo cum Deus det gratiam ut fiat bonum, illa habet effectum ſuum; alioquin non impleretur voluntas Dei. At vero nemo non videt S. Doctorem loqui de voluntate Dei abſoluta & efficaci, quæ ſemper impletur: alteram vero inefficacem, & conditionatam, ſeriam tamen & ſinceram, non excludere, imo expreſſe admiſiſſe S. Doctorem, patet ex teſtimoniis ipſius inter probationes relatis. Hinc duplicem diſtinguit vocationem, unam quæ eſt ſecundum propoſitum, id eſt decretum Dei gratuitum & efficax, & hæc habet ſemper effectum: alteram quæ non eſt ſecundum propoſitum, & hæc effectu, ad quem datur, caret, quia voluntas hominis non vult ei conſentire.

4*to* adferunt loca ex lib. de grat. Ch., ubi Auguſt. Pelagii ſyſtema deſcribit & impugnat, ut vidimus *Controverſia I. cap.* 2. Ibi enim rejicit D. Doctor adjutorium poſſibilitatis, & adſtruit adjutorium voluntatis & actionis: ſed gratia ſufficiens eſt gratia poſſibilitatis, non voluntatis & actionis: ergo rejicit gratiam pure ſufficientem. R. diſt. majorem: ibi rejicit adjutorium poſſibilitatis in ſenſu Pelagii, C. in ſenſu a nobis allato, N. gratia ſufficiens in noſtro ſenſu plurimum differt ab adjutorio poſſibilitatis Pelagiano: nam ex mente Pe-

lagii

lagii adjutorium possibilitatis non dabat posse simpliciter, sed solum posse facilius, & consistebat tantum in lege ac doctrina exterius vel interius propositis; adeoque contendit Pelagius liberum arbitrium per se solum valere ad quodlibet opus salutare, nec indigere gratia interiore: at gratia sufficiens, quam ex fide Ecclesiæ propugnamus, est gratia interior, quæ dat completam potentiam agendi, voluntatem immediate excitando, corroborando & adjuvando ad bonum volendum & agendum.

5*to* ea loca adducunt ex lib. de corrept. & grat., quæ nos citavimus *Controversia I. cap. 6.* Ibi S. Doctor dividit gratiam in adjutorium *quo*, & adjutorium *sine quo non;* & hoc dicit fuisse proprium statui naturæ lapsæ. Atqui per adjutorium *sine quo non* intelligit gratiam sufficientem, & per adjutorium *quo* gratiam efficacem: ergo judicavit in statu naturæ lapsæ dari duntaxat gratiam efficacem, non sufficientem.

Huic objectioni, qua nititur potissimum Jansenius, satisfecimus loco citato, atque ut huic momento nullam inesse vim videamus, tria nobis sunt observanda. I. Etsi S. Augustinus per adjutorium *sine quo non* intelligat actualem gratiam Adæ innocenti datam ad perseverandum; tamen per adjutorium *quo*, quod nunc Electis datur ad perseverandum in statu justitiæ, non intelligit actualem aliquam gratiam, sed mortem in iis circumstantiis procuratam, in quibus homo justus est. Quod ita planum est, ut mirum sit Jansenium hac in re tot doctoribus scholasticis fucum fecisse. 2do: etsi demus per adjutorium *quo* intellexisse D. Doctorem gratiam actualem, quis dicat eum notasse gratiam irrepudiabilem, & victricem? voluit duntaxat in hoc statu dari gratiam ex se repudiabilem, a qua tamen voluntas ita movetur, quomodo ei congruit, ut credat, speret, diligat &c. 3tio: falsum est, S. Doctorem docuisse

cuisse (id quod contendit Jansenius) omnem gratiam in statu naturæ innocentis datam fuisse sufficientem tantum: omnem vero gratiam naturæ lapsæ esse efficacem. Nam eo loco totus est, ut gratiæ efficacis existentiam commendet, non autem excludat gratiam sufficientem, ut ex aliis locis vidimus.

6to opponunt locum ex lib. de grat. & lib. arbit. ubi D. Doctor sic scribit: *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem; cum magnam habuerit & robustam.* Et post pauca de S. Petro dicente se velle pro Christo animam ponere, ait: in eo nondum fuisse charitatem perfectam, *etsi non deerat parva & imperfecta, quando dicebat Domino: animam meam pro te ponam; putabat enim se posse, quod se velle sentiebat.* Ex quibus arguunt Janseniani, gratias sufficientes consistere in motibus quibusdam bonis longe debilioribus, quam sint motus concupiscentiæ, nec alias gratias sufficientes Augustinum agnovisse. Et sane nisi delectatio cælestis major sit terrena, eam vincere non potest; adeoque in hypothesi, qua supponitur concupiscentiam majorem esse gratia, nulla esse potest gratia sufficiens relate ad præsentes circumstantias.

Resp. eo loco intelligi per voluntatem *parvam*, vel defectum gratiæ proxime & omni ex parte sufficientis, vel impotentiam duntaxat consequentem, ut suo loco dicemus. Ceterum ut gratia relate ad circumstantias concupiscentiæ possit esse vere sufficiens, non requiritur, ut major sit gratia quoad gradus intensionis, cum voluntas cum qualibet gratia possit resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare quodcunque peccatum. Hinc ipse Augustinus l. 8. Confess. c. 8. fatetur, se id aliquando non fecisse, quod *incomparabili affectu magis sibi placebat.*

Objecta ex variis rationum momentis.

IX. Opponit I. Jansenius *l.* 3. *de grat. c.* 2. gratia pure sufficiens *inutilis* est; illa enim inutilis est, quæ suum effectum non habet, nec unquam habuit, quæque non prodest nisi ad peccandum: atqui talis est gratia pure sufficiens. Deinde est *perniciosa*, cum ei voluntas resistat in suam perniciem. Addit Jansenius ibidem c. 3. *illud a recentioribus prolatum gratiæ sufficientis genus, quo adjuvante nullum unquam opus factum est, aut fiet unquam - - - videri monstrum quoddam singulare.* Et sane si gratia daretur mere sufficiens, posset peti a Deo; at hoc quam absurdum sit quis non videt?

Resp. N. utrumque Jansenii assertum. Primam probationem disting. Illa gratia est inutilis, quæ suum effectum non habet ex defectu virtutis intrinsecæ & relativæ, & in omnibus circumstantiis, C. quæ effectum non habet vitio voluntatis libertate sua abutentis, & in iis tantum circumstantiis, in quibus supponitur fuisse mere sufficiens, N. Eadem quoad speciem & intensionem gratia, quæ in aliquibus circumstantiis incongrua est & mere sufficiens, in aliis multis potest esse congrua, adeoque sic est mere sufficiens pro quibusdam circumstantiis, ut pro aliis possit esse efficax: ac licet ex culpa voluntatis reddatur inutilis, utilis tamen per se est, utpote tribuens voluntati completam & relativam potentiam ad bonum, qua si vellet uti, bonum ageret. Sicut ergo pecunia non est per se inutilis ei, qui ea uti potest & non utitur, ita gratia per se inutilis non est homini, qui ea recte uti potest. Adde: hanc gratiam semper conducere ad ostendendam Dei providentiam, benignitatem, & sinceram voluntatem salvandi omnes. Hinc patet responsio ad id quod dictum est, *eam gratiam non prodesse nisi ad peccandum;* nam si gratia sumatur se-

cun-

eundum ſe, & ut aiunt ſpecificative, hoc eſt præciſe ut auxilium a Deo proveniens, utiliſſima eſt ad ſalutem, & ingens divinæ miſericordiæ donum: ſi autem ſumatur in concreto, ſeu ut aiunt reduplicative, cum noſtro diſſenſu cunjuncta, verum eſt in ſenſu compoſito non eſſe utilem ad vitandum peccatum; non enim poſſumus ſimul peccare & non peccare. At enim hoc non provenit a gratia, ſed a noſtra malitia; quia gratia pure ſufficiens non eſt a Deo, ſed noſtra culpa, quæ facit gratiam in actu ſecundo mere ſufficientem, ſeu inefficacem.

Jam ex his perſpicitur, quanta temeritate gratia noſtra dicatur pernicioſa & monſtroſa. An enim illud pernicioſum eſt, quod voluntas in bonum ſuum convertere, & quo recte & in ordine ad ſalutem uti poteſt? quod ſi cedit in damnum hominis, an non ideo fit, quia eam gratiam homo repudiat ad perniciem ſuam lubens, volensque? fortaſſis etiam pernicioſa dici debent ſacramenta, quibus multi ad ſuam ipſorum perniciem abutuntur? quis non videt reſiſtentiam noſtram, qua abjicimus gratiam, non vero ipſam pernicioſam eſſe? monſtroſa certe non eſt gratia, quæ ſuum non ſortitur effectum conſequenter ad liberam voluntatis reluctantiam a Deo præviſam: aut ſi talis dicenda eſt, monſtro ſimilior erit gratia *parva* Janſenii, quæ inſufficiens eſt ad oppoſitam ſibi concupiſcentiam debellandam, & quacum voluntas neceſſario hærebit in ſolis inefficacibus deſideriis; an enim magis indecorum eſt gratiæ Chriſti, quod ipſi voluntas libere reſiſtat, quam quod neceſſario ſuperetur a prædominante concupiſcentia? valet ergo argumentum Janſenii contra parvam, quam propugnat gratiam; at ſponte ruit in ſyſtemate Catholicorum. Ceterum quod additum eſt, diſtinguo: gratia ut *vere* ſufficiens poſſet peti a Deo, C. ut *mere* ſufficiens, N. quod gratia ſit vere

ſufficiens, ex ſe habet & a propria virtute; quod vero ſit pure ſufficiens, habet ab extrinſeco, ſeu a libero voluntatis diſſenſu prævíſo, & ſic includit reſiſtentiam voluntatis: hinc dum petimus gratiam, non poſtulamus diſſenſum & reſiſtentiam gratiæ, ſed gratiam ipſam, ut eſt vere ſufficiens. Quare Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem numero 6tam: *gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quam pernicioſa eſt, ut proinde merito poſſimus petere: a gratia ſufficiente libera nos Domine.* Plures hujus generis propoſitiones ſunt Queſnelli a Clemente XI. damnatæ, quas longum foret enumerare.

Opponitur II. Juxta Cæleſtinum (Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ) *legem credendi ſtatuit lex ſupplicandi*: atqui Eccleſia in precibus ſuis non poſtulat gratias ſufficientes, ſed efficaces tantum, non orat pro infidelibus, ut poſſint converti, ſed ut convertantur: ergo non agnoſcit gratias ſufficientes. Et certe ſi datur gratia ſufficiens, inepta eſt iſta oratio Eccleſiæ poſtulantis, ut infidelis convertatur: cur enim roget illud a Deo, quod jam eſt in poteſtate hominis? Reſp. Eceſia recte implorat gratiam majorem, quæ non tantum tribuat poſſe, ſed etiam agere; poteſt enim petere id quod melius eſt, quin propterea neget minorem gratiam. Non igitur ſic orat Eccleſia, eo quod non dentur gratiæ pure ſufficientes, ſed quia non niſi bonum volendo & agendo ſalvabimur, & ita non ſalvabimur ſine gratiis efficacibus, etſi cum ſufficientibus poſſemus ſalvari: nec inepta idcirco eſt iſta oratio, quod in poteſtate noſtra ſit ſalus; etſi enim homo poſſit, non tamen vult ſemper; unde orat, ut Deus ita ipſum excitet, ut non tantum poſſit, ſed etiam velit.

Opp. III. Deus habet ſeriam & ſinceram voluntatem de ſalute omnium, atque hunc finem intendit ſerio: atqui non inten-

tenderet ferio, fi eligeret media inefficacia neglectis mediis efficacibus: ficut medicus non intenderet ferio fanitatem ægroti, qui neglectis aliis mediis præfcriberet ea duntaxat, quæ non profutura prævidit.

Refp. D. maj. Hunc finem intendit ferio, fimulque relate ad omnes efficaciter, N. ferio & relate ad aliquos inefficaciter, C. diftinguo etiam propof. affumptam: non intenderet ferio, fi eligeret media de fe & ab intrinfeco inefficacia, C. media tantum inefficacia ab extrinfeco, feu malo ufu libertatis humanæ, N. ut Deus ferio dicatur intendere falutem hominum, fatis eft, ut conferat media fecundum fe fufficientia ad eum finem affequendum, etfi per fcientiam mediam ea prævideat fore inefficacia; nam ea confert non *ut inefficacia*, ut fequatur peccatum, fed *ut fufficientia*, feu ut ponatur confenfus. Hinc etiam difting. paritatem: medicus non intenderet ferio fanitatem, fi præfcriberet media non profutura ex defectu intrinfeco illorum, C. non profutura ex culpa ægroti nolentis ea adhibere, N. Ceterum fi habeat media proficua, eaque fimul prævidet ab ægro adhibenda, his neglectis non videtur ferio intendere fanitatem, quia cum facile poteft, tenetur; impedire abufum mediorum: non ita fupremus vitæ Dominus, qui relinquit hominem in manu confilii fui.

Opp. IV. Janfeniani in fuo fyftemate de gratia parva nihil admittunt aut negant, nifi quod ab orthodoxis DD, aut admittitur aut negatur. Nam inprimis admittunt gratiam, quæ producit parvam & invalidam voluntatem, negantque illam gratiam fufficere ad obfervanda præcepta, quia ad hoc neceffaria eft alia gratia tribuens voluntatem magnam & robuftam, atque in eo confentientes habent Moliniftas, qui afferunt non effe illud auxilium fufficiens, fi aliud eft neceffarium

ad opus complendum. Deinde negant gratiam ſufficientem in ſenſu Moliniſtico, nec poſſunt idcirco reprehendi, quia hanc gratiam negant omnes Thomiſtæ. Nihil ergo peccant Janſenii aſſeclæ negantes gratiam ſufficientem: ſed cum Moliniſtis docent gratiam ſufficientem in ſenſu Thomiſtico non eſſe revera ſufficientem; & cum Thomiſtis negant dari gratiam ſufficientem juxta notionem Moliniſtarum. Hoc argumentum pluribus verſat Blaſius Paſchalis in Epiſtolis Provincialibus ſub ficto nomine Ludovici Montalti editis.

Ludicra hæc Paſchalis argumentatio ut ſolvatur, diſtinguendum eſt dogma fidei a variis modis, quibus illud Theologi exponunt. Agnoſcit Eccleſia gratiam ſufficientem, & talem, quæ vires ſaltem mediate pares confert relative actuali cuique oppoſitæ concupiſcentiæ ſuperandæ: en ſubſtantia dogmatis Catholici. Quo vero ſenſu explicanda ſit illa ſufficientia gratiæ, an Moliniſtico, an Thomiſtico &c. Eccleſia non definit, ſed Theologorum diſputationibus permittit. Videamus jam, quinam dogmati fidei adverſentur. Janſenius docet ſub delectatione victrici tale vinculum injectum eſſe voluntati, ut neceſſitate flectatur, nec actus oppoſitus in ejus ſit poteſtate. Ergo ſub gratia parva, premente perverſa cupiditate, non eſt potentia recte operandi, & ſub gratia magna non ſtat poteſtas peccandi. An ſimilia docent DD. Catholici? minime vero: Moliniſtæ contra Janſenium clamant liberum arbitrium nunquam deperdere potentiam reluctandi, ſed per ſufficientem gratiam in tali ſtatu collocari, ut agere poſſit utrumque: Thomiſtæ etſi ad agendum gratiam requirant per ſe efficacem, docent tamen in ſola gratia ſufficiente conſiſtere veram & in actu primo expeditam potentiam recte operandi, ſicut ſub gratia efficaci defendunt cum determinatione actus perſiſtere indifferentiam potentiæ; ceterum Moliniſtæ & Thomiſtæ conve-

veniunt in admittenda gratia, cui voluntas resistit, adeoque nihil statuit utraque pars dogmati adversum. Quæstio ergo, utrum sufficientia gratiæ in systemate gratiæ per se efficacis salvari possit, mere Theologica & Scholastica est, quam nunc tractandam suscipimus.

CAPUT II.

DE VARIIS SCHOLARUM SYSTEMATIBUS CIRCA GRATIAM SUFFICIENTEM.

X. Cum gratiæ sufficientis existentiam paulo ante demonstravimus, eam spectavimus solum prout est gratia quædam, cui voluntas humana resistit, quæque propterea suum non habet effectum, ad quem destinata erat: nunc inquirimus, qualis sit ejus virtus & efficacia, & qualem se sola effectum producere possit. Atque hac in re variæ sunt scholarum opiniones, sicut & diversæ sunt in explicanda efficacia gratiæ; hæc enim duo maxime sunt conjuncta.

Prima sententia est Thomistarum, qui contendunt gratiam sufficientem natura & specie differre a gratia per se efficaci, ita ut gratia sufficiens nunquam evadat efficax, sed sit & maneat semper sufficiens: gratia vero efficax talis sit natura sua, hoc est semper obtineat suum effectum. In isto systemate gratia sufficiens dat solum agendi potentiam, ipsum actum non producit, dat quidem, ut aiunt, *posse agere*, non dat *ipsum agere*, ut enim homo bonum operetur, requiritur insuper gratia efficax, quæ quidem insuperabiliter voluntatem determinet ad agendum per physicam prædeterminationem. Si quæras a Thomistis, utrum ejusmodi gratia sufficiens conferat proximam & completam potentiam ad agendum, alii

affir-

affirmant, dicuntque gratiam ſufficientem importare potentiam completam agendi in genere potentiæ, quia homini illam gratiam habenti nihil deeſt ex parte potentiæ ſeu actus primi; cum auxilium prædeterminans non ſe teneat ex parte potentiæ, ſed ſit tantum cauſa, cur voluntas operetur, adeoque præc e detur, ut homo agat, ſicut ſufficiens gratia datur, ut poſſit agere. Alii vero negant per gratiam ſufficientem dari potentiam completam, quia præter ejusmodi gratiam neceſſarium eſt auxilium prædeterminans tanquam ultimum potentiæ complementum. Qua quidem in re parum inter ſe differre videntur iſti Theologi, qui hoc unum docere volunt præter gratiam ſufficientem, ad ſingulos pietatis actus neceſſariam eſſe gratiam per ſe efficacem in motione quadam phyſica poſitam.

Secunda ſententia priori non parum affinis illorum eſt, qui Scholæ Auguſtinianæ ſe addixerunt, & gratiam efficacem reponunt in victrice delectatione, ſeu charitate ſuperante contrariam cupiditatem; Horum Authorum mentem verbis Cl. Bertii referam. Docent gratiam ſufficientem eſſe delectationem quandam cælitus immiſſam, quæ etſi vere & proprie poſſit voluntatem flectere ad bonum, nunquam tamen flectet, niſi accedat victrix & flagrantiſſima delectatio. In iſto ergo ſyſtemate gratia *ſufficiens* ea eſt, quæ dat poſſe, non velle; aut ſi dat velle, iſtud adeo debile eſt, ut non niſi ſuperveniente potentiſſima charitate concupiſcentiam vincat, atque hujus generis ſunt inſpirationes & pia deſideria, quæ perverſam mentem excitant moventque aliquantulum, ſed illam ad converſionem non trahunt. Ex quo inferunt primo, gratiam ſufficientem ſemper habere effectum aliquem, bonum nempe motum, piamque voluntatem, ſed invalidam & cui liberum arbitrium reſiſtit. Deinde inferunt gratiam. quæ in uno ſuffi-

ſufficiens eſt, efficacem eſſe in altero, in quo carnalis voluntas non adeo pugnat cum ſpirituali; ac proinde eandem gratiam efficacem eſſe relate ad unum opus e. g. orationis, quæ talis non eſt comparate ad aliud opus e. g. obſervantiam præceptorum Divinorum. Inferunt denique, omnem Dei gratiam, quamtumvis minimam, eſſe in ſe *ſufficientem* ad opera ſalutaria, id eſt tribuere voluntati potentiam ſuperandi concupiſcentiam, etſi id non efficiat propter obicem carnalis & robuſtioris delectationis; nam ad hoc requirunt victricem delectationem, quæ a nullo duro corde reſpuitur. Ex quo vides hos Authores cum Thomiſtis in eo conſentire, quod judicent liberum arbitrium nihil boni agere, niſi determinetur per gratiam ab intrinſeco efficacem; diſcrepare autem in eo, quod Thomiſtæ negent gratiam in uno ſufficientem, poſſe in altero eſſe efficacem; illi autem fateantur eandem delectationem, quæ in aliquibus obduratis eſt inefficax, in aliis minus obſtinatis fore efficacem. Unde putant plurimum commendari benignitatem Dei, qui dum inſpirat victricem delectationem, id præſtat beneplacito & propoſito voluntatis ſuæ, idque beneficium præſtat iis, quos vult efficaciter vocare.

Tertia ſententia illorum eſt, qui omnem gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem rejiciunt; cenſent enim gratiam eam nomine potius quam re ipſa eſſe ſufficientem ad aliquem effectum producendum, præter quam alia requiritur abſolute gratia, ut iſte effectus producatur. Quare Molina, Suarezius, Simonnetus, aliique plurimi docent, gratiam pure ſufficientem non ſecundum naturam ſuam, & ab intrinſeco differre a gratia efficaci, ſed tantum ab extrinſeco, ſeu per malum vel bonum uſum voluntatis humanæ: cum enim Deus ſingulis hominibus conferat gratias de ſe ſufficientes, illæ di-

ASSERTIO I.

Gratia vere sufficiens non videtur esse in systemate eorum, qui admittunt gratiam per se & ab intrinseco efficacem.

XI. Probatur 1. ratione generali. Ea gratia non videtur esse vere sufficiens & utilis ad agendum salutariter e.g. ad præceptum observandum, quæ non complectitur illud omne, quod requiritur ut agamus salutariter; atqui talis est gratia sufficiens in systemate eorum, qui admittunt gratiam per se & ab intrinseco efficacem: ergo. Assumpta prop. probatur hoc modo: tunc gratia in isto systemate non complectitur omne quod requiritur ad agendum salutariter, quando ille, qui caret gratia per se efficaci, non potest agere salutariter; at ita est: nam constans eorum (qui admittunt gratiam per se & ab intrinseco efficacem) doctrina est, in hoc infirmitatis statu ita necessariam esse eam gratiam, ut sine illa nulla actio salutaris fiat & fieri possit.

Multa quidem effugia adferunt adversarii ad eludendum hoc argumentum, sed ea nobis minus firma videntur. Dicunt 1. Thomistæ gratiam sufficientem habere ex parte potentiæ, quidquid necessarium est, ut homo possit agere, etsi indigeat præmovente gratia, ut actu agat; cum præmotio non afficiat potentiam, seu ut aiunt actum primum, sed actum secundum. At hæc responsio refellitur ex eo, quod gratia sufficiens detur non tantum ut homo possit agere salutariter, sed & ut re ipsa agat: imo ille observare simpliciter non potest mandatum, & consentire vocationi, qui in sua potestate non habet, ut illud obtineat quod necessarium est ad actuale opus; atqui non est in potestate hominis aut immediate aut mediate habere auxilium illud præmovens, & per se efficax: cum enim

gratia efficax & phyſice præmovens neceſſaria ſemper ſit, ut ſufficiens in actum erumpat, non videtur, quo poſito aut omiſſo illud auxilium obtineri poſſit. Dicunt II. ſemper eſſe in poteſtate hominis auxilium illud efficax obtinere, ſi nempe bene utitur gratia ſufficiente, & ipſi non reſiſtit. At contra eſt: bonus ille gratiæ ſufficientis uſus, & illa non reſiſtentia eſt actio ſalutaris; nam ſalutariter agit, qui vocanti Deo non reſiſtit, ſed ei obſequitur: atqui omnis actio ſalutaris in principiis Thomiſtarum neceſſario exigit auxilium præmovens; ergo & ille bonus uſus gratiæ ſufficientis exiget neceſſario tale auxilium: ſed hoc ipſo in poteſtate hominis non eſt, ulterius illud auxilium efficax obtinere per bonum uſum, cum illud nobis detur ante omnem uſum libertatis noſtræ, & ex gratuito Dei arbitrio. Adde: contra illam diſpoſitionem ad gratiam facile retorqueri objectiones, quas in adverſam partem deſumunt adverſarii ex diſcretione & prædeſtinatione. Dicunt III. tam vere dici prædeterminationem phyſicam eſſe nobis paratam, quam id dicitur de concurſu Simultaneo in actu ſecundo; ſed contra eſt: non poteſt dici præmotionem nobis a Deo eſſe paratam, ut conferatur, niſi ſit in noſtra poteſtate; ſed non eſt in noſtra poteſtate: habet enim prioritatem cauſalitatis in omnem actum voluntatis, ita ut repugnet voluntatem agere, niſi prius, quam agat, præmoveatur: at concurſus Simultaneus in actu ſecundo nullam habet prioritatem cauſalitatis in actum voluntatis, quæ cum concurſu in actu primo potuit ſe determinare ad agendum.

Prob. 2*do*. Ex celebri teſtimonio Chriſti apud Matth. c. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pænitentiam egiſſent.* Fit hic comparatio inter Corozaitas & Bethſaiditas ex una parte, & Sidonios ac Tyrios ex alte-

altera, atque priores comparate objurgantur, quod visis Christi virtutibus & miraculis conversi non fuerint, quæ si vidissent Tyrii & Sidonii, pænitentiam egissent. Jam ita arguimus: gratia quæ concessa fuit Corozaitis, cum qua non sunt ad Christum conversi, quæ tamen, si Tyriis data fuisset, eos ad pænitentiam adduxisset; ista inquam gratia vere sufficiens est dicenda, quæ in illis effectum habuisset, quem in aliis non habuit: atqui quod gratia illa effectum non habuerit in Corozaitis, non fuit ex eo, quod non habuerint auxilium ex se efficax & physice præmovens; pariter quod hæc gratia effectum habitura fuisset in Tyriis, non habuisset ex auxilio ex se efficaci: ergo. Assumpta prop. probatur: si idcirco non crediderunt Corozaitæ, quod non acceperint auxilium efficax, quod Tyriis concedendum fuisset, justa & æqua non fuisset objurgatio illis a Christo facta: merito quippe reponere potuissent Corozaitæ ideo se non credidisse, quia caruerunt auxilio efficaci ad credendum necessario, quod ut haberent, in sua potestate non erat; ex adverso Tyrii illud habuissent, quo concesso credidissent; unde obtendere potuissent Corozaitæ se immerito objurgari comparate ad Tyrios: sed hoc ne quidem cogitari potest.

Respondent quidem adversarii, Corozaitas merito redargui comparate ad Tyrios, quia isti obicem non posuissent gratiæ, quem Corozaitæ posuerunt; unde istorum culpæ imputandum, quod efficacem non receperint gratiam, quam Tyrii accepissent, quia nullum gratiæ sufficienti obicem objecissent. At redit ex integro difficultas: Ideo Corozaitæ obicem posuerunt gratiæ excitanti & sufficienti, quia efficaci gratia erant destituti; ergo immerito se reprehendi potuissent obtendere. Nam obex vel impedimentum illud quid est, nisi resistentia gratiæ sufficienti? at hæc resistentia non tollitur nisi per gratiam efficacem: prius enim est Deum non dare auxi-

lium efficax, quam hominem ipſi per novum aliquod peccatum impedimentum adferre; ſi enim Deus auxilium illud dediſſet, omni remoto obice homo non peccaſſet.

Prob. 3*tio.* Inefficacia gratiæ ſufficientis nullo modo poteſt refundi in ipſam gratiam, aut in ejus largitorem Deum: ſed prima & unica cauſa hujus inefficaciæ eſt voluntas humana; atqui in ſyſtemate eorum, qui admittunt gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem, inefficacia gratiæ ſufficientis poſſet attribui ipſi Deo & gratiæ: ergo.

Propoſitio major certa eſt ex Scripturis, in quibus hæc inefficacia non Deo ſed hominibus tribuitur. Sic act. 7. dicitur: *vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Iſaiæ 5. *quid amplius facere debui vineæ meæ & non feci.* Oſeæ 13. *Perditio tua ex te Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Hinc ita arguimus: reddere gratiam Dei inefficacem, ſeu effectu vacuam (in his quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, ſeu quando nos vocat ad implenda præcepta) non fit ſine peccato, ſeu averſione hominis a Deo; ſed peccatum non poteſt tribui Deo, aut gratiæ largitori; igitur nec inefficacia. Aſſumpta autem prop. ita urgetur: in allato ſyſtemate voluntas, quotiescunque peccat, ſeu omittit obſervationem præcepti, id omittit neceſſario ſeu ex impotentia agendi ſalutariter; ſed hoc ipſo inefficacia gratiæ ſufficientis tribui non poſſet homini ſed Deo. Nam in illo ſyſtemate voluntas quotiescunque omittit, ideo facit, quia caret complemento virtutis agendi ad agendum ita neceſſario, ut eo non poſito repugnet eſſe actionem: at hoc ipſo omittit actionem ex impotentia agendi.

Colliges: gratiam proxime ſufficientem, de qua hic quærimus, includere auxilia neceſſaria non tantum ad *poſſe operari,*

ſed

ſed etiam ad *operari*, ita ut homo omne illud, quod ad actualem operationem liberam requiritur, vel jam actu receperit, vel ſi quid deeſt, id habeat in ſua poteſtate proxima promptum & paratum ex parte Dei. Nam omiſſio operis præcepti ad ſalutem reputatur homini in culpam: non poſſet autem ita imputari, niſi vel accepta, vel parata & in ſua poteſtate conſtituta habeat omnia gratiæ auxilia, quæ ad illud opus peragendum erant neceſſaria. Patet id amplius ex paritate Auguſtini his verbis indicata: *ſufficit ſibi oculus ad non videndum, hoc eſt ad tenebras: ad videndum vero lumine ſuo ſibi non ſufficit, niſi illi extrinſecus adjutorium clari luminis præbeatur.* Jam vero juxta Thomiſtas ſicut oculus corporis, etſi perfecte ſanus, non poteſt videre ſine lumine, ita homo non poteſt agere ſine gratia efficaci: ergo hac abſente nulla eſt in homine ad agendum ſalutariter expedita poteſtas, ac proinde inutilis & otioſa gratia ſufficiens.

ASSERTIO II.

Gratia ſufficiens non eſt de ſe & ex natura ſua inefficax, ſed tantum ab extrinſeco.

XII. Hoc aſſertum ſequitur ex prioribus argumentis. Gratia inefficax dupliciter ſpectari poteſt, nempe in actu primo, & in actu ſecundo: primo modo ſpectatur, prout de ſe eſt potens & ſufficiens ad efficiendum actum ſalutarem, etſi illum infallibiliter non efficiat & inferat: in actu vero ſecundo ſpectatur prout actu conjungitur cum omiſſione actus ſalutaris. Atqui inefficax gratia utroque modo ſpectata non eſt talis de ſe & ex natura ſua, ut ex dictis colligitur; ſed duntaxat ab extrinſeco: ſicut enim ex dicendis gratia efficax *in actu primo* conſiſtit in complexo ex gratia de ſe indifferente, & præviſo

viſo bono hujus gratiæ uſu, ita inefficax conſiſtit in complexo ex gratia indifferente, & præviſo hujus abuſu: item ſicut gratia efficax *in actu ſecundo* conſiſtit in complexo ex gratia indifferente, & actuali, ſeu abſoluto ejus uſu, ita inefficax involvit complexum ex auxilio indifferente, & abſoluto ejus abuſu; Ex quo ſequitur gratiam non differre neceſſario quoad naturam in conſentiente & diſſentiente, quin eandem quoad ſpeciem gratiam poſſe in uno habere effectum, & in alio non habere ob reluctantiam voluntatis: imo fieri etiam poſſe, ut qui majorem ex natura ſua gratiam habet, reſiſtat; & alter qui minorem gratiam habet, conſentiat & obtemperet. Dixi autem majorem gratiam *ex natura ſua;* nam operans ſemper habet majorem gratiam quoad rationem beneficii præ non operante, quia operans præter gratiam vocantem acquirit etiam ipſam operationem, ſeu bonum uſum gratiæ, quæ eſt ſumma inter omnes gratias.

Reſpondetur Objectis.

XIII. Opponunt I.° Ideo in ſyſtemate gratiæ per ſe & ab intrinſeco efficacis non daretur gratia vere ſufficiens, quia omnis gratia foret inutilis & inſufficiens ad agendum, ſi ad ipſam actionem foret neceſſaria gratia præmovens & ex ſe efficax; at hoc dici non poteſt, ſicut dici non poteſt in noſtro ſyſtemate inutilem eſſe gratiam pure ſufficientem, eo quod ad actionem requiratur gratia cooperans & adjuvans, quam non includit gratia ſufficiens. II. Gratia ſufficiens debet dare poteſtatem tantum operandi ſeu poſſe operari, non autem velle operari. III. Etiam in noſtro ſyſtemate gratia efficax eſt neceſſaria ad quemlibet actum ſalutarem, cum ſine illa non poſſit homo bonum facere. IV. Non minus gratia ab extrinſeco efficax datur a Deo ex mera miſericordia, quam gratia ab intrin-

trinſeco efficax: ergo ſicut in adverſo ſyſtemate ſoli Deo foret tribuendum, quod homo carens gratia efficaci non conſentiat vocationi & gratiæ ſufficienti, id pariter Soli Deo tribui poſſet in noſtro ſyſtemate. V. Si admittitur gratia ab extrinſeco tantum inefficax, voluntas poſſet ex gratia ſufficiente facere efficacem, adeoque poſſet ſe ipſam diſcernere: at hoc eſt contra Scripturas & Patres.

R. ad 1*mum* D. maj. quia omnis gratia ſufficiens foret inutilis ex defectu virtutis intrinſecæ & potentiæ completæ, C. quia foret tantum inutilis per accidens & ex culpa voluntatis, N. In ſyſtemate eorum (qui admittunt gratiam ab intrinſeco efficacem) homo ad agendum indiget tali gratia: ergo qui caret illa, non habet totum, quod requiritur ad agendum, nec in ſua habet poteſtate, ut illud acquirat: quod ſi ita eſt, certe gratia, quæ dicitur pure ſufficiens, inutilis eſt ex defectu virtutis, & potentiæ completæ. Ad paritatem allatam diſparitas ex dictis patet: nam in adverſo ſyſtemate ideo inutilis eſt gratia pure ſufficiens, quia homo hac ſola inſtructus non habet id, quod neceſſarium eſt ad agendum, adeoque omittit actionem præceptam neceſſario, non libere: at vero in noſtro ſyſtemate habentur omnia neceſſaria ad agendum ſalutariter; nam gratia ſufficiens includit etiam gratiam cooperantem & adjuvantem ſaltem in actu primo, & paratam ex parte Dei, quæ gratia nihil eſt aliud, quam omnipotentia Divina parata ad concurrendum ſupernaturaliter cum voluntate præventa per gratiam excitantem, ſi homo velit vocationi conſentire. Quod ſi igitur cooperatio in actu ſecundo non ſequatur, id totum tribui debet contumaciæ voluntatis, non gratiæ.

Ad 2*dum* dico: gratiam ſufficientem, etſi non conferat

in effectu *velle operari*, illud tamen constituere in potestate operantis, si velit: Hinc datur ex se & ex intentione Dei, non tantum, ut homo possit operari, sed & ut operetur, quod si non fiat, tribuendum est soli hominis arbitrio. Discrimen ergo inter gratiam sufficientem & efficacem in eo præcise est positum, quod utraque includat auxilia & excitantia & adjuvantia, sed non eodem modo: gratia enim sufficiens habet auxilium cooperans duntaxat oblatum ex parte Dei, & in libero operantis arbitrio positum, sed sine effectu; efficax autem habet auxilium cooperans actu datum & positum in effectu.

Ad 3*tium* D. Assertum; gratia efficax est necessaria ad actum salutarem, id est sine gratia efficaci nemo agit bonum salutare, C. id est sine gratia efficaci nullus potest fieri actus salutaris, N. vel aliter: sine gratia efficaci non potest homo facere bonum potentia nempe reducenda ad actum, idque ratione connexionis unius veritatis cum altera, C. non potest bonum facere potentia reducibili ad actum, & non potest propter virtutem aliquam necessariam ad agendum, quam includit gratia efficax, & qua caret grafia sufficiens, aut quæ non est in potestate habentis gratiam sufficientem, N. gratia enim mere sufficiens convenit cum efficaci in eo, quod tribuat veram & completam potentiam agendi, eique duntaxat opponitur quatenus connotat resistentiam voluntatis nolentis eidem consentire, unde cum omni gratia etiam mere sufficiente consistit potestas antecedens agendi bonum salutare.

Ad 4*tum* disparitas patet ex dictis. In adverso systemate cum auxilium aliquod de se efficax necessarium sit ad operandum, non est in potestate hominis consentire vocationi, seu gratiæ pure sufficienti, eamque reddere efficacem; unde omis-

sio

ſio conſenſus, ſeu inefficacia non homini, ſed Deo ejus gratiæ largitori foret tribuenda. At in noſtro ſyſtemate cum ſicut efficacia, ita & inefficacia gratiæ pendeat ab arbitrio hominis, cauſa tota inefficaciæ eſt in homine, qui poſſet, ſi vellet, gratiam incongruam ſeu inefficacem reddere congruam & efficacem. Etſi enim in hominis poteſtate non ſit facere, ut Deus ipſi tribuat gratiam præviſam efficacem, in illius tamen poteſtate eſt facere, ut gratia ſufficiens, quæ illi datur, ſit congrua; atque hoc neceſſarium eſt, ut auxilium ſit vere ſufficiens. Neque ex eo, quod ad ſolum Dei beneplacitum pertineat dare gratiam vel congruam vel incongruam, ſequitur Deum cauſam eſſe inefficaciæ: nam gratiam inefficacem non confert ex amore inefficaciæ, ſed ex amore ſufficientiæ, neque movetur ad conferendam gratiam inefficacem potius quam efficacem ab inefficacia tanquam motivo *quod*, ut aiunt, etſi ab ea moveri poſſit tanquam motivo *quo*, ut alibi dixi.

Ad 5*tum* D. maj. Voluntas poſſet facere ex gratia ſufficiente efficacem, adeoque ſe ipſam diſcernere in actu ſecundo & quidem tantum ſecundario, C. in actu primo, vel in actu ſecundo primario, N: Ille diſcernit in actu primo conſentientem a diſſentiente, qui ponit antecedens, effectivum, ſimulque infallibiliter illativum conſenſus: at hoc ponit ſolus Deus, qui præviſo conſenſu ſub gratia futuro eam confert ex gratuita miſericordia. Solus ergo Deus diſcernit in actu primo; in actu quidem ſecundo diſcernit ſe voluntas per bonum uſum gratiæ, ſed ſecundario tantum, non primario, cum ipſe bonus uſus fiat non viribus naturæ, ſed gratiæ, & a voluntate non ut cauſa principali, ſed inſtrumentali, ſeu per gratiam elevata.

CAPUT III.

UTRUM OMNIBUS JUSTIS DENTUR GRATIÆ SUFFICIENTES AD SERVANDA DEI MANDATA.

Explicata gratiæ ſufficientis natura & virtute agendum eſt de ejusdem diſtributione, cujus radix & cauſa eſt ſincera Dei voluntas, & mors Chriſti pro omnium ſalute oblata, de qua egimus in *tract. de Deo & Incarnat.* Quatuor hominum genera ſunt, de quibus hic movetur controverſia: 1mo. Juſti & nullo peccato mortali obſtricti. 2do: Infideles qui de Chriſto Salvatore nihil unquam audiverunt. 3tio. Peccatores excæcati & indurati. 4to. Infantes nondum ſuſcepto baptiſmate morientes in utero materno, de quibus agendum eſt ſingillatim, ac primo quidem loco de Juſtis.

Proponuntur errores Novatorum.

XIV. Damnabilis fuit error Lutheri & Calvini, qui docuerunt præcepta Dei hominibus etiam juſtis eſſe impoſſibilia; non obſtante tamen horum transgreſſione homines ſalvari, quia ea transgreſſio non imputatur, ſed Chriſti juſtitia tegitur. Juxta hanc opinionem juſti etiam cum bene operantur mandata Dei perfecte non implent, ſed in omnibus ſuis actionibus peccant, quia nonnulla ſemper concupiſcentiæ labes ipſis adhæreſcit. Qui error in *Controverſia de Juſtificatione* refelletur, fuitque damnatus a Trident. Seſſ. 6. can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato & ſub gratia conſtituto eſſe impoſſibilia, anathema ſit.*

Janſenius Iprenſis ſuo quoque modo pronunciat impoſſibilia

bilia plerumque hominibus justis Dei mandata; nam lib. 3. de grat. Ch. cap. 13. prolixe differens de hoc argumento sic loquitur: *hæc omnia planissime demonstrant nihil esse in doctrina S. Augustini certius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, & obduratis, sed & fidelibus & justis volentibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deesse quoque gratiam qua fiant possibilia; hoc enim S. Petri exemplo aliisque multis quotidie manifestum esse qui tentantur, ultra quam possint sustinere: nec illam implendi talia præcepta difficultatem inde proficisci, quod actus implendi debeat esse supernaturalis vel meritorius - - - sed ex eo quod vires voluntatis infirmæ sunt propter concupiscentiam a volendo bono retrahentem, cujus renisu fit, ut vires voluntatis distrahantur.* Diserte hic docet Jansenius mandata Dei Justis esse impossibilia, non quidem sensu Calvini, quasi putet justos quantalibet gratia instructos nunquam posse mandata perfecte implere, sed eo sensu, quod justi quandoque privantur omni gratia, qua possibilia fiunt.

Nititur nempe hæc Jansenii doctrina in eo, quod nullam admittit gratiam sufficientem, quæ plenam & perfectam agendi potentiam conferat, quod quidem primo hujus controv. capite rejecimus: hinc enim sequitur in justis, quibus aliquando deesse gratiam efficacem fatentur omnes, veram inesse impotentiam implendi præcepta, defectu nempe gratiæ sufficientis. Addunt Jansenii defensores ejusmodi impotentiam in homine esse culpabilem, quia ex solo voluntatis defectu oritur: si enim, inquiunt, tanta esset hominis voluntas quanta esse deberet, eo ipso præceptum impleretur. Quando autem reponitur, Deum in illa hypothesi jubere impossibilia, aiunt Deum ea posse jubere, modo impotentia illa implendi præcepta refundi possit in culpam hominis, qui propter pecca-

tum primi hominis abſolutam obediendi impotentiam contraxit.

Contra hos errores acturi, quærimus utrum juſti urgente præcepto ſemper habeant gratiam ſufficientem, quæ ipſis plenam & completam conferat potentiam perſeverandi, abſtinendi a peccato, & præceptum implendi; quæ ſane quæſtio idem ſonat, ac ſi diceres: utrum juſtis ſemper poſſibilia ſint mandata. Sit igitur ſequens

ASSERTIO.

Datur Juſtis omnibus gratia ſufficiens, qua præcepta Dei poſſint obſervare: quæ proinde non ſunt ipſis impoſſibilia.

XV. Prob. I. ex Scripturis, quæ declarant gratiam ſemper dari urgente rei neceſſitate. Apoſtolus 1. Corinth. 10. ait: *fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis; ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere.* At ſi Deus non conferret Juſtis gratiam vere & relative ſufficientem, cum urget tentatio, profecto in ſua promiſſione deficeret, quia hominem ſupra vires tentari pateretur. Hoc teſtimonio utitur Trident. *Seſſ.* 24. *can.* 9. ut probet gratiam non deficere omnibus caſtitatem ex voto profeſſis. Matth. 11. dicitur: *jugum meum ſuave eſt & onus meum leve.* & 1. Joan. 5. *Mandata ejus gravia non ſunt.* Jam ſic arguimus: Deus non jubet impoſſibilia: ſed jubet omnes adultos juſtificatos ſervare præcepta ſua, & permanere in accepta juſtitia: ergo hoc illis non eſt impoſſibile. Atqui eſſet, ſi illis non darentur auxilia ad id ſufficientia, cum Deus præter præcepta (quæ ſine gratia ſupernaturali ſervare poſſumus ſaltem

po-

potentia physica) nobis etiam imponat alia, quæ sine ea servare non possumus: ergo.

Prob. 2*do* ex S. Augustino. Hic l. de fide contra Manichæos c. 10. sic loquitur: *quis non clamet stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere: & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* In Ps. 56. ait: *neque imperaret hoc Deus, ut faceremus, si impossibile judicaret, ut hoc ab homine fieret* lib. de nat. & grat. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Eodem lib. cap. 26. *Ipse autem Deus cum per mediatorem Dei & hominum Jesum Christum justificat impium, & cum ad perfectam sanitatem justitiamque deduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur.* At juxta Jansenium Deus subtrahendo gratiam justos deserit, antequam ab eis deseratur. Validissimo huic argumento respondet Jansenius lib. de grat. Ch. c. 19. hoc effatum: *Deus neminem deserit nisi deseratur*, eo sensu intelligere S. Augustinum, quod Deus neminem deserat, si non deseratur, per subtractionem justitiæ, seu gratiæ habitualis: non vero esse ibi sermonem de subtractione gratiæ actualis. At aperte falsa est hæc expositio. Primo enim ibi D. Doctor Pelagium refellit dicentem, *non esse necessariam misericordiam Dei, ut non peccemus, sed quia peccavimus;* ubi certe controversia est de gratia actuali, non habituali, neque quæritur, utrum Deus hominem justum deserat per subtractionem gratiæ habitualis, quod nusquam affirmavit Pelagius, sed utrum illum deserat negando gratiam actualem, qua juvetur ad pie vivendum. Deinde hoc ipsum fit manifestum ex verbis S. Doctoris, quibus probat Deum non deserere nisi deseratur. *Sicut enim*, subdit, *oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo etiam perfecte justi-*

justificatus, *nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur*, *recte non potest vivere.* Certe si quid roboris est in hac comparatione, ex ea efficitur necessariam esse gratiam actualem ad non peccandum in homine justificato, sicut oculo per se sano lux insuper necessaria est ad videndum.

Probatur 3*tio* ex Conciliis & decretis SS. Pontificum Conc. Arauf. II. Can. 25 sic habet: *hoc secundum fidem catholicam credimus*, *quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati*, *Christo auxiliante & cooperante*, *quæ ad salutem pertinent*, *possint & debeant*, *si fideliter laborare voluerint*, *adimplere.* Trident. Sess. 6. cap. 11. ita loquitur: *nemo autem*, *quamvis justificatus*, *liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet*, *nemo temeraria illa & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti*, *Dei præcepta homini justicato esse impossibilia*: *nam Deus impossibilia non jubet*, *sed jubendo monet*, *& facere quod possis*, *& petere quod non possis*, *& adjuvat ut possis.* Et infra: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit*, *nisi prius ab eis deseratur.* Vide etiam. can. 18. num. 14. citatum. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt hanc Baji prop. *definitiva hæc sententia Deum homini nihil impossibile præcepisse*, *falso tribuitur Augustino*, *cum Pelagii sit.* Et Innocentius X. istam Jansenii: *aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus secundum præsentes*, *quas habent vires*, *sunt impossibilia*, *deest quoque illis gratia qua possibilia fiant.* Quæ quidem propositio damnata est ut *temeraria*, quia est contraria communi Catholicorum sententiæ, ut *impia*, quia divinam legem facit exosam: quis enim non execrabitur mandata ejus, qui ad impossibilia obligat? ut *blasphema*, quia facit Deum infidelem, immisericordem, injustum, crudelem; ut *hæretica*, quia adversatur sacris literis, traditioni PP. & definitionibus Ecclesiæ.

Prob.

Prob. 4ta ratione. Juxta S. Auguſt. l. 3. de lib. arb. cap. 18. *Nemo peccat in eo quod nullo modo caveri poteſt:* atqui homo omittendo actum præceptum peccat: ergo illam omiſſionem vitare poterat: ſed non potuiſſet vitare, ſi non habuiſſet gratiam ſufficientem ad obſervandum præceptum; erg. Reſpondent Janſeniani hominem in hoc corruptionis ſtatu, etſi impotens ſit ad obſervanda præcepta, culpabilem tamen eſſe, quia hæc impotentia eſt pæna peccati originarii, & voluntaria homini lapſo, ſaltem voluntate capitis ſeu Adami.

Sed contra ita arguimus: ſicut impotentia ad obſervanda mandata eſt pæna peccati originalis, & voluntaria voluntate capitis; ita & cæcitas, ſurditas, claudicatio, ſenectus, mors, aliæque humanæ naturæ infirmitates: homo enim peccando ſe omnibus his miſeriis ſubjecit, a quibus in ſtatu innocentiæ fuiſſet immunis. Jam quæro Janſenium: poteſtne Deus absque eo, quod potentiam reſtituat, imperare cæco, ut videat, ſurdo ut audiat, claudo ut recte ambulet, viro ne ſeneſcat, ſeni ne moriatur. Si affirmat, Deum facit omni tyranno crudeliorem: ſi neget, fateatur etiam neceſſe eſt ad culpam homini imputandam, ſi non faciat quod ei præcipitur, non ſufficere, quod ejus impotentia ſit voluntaria voluntate capitis; ſed requiri, quod propria voluntate in talem impotentiam ſeſe conjecerit, & cum poſſit talem a ſe impotentiam excutere, nolit; alioquin poſſet etiam homini præcipere, ut vivat ſine paſſione & concupiſcentia, & ſi non vivat, æternis ipſum pænis plectere. Sane quod factum eſt impoſſibile ex ſuppoſitione auferente potentiam, non poteſt juſte præcipi, quamdiu ſuppoſitio illa ſubſiſtit; nullum etiam peccatum poteſt eſſe perſonale, quod non ſit voluntarium voluntate propria & phyſice agente, ut dictum eſt in tract. de actibus humanis.

Refelluntur argumenta contraria.

XVI. Argumenta (quæ Janfeniani opponunt ex gratia efficaci, fine qua afferunt juftum nihil poffe, & ex impotentia relativa nonnullorum juftorum ad aliqua præcepta in certis circumftantiis obfervanda) folvimus in iis locis, ubi oftendimus dari gratiam vere & relative fufficientem. Ea autem quæ refolvenda fuperfunt, reduci poffunt ad tria capita: alia enim argumenta funt, quibus Janfeniani nituntur oftendere fuam doctrinam cum Patribus, & præfertim cum Auguftino concordare: alia, quibus rationes noftras tentant enervare: alia demum, quæ adferunt, ut Janfenii fenfum tutentur, & cenfuram damnatæ propofitionis propulfent.

In primo itaque genere hæc veniunt. I. S. Auguftinus l. de nat. & grat. c. 53. ait: *fideles orantes dicunt: & ne nos inferas in tentationem. Si adeft poffibilitas, ut quid orant?* Juxta eundem *ftultum eft orare ut facias; quod in poteftate habes.* Ergo jufti non femper habent poffibilitatem feu gratiam fufficientem fervandi præcepta, vel fi habent non deberent orare. II. Eodem lib. c. 66. ait: *quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ fit quædam peccandi neceffitas, audiat homo.* Sed qui habet neceffitatem peccandi, non habet gratiam vere fufficientem ad implenda præcepta. III. S. Petro defuiffe gratiam, cum tentatione pulfatus negavit Chriftum, multis in locis affeverat Auguftinus. l. de corrept. & gr. c. 9 ait: *avertit ab illo faciem Dominus, & factus eft conturbatus.* Tract. 66. in Joan. ita alloquitur Petrum: *Noli extolli præfumendo, non potes modo: noli dejici defperando, fequeris poftea.* Ex quibus fic: D. Petrus volebat & conabatur fequi Chriftum, & tamen non poterat, id eft non habebat gratiam, nec efficacem qua fequeretur, nec fufficientem, qua poffet fequi. IV. Id confir-

firmant Patres alii. D. Hilarius de S. Petro ait. c. 32. in Matth. *amarissime flevit, recolens trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare.* S. Chrysost. hom. 83. *Petrus etsi bene animatus fuerat, divino tamen subtracto auxilio cecidit.* Et hom. 72. in Joan. *Casus Petri non frigiditate - sed Divini auxilii derelictu contigit.*

Ante Resp. Nota: gratiam aliam esse proxime, aliam remote sufficientem ad observandum præceptum. Proximè sufficiens est, quæ dat proximam cempletamque potentiam servandi præceptum, qualis est gratia excitans & corroborans immediate ad illud servandum: gratia vero remote sufficiens ad servandum præceptum est ea, quæ dat proximam potentiam petendi auxilium proxime sufficiens, nempe est gratia dans completam potentiam orandi, per quam orationem obtinetur auxilium sufficiens proxime ad præceptum implendum; hinc gratia sufficiens generatim revocatur ad gratiam actionis, & gratiam orationis.

R. Igitur ad 1*mum* D. ant. si adest possibilitas per solas liberi arbitrii vires, non est necessaria oratio, C. si adest possibilitas per gratiam, N. loquitur D. Doctor contra Pelagium, quod diceret hominem absque gratia posse esse sine peccato, quem ut refellat, dicit: *fideles orantes dicunt: & ne nos inferas &c.* ex qua oratione concludit hominem indigere gratia Dei ut liberetur, nec posse a tentatione eripi per solas naturæ vires: *unde*, inquit, *non liberatur homo sine gratia salvatoris.* Ceteri justi non semper habent gratiam proxime sufficientem ad implenda præcepta; sed sæpe tantum habent remote sufficientem, nempe gratiam orationis: orare ergo debent, ut obtineant gratiam proxime sufficientem, & efficacem etiam, quà re ipsa mandata observentur.

Ad 2*dum* pariter D. eſt quædam peccandi neceſſitas ſimpliciter & phyſice inevitabilis, N. ſecundum quid & moraliter indeclinabilis, ſubdiſt. ſine gratia, C. cum gratia, N. unde D. Doctor ſtatim addit: *atque ut eadem neceſſitas non ſit, diſcat Deo dicere: de neceſſitatibus meis educ me - - - ac per hoc opitulante gratia & mala neceſſitas removebitur, & plena libertas tribuetur.*

Ad 3*tium* dico: S. Petro, cum negaret Chriſtum, defuiſſe gratiam efficacem, vel ſufficientem proxime: non autem omnem gratiam etiam remote ſufficientem, qua poterat confugere ad orationem, ejusque beneficio uberiorem gratiam impetrare. Hæc reſponſio conformis eſt doctrinæ S. Auguſtini l. de grat. & lib. arb. c. 16. ita loquentis: *ideo jubet aliqua, quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab eo petere debeamus.* Deus igitur non ſemper dat gratias proxime ſufficientes vel in pænam alicujus culpæ & negligentiæ, vel ut homo ſuæ ſibi infirmitatis conſcius ad Deum confugiat: dat tamen gratias remote ſufficientes ad impetranda auxilia uberiora. Hac tanquam generali regula reſponderi poteſt omnibus fere textibus, quos pro ſe coacervat Janſenius, habendo præ oculis, D. Auguſtinum exemplo S. Petri contra Pelag. demonſtraſſe neceſſitatem gratiæ.

Ad 4*tum* eadem fere reſponſio eſt; Chryſoſtomus enim loquitur de ſubtracto auxilio proxime ſufficiente, cum ibidem addat: *totum ſibi tribuebat dicens: etſi omnes ſcandaliſati fuerint &c. cum dicere debuiſſet: patrocinio tuo juvabis.* Habebat igitur ſufficiens auxilium ad orandum, & uberius auxilium impetrandum, quo adjutus Chriſtum non negaſſet. S. Hilarius per illa verba: *non potuiſſe* non ſignificat impotentiam faciendi, ſed defectum affectionis faciendi, quo ſenſu Chriſtus dixit

Apo-

Apostolis: *non potuistis una hora vigilare mecum*, quibus verbis non significatur impotentia antecedens liberam determinationem voluntatis, sed impotentia consequens, & merus defectus voluntatis vim sibi inferentis.

XVII. Ad secundum ordinem pertinent momenta sequentia. I. Illa verba Apostoli a nobis allata: *fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis*, exponit S. Augustinus de prædestinatis, nempe *lib.* 13. *de Trinit. c.* 16. Ergo non sunt intelligenda de omnibus justis etiam reprobis. II. Jansenius ex Augustino ostendit, non adfuisse hominibus sub lege viventibus ullum auxilium sufficiens ad legem implendam, quia *lex iram operatur*, Rom. 4. v. 25. & *littera occidit*, 2. Corinth. 3. Imo ut ostendat Jansenius, etiam in justis adesse quandam peccandi necessitatem, adfert querelas Apostoli ita loquentis: *venundatus sub peccato: quod enim operor non intelligo; non enim quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum, hoc facio.* Item *nunc autem jam non operor illud, sed quod habitat in me peccatum &c.* III. Hoc effatum, *Deus impossibilia non jubet*, locum proprie non habet pro hominibus lapsis, quia hæc impotentia implendi mandata Dei, qua laborant, profluit ex peccato Adami, adeoque illos reddit inexcusabiles.

R. ad I. Dist. consequ. ergo non sunt intelligenda de omnibus justis eodem modo, C. nullo modo, N. Verba S. Doctoris non ita sunt intelligenda, ut Deus prædestinatos non permittat tentari supra id quod possunt; reprobos autem ita tentari permittat, alioquin secum ipse pugnaret Augustinus, ut supra vidimus. Explicanda ergo sunt quantum ad exitum tentationis: esto enim utrisque adsit gratia sufficiens, Prædestinatis tamen, quibus datur gratia efficax perseverantiæ, ten-

tatio ipſa proficua eſt; at reprobis, quibus non datur gratia prævisa efficax, tentatio exitialis evadit.

Ad II. R. legem veterem dupliciter ſpectari poſſe, vel quoad ea quæ habebat ex propriis, vel quoad ea quæ habuit ut conjuncta cum ſpiritu, ſeu cum fide promiſſi mediatoris. Ac ex propriis quidem nec gratiam nec ſalutem præſtabat, ſed operabatur iram, & occidebat: non quaſi lex eſſet cauſa peccati & damnationis; erat enim bona, ſed tantum occaſio non data, ſed accepta, quia humana malitia ex lege ſumebat occaſionem eam violandi. Ut autem littera conjuncta fuit ſpiritui, & lex fidei mediatoris, ſic gratias ſufficientes ad obſervantiam mandatorum afferebat; ita tamen ut gratia non eſſet ex lege, ſed ex fide & ſpiritu: hoc modo Abraham, quia credidit, & alii in lege veteri juſtitiam acceperunt. Propterea autem Auguſtinus videbatur extenuare legem, quia agebat contra Pelag. legem & doctrinam nimium extollentes; ſicut & Paulus agens contra Judæos, qui de lege gloriabantur ſic evehit gratiam, ut legem damnare videatur. Alterum quod adfert Janſenius, diſtinguo. In juſtis etiam quædam adeſt peccandi neceſſitas, id eſt ratio neceſſario patitur rebellionem appetitus, C. id eſt ratio neceſſario ita conſentit appetitui, ut deſit gratia, qua illum vincere poſſit, N. In pugna illa carnis cum ſpiritu, quam ibi Paulus deſcribit, duo ſunt ſecernenda, & id quod ratio patitur ab appetitu in motibus prævenientibus, & id quod ratio agit per ſuum conſenſum vel diſſenſum: primum neceſſario patitur neceſſitate contracta per labem originariam, & hoc eſt Paulo eſſe *venundatum ſub peccato*, *captivari a peccato &c.* quod non conſiſtit in neceſſitate peccandi, aut in impotentia non peccandi, ſed in neceſſitate talia patiendi: in alio autem, quod ratio agit conſentiendo, non neceſſitatur; habet enim ſemper adjutorium ſufficiens, quo poſſit non conſentire ſi velit. Ad

Ad III. dico, effatum illud Augustinianum : *Deus impossibilia non jubet* pertinere ad homines in statu naturæ lapsæ constitutos. Nam in illo libro de nat. & grat. totus est Augustinus, ut refellat Pelagianos, præceptorum possibilitatem solis naturæ viribus tribuentes: ergo quæstio cum fuerit de statu præsenti, voluit ne iis etiam hominibus, qui post Adami peccatum vivunt, impossibilia esse mandata. Hinc monet eo loco eos omnes, quibus aliquid imperatur, ut faciant quod possunt, & petant quod non possunt. Profecto non potest Deus juste infligere pænas ob transgressionem præceptorum quæ impossibilia sunt, ut supra dixi. An enim non iniquus & crudelis foret herus, qui servo, qui culpa sua pedes fregit, imperaret ut currat, eumque quod non currat nec possit currere, severe velit castigare?

XVIII. Tertium ordinem tenent quæ sequuntur. I. In sententia Jansenii Deus non censetur jubere impossibilia, si idcirco aliqui justi non observant præcepta, quia nolunt ea observare: sed in systemate Jansenii ideo justi peccant non observando præcepta, quia nolunt ea observare: ergo. II. Jansenius impossibilitatem, de qua loquitur in prima sua propositione, appellat difficultatem; item non negat cum illa impotentia remanere physicam ad bonum facultatem; neque eam impotentiam dicit oriri ex defectu virium gratiæ, sed ex resistentia cupiditatis; imo gratiam videtur admittere sufficientem sensu Thomistico, aut sensu illorum Catholicorum, qui propugnant gradualitatem gratiæ, contenduntque illam non esse efficacem, cui obsistit validior concupiscentia: denique negat justis gratiam Molinistice sufficientem. At hoc ipso ejus doctrina tantam censuram non meretur. III. Teste Bellarmino, aliisque Viris gravissimis Tridentinum refellit tantum errorem Lutheri & Calvini, qui omnibus Justis etiam

dum

dum Spiritu Dei aguntur, dicebant impossibilia Dei mandata, quia singula ipsorum opera concupiscentiæ labes inficit: at hoc nunquam docuit Jansenius; nam si Justi habent gratiam victricem, & præcepta observant, & opera bona concupiscentiæ vitio immunia faciunt: ergo immerito propositio Jansenii hac nota *anathemate damnata*, est proscripta.

R. ad 1*mum* D. maj. Si idcirco justi non observant præcepta, quia nolunt observare, & si præterea cum nolunt observare, supponantur habere gratiam saltem sufficientem remote, C. si supponatur ipsis quamlibet gratiam deesse, qua possibilia fiant, N. In culpam quidem Justorum refunditur, si non observant præcepta; sed aliunde supponendum est, illis non deesse gratiam, qua possint ea observare, aliter certe culpari non possunt, quia nemo peccat in eo quod cavere non potest. Neque est quod dicant adversarii, nullum re ipsa mandatum in se simpliciter & absolute esse impossibile, etsi respectu hominis sit impossibile, quatenus ipsi deficiunt vires ad id observandum, quod non arguit malam in Deo voluntatem, sed defectum duntaxat potestatis in homine. Hoc enim ratiocinio nihil fingi potest absurdius; nam dum PP. & Concilia statuunt mandata esse possibilia, non agunt de possibilitate mandatorum in se, simpliciter & absolute spectata, sed de possibilitate eorum respective ad hominem cui imponuntur; possibilitas enim in se, universim & abstracte sumpta est aliquid mere fictitium.

Ad 2*dum* dico: allatas Jansenianorum explicationes esse meras fraudes, quibus error quidem involvitur, sed non tollitur. Quidquid enim dicatur, verum manet in Justis, urgente præcepto, esse gratiam relative sufficientem & parem actuali eorum cupiditati reprimendæ, & præcepto adimplendo; id quod

quod contra Jansenium Ecclesia definivit. Frustra igitur asserunt se per impossibilitatem agnoscere difficultatem; gratis prædicant cum illa impotentia consistere physicam ad bonum facultatem, eamque impotentiam oriri tantum ex resistentia concupiscentiæ; incassum clamant se admittere gratiam in sensu Thomistico, & negare in sensu Molinistico: hæ namque & similes loquendi formulæ in speciem catholicæ id tantum efficiunt, ut earum velut involucro primæ propositionis error tectus delitescat; cum non aliam exprimere possint ad bonum potentiam, quam absolutam, & spectata in se gratiæ natura, non vero relativam, qualem tamen admittendam esse hactenus ostendimus.

Ad 3*tium* R. 1. Quod etiamsi positio Jansenii non fuit *anathemate damnata* a Synodo Trident., fuisset tamen a Pio V. in propos. 54. Bajana supra citata. Deinde resp. sensum quidem Jansenii non esse undequaque Calvinianum; Convenire tamen in hoc, quod liberum arbitrium sub dominatu concupiscentiæ non possit implere mandata, & motum seu excitatum a gratia non possit dissentire si velit; hinc fluere 5. propositiones Jansenii patet ex dictis. Jam vero duo ista principia errorum, in quibus conveniunt, damnata esse a Tridentino constat ex Sessionis 6tæ can. 4. 6. & 18.

CAPUT IV.

UTRUM FIDELIBUS PECCATORIBUS, ET INFIDELIBUS OMNIBUS DETUR GRATIA SUFFICIENS.

Catholici Doctores, loquentes de hominibus Justis, unanimi voce docent, omnesque post damnationem Jansenii faten-

tentur, nulla præcepta eis esse impossibilia, sed omnibus adesse gratiam, qua eorundem observatio possibilis sit, ut priore capite vidimus. At si de aliis hominibus sermo est, non ita consentiunt. Aliqui etsi fateantur omnibus hominibus Deum præparasse auxilia gratiæ, eaque, quantum est ex se, offerre & exhibere: negant tamen ea omnibus conferri ita ut in iis recipiantur, eo quod putent nonnullos iis gratiis, quas Divina munificentia paravit, privari ob impedimenta, quæ objicit humanum demeritum: id autem quandoque contingere dicunt in peccatoribus excæcatis, & infidelibus. Pro hac sententia citat Cl. Bertius patrocinium multorum Theologorum, Lemosii, Bannezii, Ledesmæ, Goneti, Duacensis & Lovaniensis Academiæ, Norisii, Abulensis &c. Alii ex adverso docent, omnibus omnino hominibus, etiam peccatoribus obduratis & infidelibus, non tantum offerri & præparari, sed etiam conferri & applicari auxilia sufficientia, quibus seu proxime seu saltem remote ad justificationem & salutem pertingere possint. Hanc sententiam propugnant Bellarminus, Suarezius, Cardinalis Gottius, aliique magni nominis Theologi. Hinc patet de fide non esse doctrinam illorum, qui docent, omnes auxilium gratiæ sibi præparatum re ipsa recipere; quare Tournelyus de grat. pag. edit. Ven. 634. ita habet: *unum diligenter observate de mera scholæ quæstione hic, non de fide moveri quæstionem. Hoc enim unum hic fides statuit, justis non deesse gratiam, qua possibilia ipsis sint mandata Dei. De solis justis loquitur Trident. Seff 6. cap. 11. & can. 18. De solis etiam justis actum est, in prima ex quinque famosis Jansenii propositionibus.*

Quærimus igitur primo de peccatoribus præsertim excæcatis & obduratis, qui per longam peccandi consuetudinem ita in malo sunt obfirmati, ut jam nec de Deo quem offendunt, nec de peccatis ipsis quæ committunt, serio cogitent; utrum nempe sint quidam

pec-

peccatoers tam insigniter indurati, ut nullam penitus habere gratiam merito censeantur. Quærimus secundo de infidelibus infidelitate præsertim negativa laborantibus, qui de fide Christi & religione ne verbum unquam audiverunt; utrum habeant gratiam sufficientem ad credendum, vel saltem ad alios actus supernaturales eliciendos, quibus præparentur ad fidem suscipiendam. Sit igitur

§. I.

Probatur nullum esse peccatorem ita induratum, qui non recipiat auxilium aliquod sufficiens vel proximum vel remotum, ut pænitere possit & salvari.

XIX, Argumentum 1. ex Scripturis. Ezechiel 33. dicitur: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur & vivat.* Deus ergo vult vere & sincere, ut peccatores non pereant, sed convertantur; atqui non possunt converti absque gratia sufficienti; ergo eis saltem pro opportunitatibus per decursum vitæ occurrentibus dat gratiam sufficientem, ut a peccatis resipiscant. D. Petrus Epist. 2. c. 3. ita scribit: *Deus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed ad pænitentiam reverti.* Quibus accedunt variæ exhortationes, quibus Deus passim ad pænitentiam invitat peccatores, quæ quidem non viderentur sinceræ, nisi Deus lapsis daret gratias ad resurgendum a peccato, aliaque vitanda scelera. Imo ad ipsos peccatores excæcatos & induratos Scriptura interdum dirigit correptiones, quod in peccato obfirmati maneant, & exhortationes ad agendam pænitentiam impellentes contemnant: sic Stephanus Spiritu Sancto afflatus Judæos objurgat. Act. 7. *Dura cervice, & incircumcisis cordibus: vos semper*

cordiam consolationis, *longanimis & multæ misericordiæ.* Impertitur ergo Deus gratiam ad pænitendum sufficientem; dicitur enim longanimis & multus in misericordia, dicitur vocare peccatores multis modis & per intimam cogitationem. Idem D. Doctor in Psal. 6. Sic scribit: *dedit eos in sensum reprobum; nam ea est cæcitas mentis; in eam quisquis datus fuerit, ab interiore Dei luce secluditur, sed nondum penitus cum in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra Deum sit, quisquis dum tempus est, corrigi noluerit. Hujus igitur iræ inchoatio est, quam in hac vita patitur quisque peccator*, Ergo homo quamdiu in hac vita est, non est induratus & obcæcatus, obduratione & cæcitate absoluta, quæ sit cujuscunque gratiæ subductio. Hinc D. Prosper de vocatione gentium l. 2. c. 28. ait: *quæ beneficia, licet obduratis nihil remedii attulerint, probant aversionem illorum non fuisse divinæ constitutionis, sed propriæ voluntatis.* Et resp. 15. ad Object. Vincentianas: *nemini Deus correptionis adimit viam, nec quenquam boni possibilitate dispoliat.* Adde D. Thomam, qui variis locis hanc doctrinam tradit. Quæst. 24. de veritate art. 11. docet: *obduratum non posse facile cooperari ad hoc, ut exeat de peccato; & hæc est obstinatio imperfecta, qua quis potest esse obstinatus in statu viæ, dum scilicet habet firmatam ita voluntatem in peccato, quod non surgant motus ad bonum nisi debiles. Quia tamen aliqui surgunt ex eis, datur via ut præparentur ad gratiam.* Deinde rationem reddit, cur homo in statu viæ non possit ita esse obstinatus in malo, quin ad sui liberationem cooperari possit. Agnoscit ergo in obstinatis aliquos ad bonum motus, licet debiles, qui surgere debent ex viribus gratiæ. Part. 3. q. 86. art. 1. hæc habet: *unde dicere quod aliquod peccatum sit in hac vita, de quo quis pænitere non possit, erroneum est.* Atqui dicere obstinatis deesse gratiam sufficientem ad pænitendum, est dicere: esse peccatum ali-

aliquod in hac vita, de quo quis pænitere non possit, quia sine omni gratia nemo potest ad pænitentiam conari, ut patet: ergo. Neque dicere possunt adversarii, D. Thomam nihil aliud voluisse, nisi Deum paratum esse dare omnibus auxilia sufficientia; non tamen omnibus defacto dare obduratione sua obicem ponentibus. Nam motus illi ad bonum etsi debiles, & potentia ad cooperandum liberationi debent esse a gratia non mere extrinsece oblata, sed revera interius collata, ne dicatur posse hominem cum sola gratia extrinsece adjuvante vires naturæ operari, prout oportet ad sui justificationem. Plura PP. testimonia adfert Bellarminus *lib. 2. de grat. & libero arb. cap. 5.*

Argumentum III. ex variis rationum momentis. *Primo:* Obdurati nondum ad terminum pervenerunt, sed sunt in statu viæ; progredi ergo possunt, quod supponit aliquod gratiæ auxilium. Certe si supponantur aliqui ad eum excæcationis & indurationis gradum pervenisse, ut ne tenui quidem cœlesti rore aspergantur unquam, necesse est agnoscere aliquod hominum genus, quorum salus in hac vita omnino sit desperata, quod repugnat spei salutis, quam quisque habere potest, quamdiu vivit. *Secundo:* Deus non obligat ad aliquid impossibile; Sed obligat omnes peccatores ad pœnitentiam salutarem; ergo hæc nulli peccatori est impossibilis: sed hoc ipso omnibus peccatoribus non quidem singulis momentis, sed pro loco & tempore dat gratias sufficientes ad salutarem pœnitentiam. *Tertio:* Indurati peccant imputabiliter, ut docet D. Aug. *l. 5. contra Julian. c. 3.* Habent ergo gratiam saltem remote sufficientem ad non peccandum; nam sine gratia urgente prœcepto supernaturali vitari non potest peccatum, & in eo non peccatur, quod vitari non potest.

Duo porro hic observanda sunt. Primo non asserimus omnibus

bus peccatoribus dari gratias proxime & immediate ſufficientes ad ſalutem, ſed dicimus duntaxat dari vel proxime, vel remote ſufficientes, ita nempe ut ſi gratiis remote ſufficientibus rite uſi fuerint, obtineant auxilia proxime ſufficientia. Deinde non etiam volumus ſingulis dari gratias ſufficientes omni tempore & momento; ſed duntaxat affirmamus eas conferri opportuno tempore, præſertim cum urget præceptum, ac proinde Deum paratum eſſe eos ad pænitendum excitare, ſi non ſint indiſpoſiti impedimentis vel libere, vel ordinario naturæ curſu accerſitis, ut ſomno, profunda negotiorum meditatione, amentia &c. Quare multi cenſent, cuivis adulto & in primo momento uſus rationis, & in ultimo conferri gratiam prævenientem, ut ſe per actum dilectionis ſalutarem ad Deum poſſit convertere, quia cum in utroque hoc momento urgeat obligatio convertendi ſe ad Deum, talisque obligatio ſine gratia impleri non poſſit, perſpicuum eſt Deum, qui ad impoſſibilia non obligat, hac in parte homini non deeſſe. Ex quo ſequitur nulli peccatori denegari auxilium ſufficiens ad reſurgendum, & evitandum peccatum finale.

§. II.

Reſolvuntur argumenta oppoſita.

XX. Plura Scripturarum loca opponit Theologus Pariſinus l'Herminier in *Tract. de grat. pag. edit Pariſ.* 449., quibus probare nititur peccatores quosdam adeo obduratos eſſe, ut nullam penitus habere gratiam merito cenſeantur. Sunt autem ſequentia: I. Eccleſiaſt. 7. dicitur: *conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit.* Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam,* ubi ſub nomine Babylonis Interpretes ſolent intelligere peccatores

tores obduratos, qui derelinquuntur quia ſanari noluerunt. II. Joan 12. de incredulis Judæis dicitur: *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias: excæcavit oculos eorum ut non videant oculis & non intelligant corde & convertantur & ſanem eos.* Certe qui eum in finem excæcantur, ut non poſſint credere, ut non videant oculis & non intelligant corde & convertantur, ii nullam a Deo recipiunt gratiam, per quam credere poſſint ac converti. Hinc Apoſtolus de hominibus vitam turpiſſimam agentibus ait, Rom. 1. *propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ*, & poſtea: *tradidit illos in ſenſum reprobum*, & Rom. 9. *cujus vult miſeretur & quem vult indurat.* Quod certe fieri non poteſt, quaſi Deus ejusmodi homines impellat ad peccatum, ſed quia poſtquam eos multa patientia diu ſuſtinuit, tandem omnem ſuam ſubtrahit gratiam. III. Ejusmodi hominum induratorum exempla nobis ſuppeditant Scripturæ, primum eſt Pharaonis Exodi 9. qui licet tot malis preſſus, tot ſignis admonitus, durior tamen ſemper evaſit: hinc de illo loquens Apoſtolus Rom. 9. ait: *igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei: dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam &c.* Ex quibus colligitur veram illius fuiſſe indurationem per ſubtractionem omnis gratiæ; Deus enim dicitur induraſſe Pharaonem, ut inde virtutem oſtenderet ſuam, addit Apoſtolus neminem propterea conqueri poſſe adverſus Deum: *voluntati enim ejus quis reſiſtet?* at Deus non oſtenderet potentiam ſuam, ſi ipſi conceſſiſſet gratiam ſufficientem, qua potuiſſet depellere hanc ſuam indurationem. Hinc S. Aug. expoſitione quarundam propoſ. in epiſt. ad Rom. ait: *non ergo hoc illi* (Pharaoni) *imputatur, quod tunc non obtemperaret, quandoquidem obdurato corde obtemperare non poterat; ſed quia dignum ſe prabuit, cui cor obduraretur priore infidelitate.* Si ergo libera non erat hæc Pharao-

raonis inobedientia, gratiam, qua poſſet obedire, non habuit. Secundum exemplum legitur de Antiocho 2. Machab. 9. de quo ait textus: *orabat autem hic ſceleſtus Dominum, a quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Tertium exemplum reperitur in Epiſt. Hebr. c. 12. Ubi de Eſau ſic loquitur Apoſtolus: *non invenit pænitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiiſſet eam.* Utrique ergo defuit gratia ad agendam pænitentiam. His objectis ut ſingillatim ſatisfaciamus;

Ad 1*mum* dico: citata Eccleſiaſtis verba probare duntaxat, inutilem fore correctionem non ſolum relate ad induratos, ſed & relate ad quemvis peccatorem, niſi Deus interius aſpiret, atque id in noſtra etiam ſententia veriſſimum eſt. Etſi autem daremus, ibi adſtrui deſertionem a Deo factam, illa tamen non poteſt intelligi adæquata: non enim Deus abſolute deſpicit, ſed comparate, quia nempe tantas, tamque congruas, neque etiam proxime ſufficientes gratias ad converſionem confert; dat tamen gratiam remote ſufficientem nempe orationis, per quam obtineri poteſt gratia proxima ad converſionem. Textum Jeremiæ intelligit D. Thomas de Angelis cuſtodibus, qui diſcedunt ab homine peccatore in hora mortis, quando de ejus ſalute deſperatum eſt.

Ad 2*dum* diſt. propoſ. Judæi excæcati non poterant credere impotentia conſequente & voluntaria, C. antecedente & involuntaria, N. Ita D. Aug. tract. 53. in Joan. diſerte ait; *quare non poterant credere, ſi a me quæratur, reſpondeo quia nolebant.* Illa ergo Judæorum impotentia erat conſequens liberam eorum determinationem ad nolendum credere. Nam Scripturæ & PP. ſæpe dicunt homines non poſſe facere, quod facere nolunt impediti magnis difficultatibus, quas vincere

Ff non

non volunt. Sic Joan. 5. Christus ait: *quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis?* Quod ex Apostolo additur; nempe homines a Deo *indurari*, *tradi in passiones ignominiæ*, *in sensum reprobum*, id intellige fieri per subtractionem gratiarum uberiorum, non vero per subtractionem omnis gratiæ sufficientis: Deus enim quibusdam impiis negat eam abundantiam gratiarum, quam aliis etiam peccatoribus dare solet; vel vero intellige de occasionibus & circumstantiis peccandi, quas Deus illis hominibus permittit in pænam præteritarum culparum; quæ occasiones si occurrant, moraliter non possunt evitare peccatum ejusmodi homines, etsi possint physice, quod sufficit ad libertatem.

Ad 3*tium* dico allata exempla nihil probare. Ac primo Pharaonem non omni gratia fuisse destitutum supra notavi; excitavit quidem Deus Pharaonem, ut ostenderet in ipso virtutem suam, non tamen ita ut malam illam voluntatem fecerit; sed ita ut prævisam ejus malam voluntatem permiserit, eamque converterit ad manifestationem potentiæ suæ. Neque contrarius est loco citato S. Augustinus: non enim ibi loquitur exclusive, quasi Pharaoni infidelitas sola fuerit imputata, & non obstinata ejus inobedientia; sed comparative, id est quod magis illi fuit imputata infidelitas quam inobedientia, quia infidelitas, in qua obstinate voluit persistere, quamque deponere poterat, ipsum indignum reddidit ulteriore gratia, qua posset proxime obedire. Alii putant D. Doctorem eo loco agnovisse quidem obediendi impotentiam, & defectum omnis gratiæ, qua præceptum redderetur possibile: eam vero opinionem inde ortam esse, quia Semipelagianorum placitis imbutus putabat, hominis esse inchoare fidei meritum, quo deficiente non posset haberi gratia tollens impotentiam bene operandi. Quod si ita est, ex eo loco mens Augustini non est repetenda, sed

ex

ex aliis ſcriptis poſterioribus ſupra citatis. Ad alia exempla reſpondeo, tam Eſau quam Antiochum habuiſſe gratias ſaltem remote ſufficientes ad pænitendum, atque idcirco non fuiſſe exauditos, quia non vere pænitebant. Antiochus ſcilicet gravi plaga percuſſus orabat, non ut peccatis remedium, ſed ut dolori ſolamen obtineret: Eſau vero deflebat amiſſa primogenita, non peccata, quibus Divinam iram ſibi conſcivit.

Præter hæc Scripturarum loca opponunt etiam adverſarii varia teſtimonia S. Auguſtini, quæ ad ſequentem ordinem revocamus. Primum teſtimonium eſt ex lib. 1. retract. c. 15. *Qui autem cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, jam hoc ita peccatum eſt, ut ſit etiam pæna peccati.* Quod ſi aliqui cogenti cupiditati reſiſtere non poſſunt, certe non habent auxilium ſufficiens ad non peccandum. Rurſus ibidem: *quantum eſt*, inquit, *quod valet voluntas, niſi forte ſi pia eſt, ut oret auxilium?* Ergo ſi voluntas non eſt pia, non habet auxilium ſufficiens ne ad orandum quidem. Sed reſpondeo, eſſe aliquos, qui cogenti cupiditati reſiſtere non poſſunt manente ea cupiditate; quæ tamen non neceſſario in illis hæret, quia eam cum auxilio gratiæ exuere poſſunt: quod auxilium nemini deeſt, quo tempore præceptum obſervandum occurrit. At ſi voluntas non eſt pia, non poteſt ne auxilium quidem petere. Ita eſt, fieri tamen poteſt pia, ſi gratiæ prævenienti conſentire voluerit.

Secundum teſtimonium ex lib. de perfectione juſtitiæ cap. 6. ad 15. ratiocin. *Peccatum eſt, cum vel non eſt charitas, quæ eſſe debet, vel minor eſt quam debet, ſive hoc vitari poſſit, ſive non poſſit: quia ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit; ſi non poteſt, præterita voluntas hoc fecit.* Item eodem lib. c. 19. loquens de homine ſervante præcepta ait: *quaſi non de-*

debeat Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset. Supponit igitur aliquos ita excæcatos, ut omni lumine veritatis sint destituti. Resp. In priore loco loquitur D. Doctor de eo quod vitari non potest, non absolute, sed ex hypothesi, quia nempe non potest vitari dominante prava cupiditate, sed potest per gratiam Dei dominatus cupiditati auferri. Ceterum pro solvendis aliis textibus nota: duplicem distingui potentiam, unam quæ importat facultatem & facilitatem, qua res fieri potest & quidem faciliter; alteram quæ importat facultatem sed non facilitatem, qua res fieri potest sed difficulter. Quia igitur quod est admodum difficile, moraliter est impossibile, ideo quorundam conversio sæpe sic describitur, quasi foret absolute impossibilis. In loco altero supponit solum Augustinus contra Cœlestium Pelag. hominem qui implet mandata, Deo gratias agere debere, quia sine ejus lumine non posset id facere.

Tertium testimonium ex lib. de corrept. & grat. c. 11. *Dederat*, inquit, *adjutorium primo homini, sine quo non posset permanere si vellet.* Et infra: *si autem hoc adjutorium defuisset, non utique sua culpa cecidisset; nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pæna peccati est, quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Hoc loco videtur D. Doctor dicere, adjutorium necessarium ad non peccandum non omnibus dari, non si omnibus daretur, non esset in ullo pæna peccati ejus carentia. Ad hunc locum variæ responsiones sunt: alii putant comparationem hic fieri inter adjutorium datum Adamo, & adjutorium in hoc statu Electorum proprium, quod certe non omnibus datur. Alii dicunt Augustinum loqui de gratia dante sufficientiam proximam ad bonum, quæ aliquibus in pænam negatur; vel de adjutorio, quod præbet moralem possibilitatem agendi, quale non omnes Adæ posteri habent: quod si defuisset Adæ, non cecidisset sua culpa, quia si non habuisset

ſet adjutorium dans moralem poteſtatem, neque habuiſſet tale, quod daret poteſtatem phyſicam, quia in eo ſtatu omne auxilium dans ſimpliciter poſſe, etiam facile poſſe dediſſet.

Quartum teſtimonium ex lib. 1. ad Simplician. q. 2. *Obduratio eſt Dei nolle miſereri;* ergo illi, cui Deus non vult miſereri, non confert gratiam. Item Epiſt. 107. ad Vitalem ait: *gratiam non omnibus dari.* Rurſus in Pſal. 147. *Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit ſenſum, ecce non infundit gratiam.* Demum lib. de nat. & grat. c. 22, *Nec cogitat prævaricator legis quam digne lux deſerat veritatis, qua deſertus utique fit cæcus, & plus offendat neceſſe eſt.* Reſp. Hæc & ſimilia teſtimonia intelligenda eſſe ad ſenſum eorum, quæ ad probandam noſtram aſſertionem ex eodem S. Doctore laudavimus: nempe non omne gratiæ beneficium denegari, ſed tantum gratiæ cujusdam ſpecialis & uberioris. Hinc primus textus loquitur de gratia ſpeciali, qua, ut ibidem ait, *cujus miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.* In Epiſt. ad Vitalem non eſt ſermo de gratia ſufficiente, ſed Juſtificante. Tertium textum explica etiam de gratiis congruis aut proxime ſufficientibus. Demum ultimi textus ſenſus eſt, prævaricatorem legis deſeri gratia converſionis proxime ſufficientis, qua deſertus plus offendat neceſſe eſt neceſſitate conſequente negligentiam in petenda gratia converſionis.

Sequuntur jam rationes quædam contrariæ. I. Datur menſura peccatorum cuique conſtituta, qua completa Deus non amplius confert auxilia gratiarum ad converſionem. II. Etſi aliqui poſt certum numerum peccatorum non haberent ullam gratiam ad converſionem, imputari tamen iis poſſet omiſſio converſionis, quia habuerunt gratias ſufficientes ad vitandam ipſam obſtinationem; quo fit, ut omiſſio pœniten-

tiæ illis ſit imputanda in cauſa, nempe in obſtinatione libere volita, per quam ſe conſtituerunt impotentes ad agendum ſalutariter. III. Dum Trident. ait: Deum ſua gratia juſtificatos non deſerere, niſi prius deſeratur, videtur ſupponere, Deum aliquos ex iis deſerere, a quibus deſeritur.

R. D. primam prop. Datur menſura peccatorum, ultra quam Deus non confert auxilia præviſa efficacia, C. præviſa inefficacia, N. Datur quidem peccatorum cuique condonandorum menſura, ſed hæç non completur niſi in morte: quare quamdiu vivit, auxilia gratiæ ita illi non deſunt, quin poſſit peccata ſua per pœnitentiam expiare. Ad 2*dum* dico: ſpectatis noſtræ aſſertionis momentis homines non tantum ante obdurationem, ſed & poſt quodvis peccatum, quamdiu in ſtatu viæ ſunt, habere pro loco & tempore gratias ſufficientes ad converſionem. Et ſane obdurati omittendo pœnitentiam peccant; habent ergo ſufficientiam ſaltem phyſicam pœnitendi. Ad 3*tium* aio: in textu Tridentini hanc vocem *niſi* non habere vim particulæ exceptivæ affirmantis, quod in reliqua oratione negatur; ſed præciſe habere vim particulæ conditionalis. Adde, derelictionem non fieri per ſubtractionem omnium gratiarum, ſed uberiorum, & moraliter etiam ſufficientium.

§. III.

Probatur infidelibus omnibus, etiam negativa infidelitate laborantibus, dari gratias ſufficientes, quibus mediate ſaltem & fidem & juſtitiam obtinere poſſint.

XXI. Argumentum I. ex Script. Apoſtolus 1. Timoth. 2. ait: *obſecro primum omnium orationes fieri - - - pro omnibus hominibus - - - hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agni-*

agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Deus ergo vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quia Christus pro omnibus mortuus est: atqui Christus mortuus est pro omnibus etiam infidelibus; nam teste Apostolo 2. *Corinth.* 5. mortuus est pro omnibus, qui inquinati sunt peccato originali: ergo. Jam vero Divina illa voluntas salvandi omnes non est in Deo simplex quædam complacentia, sed (ut salvemus Deum sincere, & quantum est de se, velle salutem omnium) est decretum dandi singulis auxilia sufficientia, si nullum sit ex parte causarum secundarum impedimentum; sed nullum est impedimentum, quo minus infidelibus adultis actu conferantur remotiora auxilia, e. g. sancta cogitatio, pia voluntatis motio, quæ non pendent a ministerio hominum, sed immediate a Deo fiunt. Und sic argues: qui sincere vult finem, adhibet etiam media sufficientia ad illum obtinendum: atqui Deus salutem vult omnium infidelium; confert igitur auxilia sufficientia ad illam consequendam.

Argumentum II. ex Patribus. Omissis aliis, quos citat Bellarminus, primo loco venit S. Augustinus expos. 1. in Ps. 18. ita loquens: *non est qui se abscondat a calore ejus; cum enim Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium se excusare de umbra mortis, & ipsam enim penetravit Verbi calor.* Et lib. de spir. & litter. c. 33. ait: *infideles experturos in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* S. Prosper, vel quiscunque alius antiquus Author librorum de vocatione gentium sic scribit lib. 2. c. 15. *adhibita est semper universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris occultiorisque gratiæ fuit, tamen sufficit, sicut Deus judica-*

cavit, *quibusdam ad remedium*, *omnibus ad testimonium*. S. Thomas q. 14. de veritate art. 11. *Ad Divinam providentiam pertinet*, *ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem*, *dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis nutritus in silvis ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fuga mali, certissime est tenendum*, *quod ei Deus vel per internam inspirationem ea quæ sunt ad credendum necessaria revelaret*, *vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret*, *sicut misit Petrum ad Cornelium.* Quia tamen raro infideles sic obtemperant, *paucissimis donatum est* (ut ait Aug. l. de dono persev. c. 19.) *ut doctrinam salutis accipiant.* Quibus spectatis dici debet infideles, ut primum usum habent rationis, obtinere a Deo gratias prævenientes, seu lumen supernaturale, per quod possint credere Deum ut remuneratorem, & simul motionem voluntatis, per quam excitentur ad orandum & impetrandum a Deo majus lumen fidei, quo mediante fidem obtinere, atque adeo paulatim & certis quibusdam gradibus ad salutem pervenire possint.

Adde rationem D. Thomæ: supposita gratuita hominis ordinatione ad finem supernaturalem, pertinet ad Divinam providentiam, ut omnibus largiatur lumen sufficiens, quo sive proxime sive remote possint se ad illum finem convertere; sed homo non potest se convertere ad finem supernaturalem sine aliquo lumine superno divinitus collato, ut patet; ergo ad Divinam providentiam pertinet, ut tale lumen omnibus largiatur, ac proinde illuminet omnem hominem venientem ad usum rationis, ita ut per ipsum fiat, si sese non convertat & justificetur.

§. IV.

§. IV.

Satisfit momentis contrariis.

XXII. Opponuntur nonnulla ſcripturarum loca. Act. 14. dicitur Deus *in præteritis generationibus dimiſiſſe omnes gentes ingredi vias ſuas;* ergo gentibus ante Chriſtum non eſt data gratia. Act. 16. legitur Paulum prohibitum eſſe a Spiritu S. *loqui Verbum Dei in Aſia;* Unde concluditur Aſiaticis non fuiſſe datam gratiam ſufficientem, qua præparentur ad fidem Chriſti ſuſcipiendam. Ad Epheſ. 2. ait Apoſtolus de gentibus ad fidem converſis: *eratis illo in tempore ſine Chriſto - - - promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo;* item *eratis aliquando tenebræ.* Hinc ita arguimus: quod erant Epheſii ante converſionem, id ſunt infideles negativi; at Epheſii ante converſionem carebant omni gratia, quia erant tenebræ, ſine Deo, ſine ulla ſpe promiſſionis. Demum Apoſtolus *Rom.* 10. ait: *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti;* item *quomodo autem audient ſine prædicante?* Unde ſic: ſine fide adultus non poteſt juſtificari; atqui infideles negativi non habent auxilium ſufficiens ad fidem; ergo nec ad juſtificationem.

R. ad primum textum, Deum dimiſiſſe gentes ingredi vias ſuas, quatenus per gratias ſpeciales illas non continuit in vero ſui cultu, ſicut Iſraelitas identidem, exigentibus eorum peccatis, dimiſit ſervire Diis alienis; at inde non ſequitur ſubtractam illis fuiſſe omnem gratiam ſufficientem. Ex altero textu ſequitur tantum, Aſiaticos tunc privatos fuiſſe gratia proxime ſufficiente ad amplectendam fidem Chriſtianam; attamen habuiſſe pro loco & tempore gratiam remote ſufficientem,

qua ſi bene uſi fuiſſent, gratiam proxime ſufficientem recepiſſent. Similiter Epheſii dicuntur ſine Deo & ſpe promiſſionis fuiſſe, quia neque legem ſcriptam, neque promiſſionem receperant, ut Judæi, & Chriſtum, ejusque myſteria ignorabant; unde etſi non habuerint gratias proxime ſufficientes, habuerunt tamen remotas, quibus poterant habere cognitionem ſalutarem Dei, eumque ſic cognitum invocare, ut ita paulatim ad fidem & juſtitiam pervenirent. Idem reſponſum applicandum eſt ad ultimum argumentum.

Opponuntur II. auctoritates aliæ. 1. Fides eſt prima gratia; nam ex Tridentino eſt *humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis:* at infideles non habent fidem; ergo nec ullam gratiam. 2*do*. D. Auguſt l. de prædeſt. SS. c. 7. ait de fide: *Ipſa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juſte vivitur.* lib. de grat. & lib. arb. c. 13. ait: *gratia per fidem Jeſu Chriſti eorum tantummodo eſt, quorum eſt ipſa fides.* Tract. 3. in Joan. *quam gratiam primo accepimus? fidem.* Item l. de geſtis Pelag. c. 14. *fides initium eſt unde bona opera incipiunt.* Ergo ex mente D. Doctoris fides eſt prima gratia. 3*tio*. Idem ait l. de prædeſt. SS. c. 8. *fides igitur & inchoata & perfecta donum Dei eſt: & hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari omnino non dubitet, qui non vult ſacris litteris repugnare.* Infideles ergo non habent omnes fidem inchoatam. 4*to*. S. Auguſt. Serm. 26. de Verb. Apoſt. c. 4. dicit: *communis eſt omnium natura non gratia.* Et D. Thomas q. 24. de veritate art. 14. probat, quod ſi omnibus daretur gratia, qua homo ſe præpararet ad gratiam, *non videretur aliud eſſe quam naturale donum. Nam in nullo inveniuntur omnes homines convenire, niſi in aliquo naturali.*

R. ad

R. ad I. N. majorem intellectam de fide perfecta & Christiana; multi enim ex Apostolo & Aug. vocati sunt ad fidem, qui tamen non crediderunt, unde Clem. XI. damnavit has propos. Quesnelli, 26. *nullæ dantur gratiæ nisi per fidem*, 27. *fides est prima gratia & fons omnium aliarum.* Porro per fidem Quesnellus intellexit fidem perfectam & Christianam, ut patet ex propos. damnata 24. *extra Ecclesiam nulla datur gratia.* Tridentinum quidem dicit fidem esse initium humanæ salutis, non quod sit prima gratia infideli concessa, sed quod sit proxima & immediata ad justificationem dispositio, sine qua, addit Trident., impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire; verum Deus infideles ordinarie vocat ad fidem per gratias remotas, quibus si bene uterentur fidei donum acciperent, ut contigit Cornelio, cujus acceptæ erant orationes antequam credidisset in Christum; ex adverso Agrippa habuit gratiam remotam ad fidem, quando Act. 26. dixit ad Paulum: *in modico suades me Christianum fieri*, cui cum restiterit, donum fidei non accepit.

Ad II. D. id, quod infertur ex textibus: ergo fides est prima gratia quæ proxime disponit ad justificationem, C. est prima gratia absolute & simpliciter, N. In primo textu loquitur D. Aug. de fide immediate disponente ad justificationem, ut constat ex his verbis: *in quibus juste vivitur*; non autem excludit alias antecedentes gratias, quibus remote saltem disponimur ad fidem perfectam, & gratiam justificantem. In altero textu allato ex lib. de grat. & lib. arb. non loquitur de gratia actuali, sed de gratia sanctificante contra Pelagianos, qui docebant naturam & legem sufficere ad justificationem & salutem. Tract. 3. in Joan. D. Doctor comparat fidem cum gloria, & docet fidem, qua promeremur vitam æternam, esse hac priorem quia, inquit, *ipsa fides gratia est, & vita æterna gratia pro*

 gra-

gratia. Textui ex lib. de geſt. Pelagii allato ut ſatisfacias, nota, D. Doctorem duplicem diſtinxiſſe fidem, unam perfectam, qua explicite creditur in Chriſtum, alteram inchoatam, qua creditur in Deum quomodocunque, non tamen ſine lumine aliquo ſupernaturali: hæc fides eſt prima gratia & initium ſalutis, quam D. Aug. ſe habere dicit ad fidem perfectam, ſicut conceptio ad partum: *fiunt*, inquit l. 1. ad ſimplic. q. 2., *inchoationes quædam fidei ſimiles conceptionibus; non tamen ſolum concipi, ſed & naſci opus eſt, ut ad vitam perveniatur æternam.*

Ad III. Diſt. Conſeq. Infideles non habent omnes fidem inchoatam, incipientem per Evangelii prædicationem, C. incipientem per illuſtrationem & inſpirationem Dei, N. Hæc mens eſt D. Doctoris, qui loco citato refert & approbat, quæ ſcripſerat contra Porphyrium, ubi reſolvens hanc quæſtionem, cur tamdiu Deus diſtulerit adventum Chriſti, reſpondet repetendum *ab altitudine ſapientiæ Dei*, quod fides inchoata uno, non alio tempore detur per prædicationem Evangelii.

Ad IV. Dico: S. Aug. ibi loqui de gratia ſpeciali, qua fideles, ac juſti ſumus, & qua ſecernimur a paganis; non de gratia generali & remota. D. Thomas etiam agit contra ſingularem quorundam errorem de gratia habituali, non actuali; hanc enim dicit *omnibus ex Divina miſericordia provideri homini*, & pertinere ad Divinam providentiam, ne hominem, quem ad ſupernaturalem finem elevavit, omnibus mediis, quibus ad dictum finem conari poſſit, deſtituat.

Opponitur III. Damnata eſt hæc Baji propoſ. 68. *infidelitas negativa in his, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.* Ergo in his, quibus non eſt Evangelium prædicatum, datur infidelitas inculpabilis; atqui non poſſet eſſe inculpabilis, ſi

omnes

omes haberent gratias ſufficientes, quibus ad fidem adduci poſſint: ergo.

Reſp. D. min. non poſſet eſſe infidelitas inculpabilis, ſi omnes haberent gratias proxime ſufficientes ad credendum fide explicita myſteria religionis Chriſtianæ, C. ſi haberent tantum gratias remote ſufficientes, N. ut aliquis ſit infidelis non pure negative, ſed culpabiliter non ſufficit, ut aliqua gratia tam ex parte intellectus, quam voluntatis afficiatur & moveatur ad ſalutem; ſed requiritur, ut ei proponantur myſteria fidei ut a Deo revelata, adeoque cognoſcat revelationem Divinam & obligationem credendi, eique non obſequatur; nam qui habet tantum inchoationem fidei, ſeu gratiam remotam ad fidem, qua ad Deum authorem ſupernaturalem ſe convertere poſſit & teneatur, invincibiliter ignorare poteſt revelationem Divinam, & obligationem credendi, adeoque illi infidelitas nec in ſe, nec in cauſa eſt voluntaria. Hinc ſi quis moriatur in infidelitate negativa, propter hanc non punitur, ſed ob peccatum originale, peccata actualia, & liberam gratiis Divinis reſiſtentiam.

CAPUT V.

UTRUM OMNIBUS INFANTIBUS ETIAM IN UTERO MATERNO DECEDENTIBUS, DEUS SUFFICIENTER PROVIDERIT DE REMEDIO SALUTIS.

XXIII. Parvulos non pertinere ad regnum cœlorum cenſebant olim nonnulli hæretici, teſte S. Auguſtino lib. de hæreſ. c. 47. *quia illis non ſunt ulla merita certaminis, quo vitia ſuperentur.* Sed hoc eſt contra illud Chriſti Matth. 19. *Sinite*

parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum. Propterea eos non excludit a gratia Christi Redemptoris, qui pro illis etiam a peccato originali liberandis baptisma instituit & præparavit. At quid si antequam baptismo tingantur, præveniantur morte?

Pelagiani negantes peccatum originis docebant, parvulis necessarium esse baptismum, non quidem ob remissionem peccatorum, sed propter regnum cœlorum, ut adeo qui sine baptismo decedunt, habeant quidem salutem & vitam æternam, sed extra regnum Dei. Calvinus autem, etsi peccatum originis admittat, docet pueros ex parentibus fidelibus natos salvari, etsi non recipiant baptismum. Contra hos fides Catholica docet, pueros non baptizatos qualescunque incurrere damnationem. Hinc difficultas proposita oritur, an his parvulis sine baptismo decedentibus Deus providerit de remedio salutis.

Non agitur hic, ut per se patet, de gratia sufficiente sumpta pro actuali illustratione & motione: constat enim ejusmodi auxilia non dari infantibus. Insuper nemo dubitat quin Deus sufficienter providerit iis infantibus, qui re ipsa per baptismum regenerantur. Quare examinandum superest, utrum Deus sufficienter providerit omnibus infantibus etiam sine baptismo decedentibus, de mediis saltem remote sufficientibus, & in aliena voluntate constitutis ad procurandum illis baptismum & salutem ita ut penes Deum non sit, quin ad baptismum & salutem perveniant. Partem negantem tenet Vasquezius in 1. p. disp. 96. ubi hujus suæ sententiæ patronos laudat Gregorium Arim., Richard., Gabriel. aliosque ex antiquis: contra quos sit

AS-

ASSERTIO.

Omnibus infantibus vel etiam in utero materno decedentibus providit Deus de mediis ad salutem sufficientibus: hoc est non modo baptismum illis præparavit, sed & sincere voluit, ut ipsis administretur.

XXIV. Prob. I. ex duplici Scripturæ momento supra allato, nempe ex sincera Dei pro salute omnium voluntate, & morte Christi pro iis omnibus, qui in Adamo mortui sunt; atqui ab illa generali voluntate Dei pro salute omnium nullibi excluduntur infantes, qui omnes etiam in Adamo mortui sunt; ergo Deus sincere voluit omnes infantes salvos fieri, ac pro iis omnibus mortuus est Christus. Porro ne voluntas Dei pro salute omnium sit sterilis, dicendum est, omnibus parvulis Deum providisse de mediis sufficientibus ad salutem per baptismum obtinendam, cum nemo dicatur serio velle finem, nisi etiam velit adhibere, & reipsa adhibeat media ad finem opportuna.

Prob. II. testimoniis PP. S. Augustinus l. 4. contra Julian. c. 8. sic ait: *nunquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est: vult omnes homines salvos fieri?* ergo generali illa voluntate contineri agnovit non tantum adultos, sed & parvulos. Nam ut ibidem arguit: si Deus vult salutem omnium adultorum, multo magis ex sua misericordia vult salutem omnium parvulorum, ne dicatur benevolentior esse hominibus sceleratissimis, quam innocentissimis ab omni labe peccati actualis & personalis. *Isto modo*, inquit, *facis benevolentiorem Deum omnibus sceleratissimis hominibus, quam purissimis ab omni labe peccati.* Hoc idem docuit Auctor lib. de vocat. gent. (seu Prosper fuerit seu quicunque alius) l. 2. c. 23.

c. 23. his verbis: *cum quærimus quomodo omnes homines ſalvos fieri velit - - - non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus; qua utique ſi bene eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eosdem juvarentur.* Et paulo poſt ſubdit: *ſicut autem circa majores præter illam generalem gratiam parcius atque occultius omnium hominum corda pulſantem, excellentiore opere, largiore munere, potentiore virtute vocatio ſpecialis exoritur; ita etiam circa innumeros parvulos eadem manifeſtatur electio.* Ait hic primo, infantes ad eam gratiæ partem pertinere, quæ univerſis eſt impenſa nationibus. 2do plerumque in ſola parentum culpa eſſe, quod non baptizentur. 3tio pro infantibus ut & pro adultis duplicem eſſe gratiam, generalem & ſpecialem, quæ ſane voluntatem ſalvandi parvulos in Deo manifeſte denotant.

Sed quomodo, inquies, Deus vult ſalutem parvulorum ſine baptismo decedentium, cum iſtis non conferatur ullum remedium paſſionis Chriſti ſufficiens? dico: parvulis non minus quam adultis conferri gratias ſufficientes cum hoc tamen diſcrimine; quod adulti hæc auxilia recipiunt in ſe ipſis, quia ſunt capaces ſalvari per ſe ipſos: parvuli vero non recipiunt niſi in parentibus ſuis, vel aliis, quia non ſunt capaces ſalvari niſi per alios. Porro nomine iſtarum gratiarum parvulis præparatarum intelligi poſſunt omnia illa media, quæ in aliena voluntate ordinantur ad illorum baptismum, ut ſunt inſpirationes datæ tum parentibus, aut majoribus, ut pro ſalute filiorum & poſterorum orent, aut alia bona opera exerceant; tum Viris Apoſtolicis, ut excurrant in alias terras, peccatique originalis remedium annuncient; tum aliis animarum curatoribus, ut omni ope baptismum parvulis applicent; tum aliis fidelibus, ut pro ſalute omnium orent. His gratiis ſi rite

ute-

uterentur ii, quibus parvulorum salus quasi commissa est, non permitteret Deus eos mori, nisi prius salutis remedium ipsis applicatum fuisset.

Solvuntur argumenta opposita.

XXV. Oppones I. Unicum in lege nova remedium salutis in parvulis est Baptismus; at de hoc non omnibus providetur, cum multi sine illo moriantur. Jam olim Deus *numer* 31. & 1. *Reg.* 15. præcepit necem omnium mulierum, adeoque etiam prægnantium, ac proinde voluit directe etiam occisionem infantum, antequam illis remedium salutis tunc constitutum applicari posset; nunc autem sæpius talem causarum secundarum cursum permittit, ut parvuli in utero materno decedant, e g. dum Mater fulmine tangitur, quo casu defectus baptismi unice tribui debet ictui fulminis, adeoque Deo ut Auctori naturæ. Quod si ita, dici non potest Deum omnibus providisse de remedio salutis, ita ut voluerit illud ipsis administrari.

Resp. dist. min. At de baptismo non omnibus providetur, ita tamen ut provideatur de mediis ad salutem remote sufficientibus, ut ad baptismum perveniant, C. Secus, N. Etsi enim non omnibus sit provisum de medio ad salutem proxime sufficiente, quale est baptismus, omnibus tamen provisum est de medio saltem remote sufficiente, quo si uterentur parentes, parvuli ad baptismum pervenirent, ut supra dixi. In primo exemplo voluit quidem Deus occisionem infantum, non quidem voluntate antecedente, sed consequente duntaxat defectum orationis, vel aliorum bonorum operum in parentibus, quibus tale remedium alligavit; unde potuit voluntate antecedente

velle salutem parvulorum. In aliis casibus, e g. dum Mater fulmine icta perit, proxime quidem defectus baptismi tribui debet fulmini; remote vero culpæ & negligentiæ parentum, qua absente Deus causas naturales ita ordinasset, ut parvulus a baptismo minime fuisset impeditus.

Oppones II. Ejusmodi voluntatem pro infantibus esse in Deo negat S. Augustinus lib. de dono persev. c. 12. ubi hæc scribit: *plerumque festinantibus parentibus, & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum in hac vita non tenuit, ut daretur.* Item l. de nat. & grat. c. 8. ait: *ego autem dico parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi baptismum subveniri, morte præventum, idcirco talem fuisse, id est sine lavacro regenerationis exisse, quia esse aliud non potuit.* Unde sic arguo. illis Deus sincere non præparavit baptismum, qui non baptizantur, Deo sic nolente: atqui teste Aug. plerumque non baptizantur infantes, Deo sic nolente: ergo. Neque dici potest defectum baptismi oriri ex voluntate Dei consequente ad culpam parentum aut ministrorum; dicit enim S. Doctor: *festinantibus parentibus & paratis ministris, Deo tamen nolente, non dari baptismum*, & S. Prosper lib. de ingratis ita canit: *nec meritis istud poteris aptare parentum: cum videas multos sanctis genitoribus ortos, nullo salvari studio potuisse suorum.*

Resp. dist. primum textum Aug. Non baptizantur Deo nolente, hoc est nulla præsupposita ex parte Dei voluntate consequente & efficaci, C. nulla voluntate inefficaci & antecedente, N. Id unum certum est ex verbis allatis non esse in Deo voluntatem consequentem & efficacem de parvulorum baptismo; sed inde colligi non debet non esse voluntatem generalem & antecedentem, qua vult salvare omnes homines,

in quorum numero infantes ſunt: nam voluntas qua vult Deus quosdam homines damnare, quæ dicitur conſequens, recte cohærere poteſt cum illa generali & anteriore voluntate qua vult omnes homines ſalvos fieri. Ad id quod additur, dicendum eſt, defectum baptismi ſæpe non oriri ex culpa præſente parentum; ortum tamen habere ex culpa præterita majorum, & ulteriorum progenitorum, ſeu ex abuſu gratiæ ipſis ad ſalutem poſterorum collatæ: dicit enim D. Proſper: *qua* (gratia) *ſi bene uterentur eorum parentes, etiam ipſi per eosdem juvarentur.*

Oppones III. Hæc Apoſtoli verba: Deus *vult omnes homines ſalvos fieri*, non videntur pertinere ad parvulos, cum ſtatim addat: *& ad agnitionem veritatis pervenire*, cujus parvuli ſunt incapaces. *Reſp.* Etiam hos accedere ad agnitionem veritatis, non quidem actu, ſed habitu, cum recipiant gratiam ſanctificantem, & habitum fidei, qui cum illa infunditur. Quod ſi poſt baptismum moriantur, veniunt ad agnitionem veritatis etiam actu, quia perveniunt ad vitam æternam, ubi eſt actualis & intuitiva cognitio veritatis.

CAPUT VI.

DE GRATIA EFFICACI IN SENSU NOVATORUM.

Gratiam dari efficacem, quæ certo & infallibiliter det ipſum operari, nemo in dubium revocat; ſi enim Deus confert gratias, per quas rebelles ad ſe compellit voluntates, quæ a nullo duro corde reſpuuntur, quibus nullum hominum reſiſtit arbitrium; ſi Deus promittit gratias, quæ infallibiliter ope-

rantur velle & perficere, quæ faciunt, ut in præceptis Divinis ambulemus: quis dubitare poteſt dari gratiam efficacem? At vero ut vim & efficaciam gratiæ explicemus, hic labor, hoc opus eſt; quod ut aggrediamur, neceſſe eſt ut præſenti capite Novatorum errores refellamus, & dogma Catholicum ſtabiliamus.

Syſtemata Novatorum circa efficaciam gratiæ.

XXVI. Primum Syſtema eſt Lutheri & Calvini, qui docuerunt gratiam efficacem eſſe vere neceſſitantem, ita ut voluntas humana ſub motione gratiæ agat neceſſario, nec in illius ſit poteſtate moventi gratiæ reſiſtere. Ac primo audiamus Lutherum in libro de ſervo arbitrio ita loquentem: *ſequitur nos neceſſario operari - - - neceſſario dico, non coacte, neceſſitate immutabilitatis, non coactionis.* Admittit ergo Lutherus voluntatem ſub motione gratiæ agi neceſſitate, non tamen pati coactionem. Calvinus pariter ſentit l. 2. Inſtit. c. 2. referens ſententiam Catholicorum: *ideo*, inquit, *putarunt nos ſecunda Dei gratiæ cooperari, quod noſtri juris ſit primam gratiam vel reſpuendo irritam facere, vel obedienter ſequendo confirmare.* Quam noſtrorum doctrinam ſubinde refellit Calvinus. Qualem tamen admittat libertatem, explicat his verbis: *liberi arbitrii dicetur homo, non quia liberam habet boni æque ac mali electionem, ſed quia agit voluntate, non coactione.* Uterque ergo in eo conveniunt, quod putent per gratiam voluntati neceſſitatem inferri, non quidem eam, quæ coactionis & violentiæ dicitur, ſed eam quæ ſimplex vocatur, qua nempe voluntas ita ad unum invincibiliter determinatur, ut actus contrarius non amplius ſit in ejus poteſtate: adeoque ſuppoſita delectatione ex gratia orta non dari amplius indifferentiam acti-

vam,

vam, qua voluntas sese possit ad unam vel alteram partem flectere. Huic errori addiderunt alium: nempe voluntatem Deo moventi & excitanti assentiendo ex se ipsa non cooperari, hoc est nihil vi propria, quamvis per gratiam elevata, agere, sed mere passive se habere relate ad bonum formaliter tale, seu quatenus rationem meriti induit, ut explicat Tournelyus *p*. 1, *q*. 3. *pag. edit. Venet*. 132.

Alterum Systema est Jansenii docentis, efficaciam gratiæ repetendam esse ex ipsius indeliberata delectatione, quæ sit superior opposita concupiscentiæ delectatione, item indeliberata, & illius relative per gradus victrice. Virtus ergo gratiæ efficacis, ut putat Author, consistit in majore & relativa delectatione cælesti, secundum quam necesse est voluntatem quasi ex lege mechanica operari, cum necesse sit in conflictu duarum delectationum (quarum una gradibus alteri præponderat) minorem cedere majori. Audiamus Jansenium: lib. 8. de gratia Christi c. 2. ait: *delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est: tunc enim est victrix, quando alteram superat*. Et lib. 4. c. 9. *Conflictus ille delectationum sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit. Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est*. Item l. 8. c. 8. *perspicue apparet impossibile esse, ut adjutorium illud cælestis delectationis non determinet, imo prædeterminet voluntatem, quia facit ut velis, & sine illa velle non possis - - - facit ut necesse sit animum sequi, & secundum illud operari, quod amplius delectaverit*. Discipuli Magistrum summa consensione sequuntur; nam ne unum quidem reperias, qui vim gratiæ efficacis non repetat ex delectatione superiore seu relative victrice, quæ voluntatem necessario determinet ad agendum; ut adeo superfluum sit plura in re apud Jansenianos certa referre.

Catholici objiciunt Jansenistis, quod circa vim gratiæ efficacis idem cum Calvinistis sentiant; at illi in omnem partem se vertunt, ut hanc a se labem removeant. Sed res ipsa facile apparebit, si ea doctrinæ Calvinianæ capita perpendamus, quæ ipse Jansenius fatetur a Tridentino esse damnata.

Primo enim ait Jansenius (*l.* 8. *de grat. Christi c.* 21.) Tridentinum damnasse in doctrina Calvini, *quod negct esse in homine boni & mali electionem.* At ex hoc capite non discrepat Calvinus a Jansenio; uterque enim negat electionem proprie dictam, quæ consistit in determinatione voluntatis habentis potestatem se determinandi ad oppositum, & uterque admittit electionem improprie dictam consistentem in eo quod voluntas velit cum advertentia rationis & absque coactione. Fatetur ipse Calvinus in antidoto ad Can. 5. Sess. 6. se repudiare tantum eam facultatem, quam Patres Trident. dixerunt esse *liberam*, *& solutam in utramque* partem, seu quæ sit facultas activa indifferens, & sui ipsius determinativa.

Secundo fatetur Jansenius Calvinum docere *gratiam ita movere hominem, ut non sit ei liberum resistere.* At ab hoc ille quoad rem tam parum differt quam ovum ab ovo. An non ait Jansenius, *fieri non posse, ut actualis dissensus cum actuali gratiæ motione jungatur?* An non dicit, *necesse esse ut secundum illud operemur, quod amplius nos delectat?* Uterque negavit sub motione gratiæ efficacis remanere facultatem agendi vel non agendi *expeditam*, hoc est solutam ab omni antecedente ad unum determinatione; etsi neuter negarit eatenus sub motione gratiæ manere potentiam resistendi gratiæ in sensu diviso, quatenus manet ipsa voluntas de se flexibilis ad malum, & cum voluntate concupiscentia.

Ter-

Tertio Noluit Calvinus *hominem gratiæ moventi pedissequa voluntate consentire.* Hoc loco non negat Calvinus voluntatem esse pedissequam gratiæ prævenientis, imo id affirmat *l.* 2. *Instit. c.* 3. sed solum negat homini non esse tribuendum, quod gratiæ pedissequa voluntate consentiat, quia putat gratiam prævenientem talem esse, quæ determinando & necessitando format in corde & electionem & voluntatem, qua homo ei obsequitur. An non idem docet Jansenius multis locis, & præprimis lib. de grat. primi hominis cap. 15. ubi ait: *actionem non fore tribuendam ipsi arbitrio, sed dominantis istius virtutis efficaciæ.*

Quarto docuit Calvinus *virtutem & vitium, bene agere & male non esse in nostra potestate, non esse in homine liberum arbitrium, ipsumque nomen inane & exterminandum esse.* Sed hoc docuit in eo sensu, in quo asserit Jansenius. Nam Calvinus vult tantum ista non esse in nostra potestate libera, libertate ab omni necessitate, & neutri parti alligata, nec negat esse in nostra potestate immuni a coactione & sponte agente; an non idem sentit Jansenius? dicit enim *l.* 6. *de grat. Christi c.* 4. hominem ad actum bonum a gratia, & ad actum malum a concupiscentia necessitari sine coactione & violentia, eosque putat errare, qui docent requiri facultatem agendi vel non agendi immunem ab omni necessitate etiam voluntaria. Uterque non negat liberum arbitrium, nisi acceptum in sensu Catholicorum pro facultate expedita & immuni ab omni necessitate. En ergo Jansenium in his capitibus tam similem Calvino, quam simia simiæ similis est: etsi his erroribus Calvinus adjunxerit alium, nempe Dei mandata sub quavis efficaci gratia esse impossibilia, quia putat omnes actus deliberatos concupiscentiæ labe esse maculatos; Consonantiam hanc inter doctrinam Calvi-

vi-

vinianam & Jansenianam egregie exponit Cl. Simonnetus *disp. de grat. efficaci art. 2.* Nos rem ipsam aggrediamur.

ASSERTIO I.

Gratia efficax non est gratia necessitans voluntatem ad consensum.

XXVII. Hæc Thesis contra Lutherum & Calvinum definita est in Trident. Seff. 6. c. 5. ubi loquens de gratia, cui libere assentiendo & cooperando homines ad suam ipsorum justificationem disponuntur, sic ait: *ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere potest.* Ergo efficax gratia qua homo se disponit ad justificationem per actus fidei, spei, pænitentiæ &c. est talis, quam homo potest abjicere & repudiare, adeoque non est necessitans. Canone 4. ait: *si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti - - - neque posse dissentire si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.* Hic damnantur duo errores, primus Lutheri, quo prius docuerat liberum arbitrium ad motiones gratiæ passive se habere; secundus, quem postea Lutherus cum Calvino docuerunt, liberum atbitrium sic motum necessario, etsi non coacte, gratiæ assentiri & cooperari, contra quos definitum est liberum hominis arbitrium posse dissentire, quod notat libertatem a necessitate.

Ecclesiæ definitio nititur I. Scriptura. Nam ut alios textus omittam, Eccles. c. 31. dicitur justus mereri laudem & gloriam, *qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit.* Gratia ergo efficax, per quam servantur

man-

mandata, non necessitat, sed relinquit libertatem a necessitate. Nititur II. Auctoritate S. August., qua potissimum gloriantur adversarii. Scribit is lib. de sp. & lit. c. 31. *cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Cap. 34. *Agit Deus ut velimus & credamus - - - sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.* Lib. 2. contra Faustum c. 5. *sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter Dei judicium ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Et lib. 5. de Civit. c. 9. docet frustra objurgationes, vituperia, exhortationes adhiberi, neque ulla justitia bonis præmia & malis supplicia constitui, si Dei præscientia imponat necessitatem. Plura Scriptur. & PP. testimonia prætereo, uberius allata in *tract. de libertate actuum hum.*

ASSERTIO II.

Gratia efficax non consistit in delectatione cælesti indeliberata, superiore, & victrici relative ad minorem oppositam concupiscentiam.

XXVIII. Sequitur hæc Assert. ex priore. Nam hæreticum est asserere hominem non posse dissentire motioni Dei illum ad bonum excitantis; non posse resistere gratiæ Divinæ, cum ab ipsa movetur ad bonum; atqui hoc asserit, qui efficaciam gratiæ repetit ex delectatione superiore relative victrici, cum in eo systemate major delectatio a minore nunquam superari possit, ut asserit Jansenius. Certe illud systema sustineri non potest, ex quo necessario profluunt conclusiones hæreticæ; atqui ex systemate delectationis superioris relative victricis necessario profluunt 5. famosæ propos. Jansenii hæreticæ, inter quas damnata est ista: *ad merendum & de-*

merendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. Qui enim docet gratiam & concupiscentiam necessitatem inferre, is procul dubio docet ad merendum & demerendum sufficere libertatem a coactione, nec requiri libertatem a necessitate; cum non mereamur, nec demereamur nisi consentiendo gratiæ vel concupiscentiæ. Hinc damnatæ etiam sunt prop. Bajanæ 39. *quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* & 66. *sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Uti & Quesnellianæ, ex quibus unicam sat est adferri, nempe 10. *gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest aut retardare.* Hinc Concilium Senonense decreto 15. ait: *non esse tantam gratiæ necessitatem, quæ præjudicet libero arbitrio, neque tale esse Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit.*

Allatis alibi pluribus Augustini testimoniis (quibus liberum hominis arbitrium reponit in libertate a simplici necessitate, eamque in hoc statu requirit ad merendum & demerendum) adde sequentia. lib. de nat. & grat. c. 65. ubi refert hæc verba S. Hieronymi a Pelagio objecta: *liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona est;* sic respondet: *quis aliter conditam humanam neget esse naturam? in recte faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Agnoscit ergo hominem neque ad malum per concupiscentiam, neque ad bonum per gratiam necessitari, necessitate nempe simplici & voluntaria, ut intelligebat Pelagius, cui in hoc consentit; sed unum duntaxat addit, nempe nos in salutariter agendo non esse liberos sine interiore gratia & charitate, quod negabat Pelagius. lib. 8. confess. c. 8. ita ait: *non faciebam, quod incomparabili affectu mihi magis placebat,* agnovit ergo hominem non semper operari ex majori qua prævenitur delectatione l. 3.

ad-

adverſus Pelag. *Non tollo*, inquit, *Dei auxilium*, *quippe per cujus gratiam poſſumus omne quod poſſumus*; *ſed utrumque ſuis finibus terminamus*, *ut & Dei ſit gratiæ*, *quod dedit liberi arbitrii poteſtatem*, *& noſtræ voluntatis*, *facere quid vel non facere.* Sane cæcus ſit, qui non videat Janſenium a Doctrina Auguſtiniana plurimum aberrare.

Oppoſitiones Janſenii.

XXIX. Opponit 1. illum Auguſtini textum, quem habet in Epiſt. ad Galat. ita loquens D. Doctor: *quod amplius nos delectat*, *ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Delectatio ergo cæleſtis altera terrena delectatione intenſior neceſſitat voluntatem.

R. D. ant. quod amplius nos delectat delectatione deliberata & electiva, ſecundum id operari neceſſe eſt, C. delectatione indeliberata & præveniente conſenſum voluntatis, N. Duplex delectatio eſt, alia *indeliberata*, ſeu ſuavis quædam propenſio ad bonum honeſtum vel ſenſibile excitata in nobis ſine nobis, alia *deliberata*, quæ oritur ex libera voluntatis electione. Porro D. Aug. hic non loquitur de delectatione indeliberata, ſed de deliberata, quæ eſt amor liber, efficax, & prædominans, quo homo objectum aliquod præponit alteri, quique voluntati imponit tantum neceſſitatem conſequentem illud objectum proſequendi & agendi ſecundum illud. Hujus expoſitionis ratio eſt, partim quia D. Doctor adverſus Pelagianos admittentes libertatem indifferentiæ hac in parte non egit, ſed eam etiam profeſſus eſt, aſſerens tantum libertatem illam citra gratiam Chriſti non eſſe ſufficientem; tum quia *tract.* 26. *in Joan.* ſpeciatim docet delectationem indeliberatam non neceſſitare his verbis: *videte quomodo trahit Pater: docendo*

delectat, non necessitatem imponendo. Ista ergo verba: *quod amplius nos delectat*: intelligit de delectione deliberata subsequente liberam voluntatis electionem; & per hæc: *secundum id operemur necesse est*, intelligit necessitatem consequentem, non antecedentem, qualem vult Jansenius; ita ut hujus effati sensus sit: ex hypothesi quod aliquid absolute & efficaciter diligamus, necessario secundum hoc nos operari. Nam operatio proprie significat actionem ab amore libero & efficaci imperatum. Adde: D. Doctorem id scripsisse, cum versabatur in errore Semipelag. Quis ergo credat eum docuisse errores oppositos, ita ut nimium concederet arbitrio libero, simulque illud tolleret.

Instat 1. Amor deliberatus non est delectatio, sed fructus delectationis præviæ; ergo per has voces: *quod amplius delectat* non intelligit August. amorem deliberatum, sed indeliberatam delectationem. II Lib. de sp. & lit. c. 29. ait: *confugit ad misericordiam Dei, ut inspirata gratiæ suavitate faciat plus delectare quod præcipit, quam delectat quod impedit.* Ut igitur præceptum Dei impleatur, necesse est ut præveniat nos indeliberata delectatio gratiæ major, quam sit delectatio terrena impediens. III. L. 2. de peccat. mer. c. 17. *tanto aliquid*, inquit, *vehementius volumus, quanto certius quod bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius.* Ergo delectatio indeliberata est mensura volitionis deliberatæ, ita ut hæc illam sequatur necessario. Hic autem loquitur de delectatione indeliberata, seu gratiæ prævenientis, qua *innotescit quod latebat, & suave fiat quod non delectabat.* IV. Eodem lib. c. 19. gratiam vocat *victricem delectationem:* talis autem non est nisi quia superat oppositam concupiscentiam.

R. ad I. N. *primam partem ant.* Amor enim deliberatus simul

ſimul eſt fructus delectationis & delectatio, ac D. Aug. per *delectare* intellexit amorem deliberatum, ad quem ſignificandum illo verbo ſæpius eſt uſus: ſic Serm. 5. de verbis Apoſt. ait: *concupiſcentia mihi narrat delectationes, ſed condelector legi Dei.* Et tract. 26. in Joan. *delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui.* Ubi per *delectare* ſignificat amorem Dei meritorium, & per iſtud *dabit tibi* mercedem amoris.

Ad 2*dum* dico: hoc unum velle S. Doctorem, implorandam nobis eſſe gratiam uberiorem, ut libere exequamur præceptum, & per delectationem deliberatam prœferamus juſtitiam concupiſcentiæ hactenus dominanti. Et vero in principiis Janſenii fruſtra hortaretur S. Auguſt. ut confugiamus ad miſericordiam implorandam; ſi enim illecebra concupiſcentiæ magis delectat quam motio cæleſtis ad orationem excitans, oratio erit impoſſibilis, ſi minus delectat, neceſſario hæc ſequetur.

Ad 3*tium* N. conſeq. Nam D. Aug. per hæc verba *delectamur ardentius* intelligit delectationem deliberatam, & per iſta *vehementius volumus* actionem externam, ut adeo ſenſus ſit: nos eo vehementius opus bonum proſequi & agere, quo illud per electionem voluntatis ardentius amamus; hinc infra ait: *tanto magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus ſummum bonum*, quæ delectatio, quam concipimus propter amorem Dei, certe deliberata eſt. Bene ergo obſervandum erit, ut cognoſcatur, quando verba explicari debeant de indeliberata gratiæ delectatione, & quando de ea quam voluntas libere concipit ſequendo motum gratiæ prævenientis.

Ad 4*tum* dico: delectatio gratiæ dicitur *victrix*, non quia propter ſuam intenſionem vincit voluntatem, eamque re-

fiſtere impotentem facit, ſed quia facit ut voluntas ipſi libere cooperans vincat oppoſitam concupiſcentiam, & difficultates amori boni obſiſtentes, movendo eam, ſicut ei congruit, ut illud velit & agat, quantumvis renitente concupiſcentiæ motu. Ceterum dum D. Doctor dicit gratiam eſſe delectationem, non loquitur de qualibet gratia, ſed de gratia excitante ad volendum & agendum bonum, de qua illi ſermo eſt frequentior. Et certe quis neget metum æterni ſupplicii, qui teſte Aug. bonus, utilis, & bonæ vitæ eſt inductivus, gratiam Chriſti eſſe? Tridentinum Seſſ. 14. docet, attritionem *ex metu gehennæ conceptam eſſe donum Dei & impulſum Spiritus S. quo pœnitens adjutus viam ſibi ad juſtitiam parat.* Porro in hoc metu, quo peccator totus contremiſcens ad Deum confugit, non reperiet, ut puto, Janſenius ſuam illam victricis gratiæ ſuavitatem, qua perſuſum hominis pænitentis cor totum colliqueſcit.

Oppon. II. Auguſtinus efficaciam gratiæ repetit ex omnipotenti Dei voluntate; ita enim habet lib. de corrept. & grat. c. 14. *habens humanorum cordium quo placeret inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Atqui Dei omnipotentiæ nemo poteſt reſiſtere; ergo nec gratiæ. Adde neceſſitatem mutabilem & relativam non obeſſe libertati, cum in ſyſtemate Janſenii voluntas retineat potentiam ad oppoſitum.

Reſp. D. maj. efficaciam gratiæ repetit ab omnipotenti poteſtate, & ſimul a ſcientia, qua Deus videt varios modos, quibus voluntas hominis re ipſa flectenda ſit, C. repetit ab omnipotenti poteſtate, quæ imprimat motionem irrepudiabilem, N. Inter innumeras gratias, quarum aliæ præſciuntur ſortituræ, aliæ non ſortituræ effectum in his vel illis circumſtantiis, poteſt Deus pro bona voluntate conferre eas, quas

præ-

prævidet efficaces & ſic voluntatem quo voluerit infallibiliter flectere. Hinc l. de Sp. & lit. c. 3. ſic ſe explicat : *Deus habet humanorum cordium omnipotentiſſimam poteſtatem, non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium.* Ceterum etſi neceſſitas ex gratia victrici orta dicatur mutabilis, oritur tamen ab aliquo antecedente liberum arbitrium voluntatis, adeoque relate ad actionem præſentem eodem modo ſe habet, ac ſi neceſſitas eſſet abſoluta & immutabilis. Nam ad veram libertatem requiritur, ut voluntas hic & nunc & comparate ad præſentes circumſtantias poſſit agere vel non agere. Alia Janſenii objecta per decurſum jam refutavimus.

CAPUT VII.

DE INTRINSECA GRATIÆ EFFICACIA IN SENSU CATHOLICORUM.

Dogma Catholicum docet gratiam efficacem conſiſtere cum libertate arbitrii immuni non tantum a coactione, ſed & a neceſſitate: hinc omnis Scholaſticorum labor in eo verſari debet, ut infallibilem Divinæ gratiæ efficacitatem cum libertate humani arbitrii concilient. Sunt qui præter gratiam ſufficientem, de qua initio hujus controverſiæ dixi, cenſent eſſe admittendam gratiam per ſe & ab intrinſeco efficacem; quia vero horum Authorum diverſa plane ſunt ſyſtemata, ea ex ordine exponenda & refutanda aggredimur.

§. I.

Exponuntur & refutantur notiora ſyſtemata circa gratiam de ſe efficacem.

XXX. Syſtema celebre eſt Thomiſtarum, qui docent gratiam effi-

efficacem consistere in prædeterminatione physica, quæ est prævia quædam motio activa voluntati a Deo impressa ante omnem actum, ad quem illam physice ita præmovet, ut repugnet omissio actus, ad quem præmotio datur, sicut repugnat ullam actionem sine illa fieri, quæ proinde prædeterminatio ex se est connexa cum effectu, illumque ex natura sua infert. Quod ut clarius intelligas, nota, Thomistas duplicem agnoscere gratiam: prima est sufficiens consistens in actibus indeliberatis intellectus & voluntatis, quæ præcise dat posse agere, ita ut voluntas nunquam sit datura consensum, nisi addatur gratia prædeterminans. Secunda gratia est efficax seu physice præmovens, quæ natura antecedit consensum, atque ita voluntatem ad illum determinat, ut non possit cum tali gratia conjungere dissensum; est proinde præmotio illa, reductio potentiæ ad actum, ut adeo ab actu secundo, quem vi sua efficit, sejungi non possit. Juxta illos nititur isthæc præmotio duplici principio, nempe in necessaria omnis agentis creati subordinatione ad Deum, & in ipsa voluntatis humanæ indifferentia.

Etsi vero in explicanda hujus principii natura varient Thomistæ, in his tamen omnes consentiunt. *1mo* Gratiam omnem efficacem esse physice prædeterminantem. *2do.* Gratiam physice prædeterminantem in quocunque statu esse necessariam ad omnem actum salutarem. *3tio.* Eam natura esse priorem omni positiva voluntatis determinatione. *4to.* Eandem habere intrinsecam & essentialem connexionem cum actu, ita ut ea posita repugnet actum non esse, & ea non posita impossibile sit actum esse.

Hoc Systema, quod Banezio e Sacro Prædicatorum ordine tribuitur, Theologorum Academias varias in partes di-

diſtraxit, præſertim cum Molinianum de ſcientia media, prædeſtinatione, & gratia Syſtema in lucem prodiit: adeo hac in re Schola Thomiſtica cum Schola Patrum Societatis pugnavit, ut hæc controverſia ab utriuſque partis doctoribus coram tribunali Pontificio agitata fuerit. Diſcuſſis utrinque ſententiis libera utrique parti data eſt facultas propugnandi ſuam ſententiam ſimulque vetitum, ne partes diſcordes mutuis ſeſe cenſuris afficerent. Talia decreta extant Sixti V., Clementis VIII. Pauli V. aliorumque Pontificum, ut mirum ſit aliquos eſſe, qui auctoritate ſedis Romanæ ſuum Syſtema confirmatum velint. Longum foret hujus controverſiæ ortum, progreſſum ac fortunam recenſere; hoc enim præſtarunt multi & ex noſtris & ex parte adverſa. Ex hac inter ceteros Joannes a S. Thoma, Lemoſius tum in *Panoplia* tum in *actis congregationum de auxiliis*, & noviſſime P. Serry in ſua *congregationum de auxiliis hiſtoria*. Ex noſtris autem P. Henao in ſua *ſcientia media hiſtorice propugnata*, & præ ceteris Theodorus Eleuterius in *Hiſt. Controverſ. de auxiliis gratiæ*, itemque in eadem Hiſtor. per Livinum de Meyer ab objectionibus P. Serry vindicata.

XXXI. Rejecta præmotione phyſica conſtituunt Scotiſtæ efficacem gratiam in decreto concomitante, ſeu ut aiunt condeterminante, hoc eſt tali, quo Deus voluntatem hominis non prævie, ſed ſimul cum ipſa ſe determinante determinat ad actum. Decretum hoc dicitur præcedere voluntatis humanæ determinationem, non quidem prioritate *in quo*, ut loquuntur, quaſi Deus prius determinet ad actum, quam ipſe ſe homo determinet; ſed tantum prius eſt actione humana duratione & prioritate *a quo*, conſiſtente in eo, quod cauſa creata in operando pendeat a Deo tanquam cauſa prima determinante. Juxta hos Authores in eodem ſigno intelligitur & condetermi-

natio Dei, & determinatio hominis, non tamen ita ut ſicut Deus creaturam, ita quoque hæc illum determinet; nam voluntas Divina prior eſt humana, eamque continet, non autem viciſſim. Difficile viſum eſt in hac via intelligere, quomodo determinatio Dei ita concomitanter ſe habeat ad determinationem hominis, ut omnino concurrant ſimultanee ſic ut neutra alteram natura antecedat aut determinet; hinc non deſunt qui ex ipſis Scotiſtis, Cavello & Fabro (quos citat Platelius *c. 6. §. 5. de efficac. grat.*) præſupponunt ſcientiam mediam, ne tale decretum obſit libertati.

XXXII. Qui Scholæ Auguſtiniano-Ægidianæ placita ſequuntur, cum Gabardo eximio ejusdem ordinis Theologo docent, gratiam efficacem haberi per actum charitatis Dei inſpiratum, & trahentem in Deum voluntates humanas. Unum ergo eundemque actum conſiderant ſub duplici ratione, quatenus nempe eſt qualitas, quæ a ſolo Deo infunditur, & quatenus eſt actio, per quam voluntas libere tendit in Deum: primo modo dicunt illam Dei dilectionem inſpiratam eſſe gratiam actualem; altero modo ipſum actum ſalutarem & meritorium. Ita quidem Auguſtinenſes antiquiores; nam recentiores alium explicandi modum ſequuntur, quem expendemus infra: interea ut noſtram circa hæc Syſtemata mentem aperiamus, ſit ſequens

ASSERTIO.

Efficacia gratiæ neque conſtitui poteſt in præmotione phyſica, nec in decreto concomitante, nec in actu inſpirato hactenus expoſito.

XXXIII. Prima Aſſert. pars aliquanto fuſius erit oſtendenda, ut inde facilius ad reliquas partes argumentum duci poſſit.

poſſit. Argumentum præcipuum tale eſt : juxta definitiones Eccleſiæ priori capite citatas gratia efficax non tollit libertatem; atqui præmotio phyſica tollit, cum hac poſita voluntas ſemper agat neceſſario neceſſitate antecedente uſum libertatis, quod ſic probatur: toties agit voluntas ex neceſſitate antecedente, quoties agit ex antecedente, intrinſeca & inevitabili determinatione ad actum quem ponit; at poſita præmotione ita agit: eſt enim præmotio principium vel medium antecedens & natura prius ad actum, eſſentialiter cum illo connexum, & independens a voluntate agentis, adeoque inevitabile. Quod ſi ita, quomodo ſalvabis indifferentiam activam in eo conſiſtentem, ut voluntas poſſit proxime & expedite agere vel non agere? poſita namque præmotione non poteſt omitti actus pro *ſenſu compoſito* præmotionis, ita ut cum illa poſſit conjungi omiſſio actus, ut patet; nec omitti poteſt pro *ſenſu diviſo*, ita ut poſſit impediri præmotio utpote inevitabilis & independens a libertate.

Ad hoc argumentum evitandum omnem in partem ſe vertunt Prædeterminantes. Dicunt ſuam præmotionem non conſtituere *actum primum proximum*, adeoque libertatem intactam & inviolatam relinquere. At contra eſt: ad poteſtatem proximam agendi omne id requiritur, quod immediate prærequiritur ad actum, & non eſt in poteſtate ipſius agentis, ut patet exemplo concurſus Divini in actu primo : at præmotio talis eſt. Profecto voluntas quæ nec habet nec obtinere poteſt aliquid immediate prærequiſitum ad actum, non habet potentiam proximam agendi; at voluntas non præmota ad actum nec habet nec obtinere poteſt præmotionem ad actum prærequiſitam; non igitur ſine illa habet potentiam proximam agendi: Quodſi ita dici non poteſt a Thomiſtis præmotionem non conſtituere actum primum proximum. Sed demus non conſtitue-

tuere, an non eſt principium, vel medium antecedens, ex ſe connexum cum actu, & inevitabile? at tale non conſiſtit cum libertate indifferentiæ activæ, qualis a Conciliis requiritur. Tridentinum enim definit hominem poſſe diſſentire gratiæ efficaci, qualis re ipſa datur, & cui Calvinus reſiſti poſſe negabat.

Reſpondent poſita præmotione, non haberi quidem *potentiam ſimultatis*, & conſequentem; haberi tamen *ſimultatem potentiæ*, ſeu potentiam antecedentem in eo poſitam, ut voluntas non quidem ſit potentia completa in linea operationis, ſit tamen completa in linea potentiæ ad ponendum actum oppoſitum. At verba hæc ſunt, quæ non ſatisfaciunt; contra enim eſt: potentia, quæ nec poteſt a ſe amoliri quod eſt eſſentialiter excluſivum diſſenſus, nec poteſt obtinere id quod eſt neceſſariam ad diſſenſum, talis inquam potentia nullo modo poteſt eſſe completa & expedita ad diſſenſum; atqui potentia conjuncta cum præmotione ad conſenſum non poteſt a ſe amoliri præmotionem ad conſenſum, nec impetrare præmotionem ad diſſenſum, utpote ſoli Deo liberam: ergo. Sane non magis repugnat præmotionem ad actum componi cum ejusdem omiſſione, ac repugnat componi ipſum actum cum ipſius omiſſione; ſicut ergo repugnat dari veram potentiam ad omiſſionem actus conjungendam cum actu, ita repugnat dari completam potentiam ad omiſſionem actus conjungendam cum præmotione.

Rurſus dicunt Bannezius, Gotius, aliique Thomiſtæ cum præmotione componi *indifferentiam judicii;* hanc vero ſufficere ad libertatem actionis. At ſi ita eſt, vix erit, unde Calvinum, Janſenium, aut quemvis alium hæreticum libertatis inimicum convincas; eorum enim nulli in mentem venit negare hanc indiffe-

differentiam, nec hoc nomine ab ullo Patrum aut Theologorum impugnantur. An non voluntas per aliquam motionem neceſſitantem aut ſubtractionem concurſus ita a Deo determinari poteſt ad agendum vel non agendum, ut remaneat indifferentia judicii? ita certe. Eritne in hoc caſu indifferentia activa voluntatis requiſita ad merendum & demerendum? minimè vero. En ergo indifferentia activa ad agendum & non agendum, in qua conſiſtit libertas, reipſa differt ab indifferentia judicii, adeoque hæc ſola non ſufficit ad libertatem. Plura hac de re non adfero, utpote fuſe tractata in *tract. de actibus humanis.* Inde pronum eſt refutare Syſtemata alia.

XXXIV. Ac primo decretum illud Scotiſtarum, quod dicitur condeterminans ſeu concomitans, reipſa antecedens eſt & prædeterminans, ac proinde non minus obeſt libertati ac decretum prædeterminans. Quis neget decretum Scotiſticum velle efficaciter ipſum conſenſum voluntatis humanæ? quale enim objectum aliud habet aut quo titulo foret cum conſenſu eſſentialiter connexum? At vero volitio efficax antecedit rem volitam, velut motus, via & tendentia ad illam, ut patet exemplo actus interni relate ad externum & imperantis ad imperatum. Sed demus illud eſſe concomitans, erit nihilominus neceſſitans. Cur ita? quia eſt inevitabile a voluntate hominis, utpote ſoli Deo liberum, & ex ſe connexum cum conſenſu: hoc enim poſito ſupponit in voluntate humana impotentiam omittendi actum ſalutarem, quia ſupponit impotentiam impediendi decretum condeterminans ad actum.

Secundo libertatem arbitrii æque videntur auferre ii, qui gratiam efficacem conſtituunt in dilectione Dei inſpirata & indeclinabiliter trahente voluntatem ad conſenſum; In hoc enim Syſtemate ſupra expoſito, voluntas non habet poteſtatem proxi-

 mam

mam & expeditam ad utrumque, nec in ejus eſt poteſtate tam actio quam omiſſio actionis: cur ita? quia decretum inſpirans, non minus ac prædeterminans, eſt antecedens, ab intrinſeco connexum cum actu, & inevitabile. Dicunt Auctores iſti in poteſtate humana non eſſe actum inſpiratum, ut qualitas eſt a Deo inſuſa; ſic enim libere & gratuito a Deo inſpiratur: quod ſi ita, quomodo in poteſtate hominis erit actus inſpiratus prout eſt actio voluntatis? En triplicis ſcholæ ſyſtemata ex eodem principio refutata, ac jure quidem: conveniunt enim in eo, quod ſtatuant gratiam ex ſe efficacem, & ita ordinent in argumento de gratia ſeriem ſcientiarum & decretorum Divinorum, ut in ſigno priore ſtatuant ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; in ſecundo decretum prædeterminans, concomitans vel inſpirans; in tertio ſcientiam viſionis, qua Deus in tali decreto videt actiones noſtras abſolute futuras. Si ergo in his conveniunt, merito impugnantur ex eodem fundamento, ut colligi poteſt ex iis, quæ dixi in *tract. de ſcientia Dei.*

Ceterum ex dictis conſtat, gratiam efficacem in ſenſu Script. Conc. & PP. conſiſtere in *illuſtrationibus* & *inſpirationibus*, & eam eſſe *prævenientem*, *excitantem*, *adjuvantem*: quomodo autem id dici poſſit in triplici hoc ſyſtemate, non video. Item ex mente Conciliorum libertas ea eſſe debet, ut ſalutariter operans gratiæ efficaci *reſiſtere* & *diſſentire* poſſit; at id non ſalvatur in triplici hoc ſyſtemate, quando non poteſt cum gratia ex natura ſua efficaci conjungi diſſenſus; ut enim *conſentire gratiæ* nihil aliud eſt quam cum illa conſenſum conjungere, ita *diſſentire* nihil erit aliud, quam cum eadem diſſenſum conjungere.

Reſolvuntur momenta contraria.

XXXV. Pro præmotione Thomiſtæ opponunt fere ſequentia

tia. I. Sine præmotione physica Deus non habet rationem *primæ causæ*, *primi liberi*, *primi motoris*. Nam ad has prærogativas pertinet, ut Deus præmoveat creatam voluntatem ad quamvis illius actionem: sed non præmoveret in nostro systemate, in quo Deus homini confert mera principia indifferentia ad agendum vel non agendum salutariter. Certe sine præmotione physica voluntas se determinat ad agendum, ac proinde ipsa foret primum liberum relate ad opera salutaria. II. Causæ liberæ sunt indifferentes ad agendum, ergo determinari debent a Deo, ut agant; quamdiu enim voluntas est indeterminata, non habet unde hoc potius quam aliud operetur. III. Ecclesia damnans doctrinam Calvini & Jansenii eam duntaxat gratiam rejicit, quæ noxia est libertati humanæ; at non damnat gratiam præmoventem; hæc ergo non est noxia libertati. Adde auctoritatem S. P. Benedicti XIII. qui in Brevi Apost. ad universum Prædicatorum ordinem ita habet: *magno animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris, de gratia præsertim per se & ab intrinseco efficaci, quas laudabiliter hactenus docuistis & quas ab ipsis sanctis DD. Augustino & Thoma se hausisse, & Verbo Dei, SS. PP., & Conciliorum decretis, ac Patrum dictis consonas esse schola vestra commendabili studio gloriatur.* En censet eam doctrinam esse veram, utpote consonam scripturis, Conciliis & Patribus. IV. Et certe isthæc doctrina Doctoris est Angelici, qui *q.* 3. *de potentia art.* 7. ait Deum movere & applicare voluntates nostras ad actionem, & alibi sæpius asserit causas secundas etiam liberas, esse instrumenta Dei applicanda ab eo ad actus suos.

R. ad I. N. assertum; ejus probat. D. ad has prærogativas pertinet, ut Deus præmoveat voluntates nostras præmotione libertati humanæ apta, C. præmotione non cohærente cum libertate, N. Non negamus omnem præmotionem, sed eam

dun-

duntaxat quam adſtruunt Thomiſtæ: dicimus enim Deum præmovere homines ad opera ſalutaria, non tantum quia dat virtutem agendi, & indifferenter applicat omnipotentiam ſuam, vel maxime quia prævenit per illuſtrationes & inſpirationes, excitando & movendo ad agendum ſalutariter; imo conferendo has gratias ex ſpeciali miſericordia in his circumſtantiis, in quibus videntur eſſe efficaces. Hoc aſſerendo & libertatem ſalvam præſtamus, & præviam illam motionem prædicamus, quam Patres & Concilia Deo attribuunt; quod ſi requiras aliam ſupra explicatam præmotionem, ægre ſalvabis libertatem indifferentiæ. In eo igitur conſentire debemus omnes: voluntatem ſe aliquo modo determinare ad agendum; at nos dicimus duntaxat voluntatem ſe determinare virtute accepta a Deo, & præmotam ſeu adjutam per gratias indifferentes, quia ſi non ſe determinaret, ſed prædeterminaretur phyſice a Deo, non foret libera, utpote cum non ita ageret, ut poſſet ponere oppoſitum.

Ad II. D. ant. Cauſæ liberæ ſunt indifferentes ad agendum indifferentia impotentiæ & inſufficientiæ, N. indifferentia libertatis & poteſtatis dominativæ in ſuos actus, C. ſunt quidem indifferentes ad agendum, ſed indifferentia activa; habent virtutem ſe determinandi dependenter tamen a Deo earum virtutem complente, & agente cum illis, ac proinde prædeterminari non debent. Quare quamdiu voluntas eſt indeterminata, reipſa habet unde producat hunc actum potius quam alium; cum ex conceſſa libertate & virtute a Deo completa ac corroborata habeat quo ſe ipſam determinet.

Ad III. Dico: Eccleſiam damnaſſe gratiam, quæ lædat libertatem in ſenſu Novatorum, qui diſerte negarunt componi cum ſua gratia libertatem a neceſſitate, cui damnationi ob-

noxi-

noxios esse Thomistas nefas est asserere. Nam ut hac nota afficerentur; necesse foret ut cognoscerent suum systema esse noxium libertati, aut ut Ecclesia id definiisset; at neutrum dici potest: nam Thomistæ negant ex suo systemate sequi ullam libertatis jacturam, nec Ecclesia eam fieri definivit, imo post hujus & oppositi systematis discussionem in congregationibus *de auxiliis* coram summis Pontificibus habitis Paulus V. statuit utrique parti liberum esse opinionem suam tueri sine censura opinionis oppositæ, donec aliud decerneretur. Hæc tamen non prohibent, quo minus dicamus doctrinam Thomisticam non satis cohærere cum libertate, atque propterea Conciliorum definitionibus minus conformem videri; licet enim eam theologice refutare, salvo tamen vinculo charitatis & pacis, quod illibatum esse debet inter eos, quos Ecclesia sinu suo complectitur. Quod additum est de Benedicto XIII., fatemur eum dictæ sententiæ favisse, eamque tenuisse ut privatum Doctorem, utpote qui ex eodem Prædicatorum ordine fuit, *eodemque lacte* nutritus, ut ipse in cit. Brevi ait. At negamus eum ut summum Christi vicarium, aut ex cathedra loquentem proposuisse illam sententiam; secus enim non foret sua utrique parti opinio permissa. Ceterum *calumniæ*, quas memorat illic Pontifex, Quesnellianæ sunt, utpote isti Jansenii discipuli se tueri volebant doctrina Thomistarum, adeoque dicebant per Bullam *Unigenitus* non minus damnatam esse Thomisticam quam suam doctrinam.

Ad IV. aio mirum nobis videri D. Thomam adduci in favorem præmotionis physicæ, cujus doctrina prorsus videtur contraria; non abs re erit ex pluribus textus aliquos citare. *In 2. Dist. 25. Quæst. 1. art. 1. ad 3.* ait: *Deus operatur in omnibus ita tamen, quod in unoquoque secundum ejus conditio-*

nem, & infra: *sed tamen determinatio actionis in potestate liberi arbitrii constituitur.* Movet igitur Deus & applicat voluntatem ad agendum, at motione & applicatione accommodata ejus conditioni id est cohærente cum libertate indifferentiæ. Iterum *dist.* 39. *q.* 1. *a.* 1. *in* ⊙. *potentia voluntatis quantum est in se, indifferens est ad plura, sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante sed ab ipsa voluntate.* Docet igitur actionem voluntatis non esse ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate. Quod quomodo cum systemate prædeterminanteconciliari possit, non video.

Pro sententia Scotistarum videntur hæc esse. I. Decretum concomitans non constituit actum primum proximum, ac proinde relinquit omnia ejus constitutiva plene indifferentia ad utrumque; non igitur obest libertati, sicut non obest concursus Dei in actu secundo etsi de se connexus cum actu. II. Decretum concomitans instar decreti prædefinitivi, quod libertati non obest, sese habere videtur. III. In hoc systemate si non foret consensus voluntatis, non foret condeterminatio; hæc igitur est impedibilis a voluntate.

Resp. ad 1*mum* transmitto maj. quoad primam partem; nam cum reipsa sit antecedens & ad agendum prærequisitum, nec tamen in potestate agentis, constituere censetur potentiam proximam. 2dam partem dist. relinquit omnia constitutiva indifferentia, ea tamen inevitabiliter conjungit cum consensu, C. ea non ita conjungit, N. Etsi permittatur potentiam proximam agendi vel non agendi præcedere, ea tamen non habetur pro arbitrio voluntatis humanæ, quæ nec unum decretum concomitans impedire, nec alterum obtinere potest; sed pro arbitrio voluntatis Divinæ, in cujus solius potestate est condeterminare. At talis indifferentia passiva potius quam activa

non

non ſufficit ad libertatem. Ad 2dum dico: Decretum concomitans, ſi ſupponatur eſſe neceſſario requiſitum ad agendum, non poſſe pendere a ſcientia conditionali, adeoque male conferri cum noſtris decretis prædefinitivis. Ad 3tium: ex iſto ſyſtemate utrumque ſequitur, & non fore condeterminationem ſine conſenſu, & non fore conſenſum voluntatis ſine illa, unde merito inferre licet: impediri non poſſe decretum concomitans; non enim aliter impediri poteſt ac per diſſenſum; atqui iſte poni non poteſt, quia condeterminatio divina ad diſſenſum non eſt in poteſtate hominis. Aliunde repugnat, quæ hic ſupponitur, mutua eſſentialis connexio inter actus duobus agentibus immediate liberos.

Tertium Syſtema nititur potiſſimum auctoritatibus, ex quibus unam alteramve proferam, cum de reliquis infra ſit futurus dicendi locus. Apoſtolus ad Philipp. 2. ait: *Deus eſt qui operatur in nobis & velle & perficere*, unde ſic argues: illud quod Deus operatur in nobis ſine nobis, eſt gratia Dei; atqui Deus operatur in nobis ſine nobis dilectionem ſui; hæc ergo Dei dilectio eſt gratia ab ipſo nobis inſpirata. Hinc Auguſt. lib. de grat. c. 6. ſic deſcribit gratiam efficacem: *ſic vult homo, ut tamen ejus voluntati Deus ardorem dilectionis inſpiret, & ſic operatur homo, ut tamen Deus cooperetur*, & lib. de grat. & lib. arb. c. 17. *ut velimus, ſine nobis operatur; cum autem volumus & ſic volumus ut faciamus, nobiſcum cooperatur.* Ex quibus videtur inferri gratiam efficacem conſiſtere in ipſa Dei dilectione ab ipſo nobis inſpirata.

Reſp. Totum hoc ſubſiſtere, ſi ſermo eſt de affectu dilectionis indeliberato nobis prævie a Deo inſpirato, non item ſi procedit de ipſo actu dilectionis deliberato & meritorio; cujus ratio eſt, quia omnis actio meritoria a Deo eſt tum prævie in no-

nobis sine nobis operante per gratiam excitantem, tum simul nobiscum cooperante per gratiam adjuvantem, quæ tamen non est ipsa actio meritoria sed principium meriti ab actu secundo distinctum. D. Doctor igitur in citatis locis gratiam actualem constituit in affectionibus & inspirationibus indeliberatis nobis a Deo inspiratis, ut dixi in prima Controversia; nullibi autem dicit istos actus divinitus inspiratos esse simul nostros actus salutares, sed potius significat illos habere rationem principii adjuvantis & cooperantis voluntatem nostram ad actiones salutares. Etsi autem actio deliberata & meritoria vere sit donum Dei, distinguitur tamen ab actu prævio indeliberato; illum enim Deus operatur *nobiscum*, hunc *sine nobis* operatur.

§. III.

Examinantur Systemata *de gratia efficaci moraliter determinante.*

XXXVI. Qui Augustinianæ doctrinæ discipulos se esse gloriantur, efficaciam gratiæ constituunt in delectatione præveniente, eaque victrici & moraliter determinante, quam sententiam Ludovicus Habertus (*cap. 6. de grat. efficaci* §. 7.) dicit communem fuisse in Academia Parisina & habere testimonium ab omnibus Scholis Catholicis: quia vero in explicanda hujus victricis delectationis natura & efficacia inter se non consentiunt, necesse erit, ut horum Auctorum varias expositiones recenseamus.

Cardinalis Laurea in opusculo de gratiis actualibus c. 7. sic scribit: *In sententia S. Augustini auxilium quo est illa gratia, quæ ita allicit ac delectat atque trahit voluntatem ad opus bonum faciendum, ut non solum det ei posse facere, sed faciat infallibiliter*

liter facere. Hunc locum impenſe laudat Eminentiſſimus Noriſius in opuſculo, cui titulus eſt *calumnia Janſeniſmi ſublata diſſert.* 5. *cap.* 1. & *in vindiciis Auguſtinianis cap.* 6. eamque doctrinam confirmat auctoritate Conſultorum in congregationibus de Auxiliis, quos ait fere omnes tuitos eſſe gratiam per ſe efficacem. Omiſſis aliis unum cito ex ſacra facultate Pariſiua Nicolaum l'Herminier, qui multis argumentis ſtatuit *Tom.* 4. *de gratia efficaci* admittendam eſſe gratiam per ſe & ex intrinſeca ſua virtute efficacem: *pag.* vero 299. *Edit. Pariſ.* ſic ſcribit: *hæc delectatio victrix, in qua poſitam eſſe dicimus naturam gratiæ efficacis, eſt actus vitalis & indeliberatus animæ per modum cujusdam deſiderii a Deo infuſi, ſicut delectatio mundana & carnalis, ex qua peccata profluunt, eſt deſiderium quoddam indeliberatum, quod ſollicitat ad malum per modum ſuggeſtionis antecedentis conſenſum.*

Horum doctrinam ſequitur Cl. Bertius, qui *lib.* 14. *c.* 8. gratiam efficacem dicit eſſe victricem delectationem, quæ ſuperat contrariam cupiditatem; & voluntatem moraliter quidem, id eſt alliciendo & delectando, attamen inſuperabiliter ad actum ſalutarem determinat. *Hæc porro delectatio*, inquit loco cit., *non eadem eſt in omnibus, ſed modo efficax modo inefficax*, habetque gradus ſuos, prout incurrit in oppoſitam vel ſuperiorem vel inferiorem concupiſcentiam. Conſtituit ergo gratiæ efficaciam in delectatione intenſiore ſeu gradibus ſuperiore, quam ſit motus concupiſcentiæ, voluntatem ad conſenſum ita determinante, ut certiſſime & infallibiliter agat ſalutariter.

Alii, quos refert Platelius a num. 586., gratiam efficacem explicant per motionem adeo vehementem, ut voluntati moraliter ſit impoſſibile tali gratiæ reſiſtere; horum tamen

diverſa eſt explicatio. Sunt qui eam reponunt in vocatione adeo congrua & attemperata voluntati hominis cui datur, ut morali neceſſitate conſenſum obtineat voluntatis, etſi abſolute diſſentire poſſit. Iſta autem attemperatio attenditur ex circumſtantiis temporis, loci, & perſonarum, ex naturali hominis indole, ejusque affectionibus. Thomaſinus eam conſtituit in multitudine & conſonantia plurium auxiliorum, quorum quidem ſingula fruſtrari poſſunt, omnia tamen ſimul effectum infallibiliter conſequentur. Nonnulli eam reponunt in tali vi voluntatem alliciente, ſicut graviſſima tentatio moraliter neceſſitat ad conſenſum. Intelligunt autem iſti per moralem neceſſitatem duntaxat eam, quæ relinquit potentiam phyſicam diſſentiendi, adeoque libertatem non tantum a coactione, ſed etiam a neceſſitate. Hanc doctrinam nonnulli propugnant præmiſſa ſcientia conditionali, quæ dirigat Deum in ſeligendis iſtis gratiis, quæ prævidentur cum conſenſu infallibiliter conjungendæ, ſed hac de ſcientia poſtea, nunc ſequens ſit

ASSERTIO.

Efficacia gratiæ non poteſt repeti ex delectatione voluntatem moraliter determinante.

XXXVII. Gratia moraliter determinans vel inducit eam duntaxat moralem neceſſitatem, cui voluntas abſolute reſiſtere & diſſentire poteſt; vel eam, ut ſimpliciter impoſſibile ſit voluntati eidem motioni reſiſtere; at neutrum dici poteſt. Si enim primum affirmetur, male conſulitur infallibili Dei providentiæ: ſin alterum, inviolata non erit liberi arbitrii poteſtas activa.

Probatur pars prima. Ad infallibilem Dei providentiam requiritur ut gratia efficax ſit abſolute infallibilis, id eſt

ut

ut habeat effectum suum infallibitate absoluta & metaphysica; nam gratia efficax est medium, quod Deus adhibet ad exequendum decretum absolutum & efficax circa actum salutarem: quod decretum nequit frustrari effectu suo, ideoque gratia efficax debet esse medium proportionatum huic decreto infrustrabili, ac proinde debet inferre infallibilitate absoluta consensum voluntatis humanæ. Sed gratia moraliter necessitans, cui voluntas absolute potest resistere, non est infallibilis citra usum & directionem scientiæ mediæ: nam necessitas moralis est absolute defectibilis, alioquin jam non esset necessitas moralis, sed physica vel metaphysica. Item res a Deo promissa futura est infallibiliter; nam promissio Dei est absolute infallibilis: atqui Deus promisit absolute opera salutaria juxta illud Ezech. 36. *faciam ut in præceptis meis ambuletis:* ergo illa salutis opera infallibiliter sunt futura. Atqui ista opera absolute promissa non sunt futura infallibiliter, si ad ea exercenda datur gratia moraliter tantum necessitans, cujus effectus prævideatur tantum futurus in tali gratia seu in morali connexione talis gratiæ cum actu salutari: siquidem talis connexio est absolute fallibilis, nec repugnat illam carere effectu suo. Dixi autem gratiam moraliter necessitantem non esse infallibilem citra usum & directionem scientiæ conditionalis; nam si ab hac pendeat infallibilis quidem est, sed in ea universim constitui non potest vis & efficacia gratiæ, cum sæpe experiamur nos consentire gratiæ, præsertim in actionibus heroicis, cum magna difficultate, & ingenti aut majore etiam ad oppositum inclinatione.

Probatur jam pars secunda iisdem fere argumentis, quibus antea usi sumus. Libertas enim indifferentiæ est potestas activa & indifferens, quæ immediate agere potest vel non agere; atqui data gratia ex intrinsecis suis efficaci non remanet hæc potestas indifferens, quoniam hæc gratia dat ipsum velle

velle, ipsum agere, ipsum operari indeclinabiliter (ita ut huic victrici motioni voluntas non possit resistere) ac proinde est antecedens ad unum determinatio, quæ tollit indifferentiam. Rursus: Juxta Trident. *liberum arbitrium a Deo motum & excitatum potest dissentire si velit.* Sed non potest dissentire sub delectatione absolute connexa cum effectu, quæ nempe datur, ex absoluta Dei voluntate & efficaci; nam si quis in hac sententia posset abjicere efficacem gratiam, eique reluctari, posset irrita facere & frustrare absoluta Dei decreta. Tam parum ergo sub indeclinabili hac motione libertas manet, quam parum manet libertas ad ambulandum in eo, qui indissolubilibus vinculis & compedibus est constrictus.

Speciatim contra eos (qui admittunt delectationem victricem per excessum intensionis quo superat delectationem terrenam) ita arguimus: delectatio cælestis intensior in illorum systemate est per se & intrinsece irrepudiabilis; nam propter excessum intensionis semper est efficax, ideoque semper & infallibiliter connexa cum consensu voluntatis: atqui talis gratia noxia est libertati: ergo. Assumpta propos. sic probatur: si illa delectatio per se & ob excessum intensionis repudiari non potest, tunc neque repudiari potest *potentia ad actum reducenda*, ut admittunt adversarii, neque *potentia ad actum reducibili;* repugnat enim dari potentiam ad actum reducibilem, quæ pro nullo casu possibili sit reducenda in actum. Atqui gratia, quæ sic est irrepudiabilis ob intrinsecum sibi intensionis excessum, profecto noxia videtur libertati. Plura ejus generis argumenta opponunt Ludovicus Molina *lib. de concordia* liberi arbitrii cum Divina gratia, Suaresius, Simonetus, aliique quam plurimi.

Re-

Refelluntur nonnulla adverſæ partis reſponſa & objecta.

XXXVIII. Ad refutanda argumenta propoſita Recentiores DD. adferunt quædam cum Thomiſtis communia, de quibus jam egimus, alia magis ſibi propria, & tanquam domeſtica ſui ſyſtematis fundamenta. Ac inprimis Cl. Bertius, poſtquam ſibi objecit momenta pugnantia adverſus gratiam per ſe efficacem *lib.* 14. *cap. XI.*, ita orditur reſponſionem: *ſi nobis reſponſio nulla ſuccurreret, fateremur ignorantiam noſtram, non tamen denegaremus gratiam per ſe efficacem, reponentes dari liberum arbitrium, dari gratiam, & hanc trahere illud modis miris & ineffabilibus. Illud repeteretur a nobis, iſtam conciliandi cum gratia liberum arbitrium perplexam difficultatem non eſſe repetendam a voluntatis conſenſu; nam ſi hoc eſſet, non foret quæſtio ad diſcernendum difficilis, ut dicitur ab Auguſtino lib. de gratia c.* 47. *de ſp. & lit. c.* 39. *epiſt. ad Sixtum; & aliis locis.*

Refellendo huic reſponſo non immorabor, cum id difficultatem non explicet, ſed omni reniſu effugiat. Non in eo res eſt, ut nudis verbis fateamur dari liberum arbitrium, dari gratiam miris modis trahentem; ſed in eo verſari debet noſtra induſtria, ut adferamus momenta gravia, quibus dogma contra Novatores defendamus & concordiam liberi arbitrii cum gratia tantopere ab hæreticis impugnatam tueamur. Hinc merito requirimus, ut explicetur quomodo inviolata maneat libertas poſita delectatione victrice, quæ actionem ſalutarem ſaltem natura antecedat, & cum ea eſſentialiter connexa illuc invincibiliter determinet. Fatemur cum D. Auguſtino quæſtionem de hac concordia eſſe difficilem, ſed certe propterea culpandi non ſumus, ſi ſyſtema eligamus, quod nonnihil utilita- Mm tis

tis conferat ad explananda utcunque fidei capita & minuendas difficultates quibus impugnantur.

Sed ipse Author fatetur nolle nos his acquiescere: quare appellat ad ea quæ docuit *lib.* 4. *c.* 13. ubi dicit *liberam esse voluntatem circa omne bonum quod in se non habet plenitudinem bonitatis & etiam circa bonum incommutabile, quotiescunque non videtur in se, ut contingit in patria, ubi idcirco non remanet, comparate ad ultimum finem, indifferentia judicii nec libertas a necessitate.* Ait subinde manere sub gratia efficaci potentiam ad oppositum, quia non operatur per inspirationem, *quæ nobis bonum sub omni ratione boni proponat.*

Supponit ergo cit. Author ad libertatem sufficere indifferentiam judicii, eaque manente illam salvam esse. Si ita est, tantum abest ut ista de concordia gratiæ cum libertate quæstio sit *ad discernendum difficilis*, ut potius nulla sit via planior ad salvandam libertatem: imprudens sit qui posthac de libertate hominis contendere velit, quando manifestum in se ipso testimonium habet de indifferentia judicii. At hanc indifferentiam non negavit Jansenius, & tamen illius libertatem ad meritum insufficientem dicimus. Cur ita? quia ex mente Script. & PP. requirimus facultatem completam, expeditam, & ab omni necessitate antecedente & intrinseca immunem. Est equidem in voluntate electio libera circa bonum, quod illi indifferenter proponitur: sed simul abesse debet id omne quod voluntatem antecedenter ad unum alliget, alioquin necessitabitur non quidem per objectum, sed per delectationem victricem.

Sed *etsi nunquam eveniat*, urget memoratus Author, *ut non amplectamur id, quod nos magis trahit magisque delectat;*

nihil-

nihilominus id potest evenire: addit exemplum de homine, qui quamdiu tenetur amore servandi propriam vitam, nunquam se enecabit aut præcipitem dabit, etsi id possit velle aut facere, quia potest præsentem voluntatem abjicere. Quid si contra ipsum hoc datum exemplum urgeamus? Tam impossibile est dissentire gratiæ efficaci, quam impossibile est homini sui compoti & vitæ servandæ studioso se agere præcipitem. Atqui impossibile est tali homini se velle præcipitem agere impotentia physica; ergo & simili impotentia impossibile erit homini delectatione victrici prævento dissentire. Illationem certe non admittet Bertius, at necessario sequitur ex præmissis, neque negari potest impotentiam physicam esse in homine sui compote & vitæ servandæ studioso ad se occidendum; nam ut possit id velle, requiritur motivum rationabile velut unum ex requisitis ad agendum. Cum ergo talis homo nullum sufficiens & proportionatum motivum ad necem sibi inferendam habeat, eam tam parum velle potest, quam parum potest amare malum quatenus malum.

Dices: delectationem facere duntaxat, ut lubenti voluntate bonum amplectamur, ac proinde inducere moralem quidem necessitatem sed quæ non obest libertati, cum id quod lubenter facimus, libere faciamus. Sed contra: etsi libertati non obsit necessitas moralis, quæ superari potest, obest tamen illa, quæ est antecedens & insuperabilis, qualem inducit delectatio victrix, quæ invicibilem & essentialem connexionem habet cum actu, & independenter a nobis & nostra electione ponitur, omnemque voluntatis actum antevertit. Quod si solam lubentiam voluntatis sufficere dicas, Beati etiam in cælis liberi erunt ad Deum diligendum, cum delectatio orta ex bonitate Dei clare & intuitive visa delectando in illis agat, eorumque lubentiam determinet.

 An-

Antequam ad proponendum noſtrum ſyſtema de efficacia gratiæ procedamus, monendus eſt lector, pro gratia ab intrinſeco efficaci nihil omnino probare Cl. Bertium, dum *Cap.* 19. nobis oſtendit, quam malam fortunam doctrina Molinæ & Patrum Societatis in orbe literario habuerit. Repetit enim hiſtoriam *famoſarum congregationum de auxiliis*, quam Scriptor e familia Prædicatorum ſub larvato nomine Abbatis le Blanc Lovanii edidit an. 1700. Oſtendere ex illo nititur librum *de concordia Ludovici Molinæ* ſtatim ac editus eſt variis in orbe Chriſtiano cenſuris perſtrictum eſſe, ac cumprimis Romæ in dictis congregationibus ſub Clemente VIII. & Paulo V. celebratis, omnesque cenſores & conſultores, uno aut altero excepto, in damnationem doctrinæ Molinianæ conſpiraſſe: eoque adductam rem eſſe, ut Clemens VIII. jamjam in Molinam pronuntiaturus eſſet, niſi morte fuiſſet præventus: Paulus vero V. ejus Succeſſor juſſerit parari Bullam contra eundem librum, nonnullis tamen politicis rationibus commotus rem in aliud tempus diſtulerit. Addit Author cenſuras Cl. Academiarum Lovanienſis & Duacenſis, & tandem ſubjungit: *Molinæ doctrinam conſtanter ſe continuiſſe domeſticos inter parietes, externos defenſores nonniſi aliquos ab inſtitutis majorum ſuorum degeneres inveniſſe &c.*

Operæ pretium non eſt his refutandis diutius immorari, poſtquam ex altera parte prodiit ampliſſima hiſtoria controverſiarum de auxiliis, qua hiſtoria Auguſtini de Blanc falſi arguitur ac plane refutatur. Singula capita, in quibus partes litigantes diſcrepant, non excutiemus; hoc unum ad præſens inſtitutum ſufficiat, nullam fidem habendam eſſe omnibus illis actis, quæ circumferentur ſub titulo Hiſtoriæ congregationum de auxiliis, adeoque nullius eſſe ad probandum ponderis quæcunque inde contra ſcientiam mediam argumenta facti ſumuntur.

tur. Ita porro declaravit Innocentius X. S. P. emiſſo eam in rem decreto an. 1654. die 23. Aprilis; ubi etiam decernit ſuper prædicta quæſtione ſtandum eſſe decretis Pauli V. & Urbani VIII. quibus cautum eſt ne Theologi ubi de Divinis Auxiliis diſputant, aliqua erroris aut alterius cenſuræ nota ſe ſe invicem perſtringant. Quod ſpectat cenſuras Academiæ Lovanienſis & Duacenæ, eas conſtructas eſſe opera Baji & aſſeclarum ejus ſat conſtat: quantum & quot ex omni ordine Viri ampliſſimi faverint doctrinæ Molinianæ, ei ignotum eſſe non poteſt, qui non recuſat vel obiter percurrere eleganter & ſolide conſcriptas *diſquiſitiones in novam Congregationem de Auxiliis Hiſtoriam*, Dilingæ an. 1711. ab Authore anonymo editas.

CAPUT VIII.

DE SYSTEMATE EORUM, QUI ADMIT-TUNT GRATIAM AB EXTRINSECO EFFICACEM.

Quicunque Syſtemata a nobis antea refutata rejiciunt, ii propugnant gratiam non ex ſe & natura ſua, ſed ab extrinſeco efficacem, hancque dupliciter ſpectant in actu primo, & in actu ſecundo. Gratia efficax *in actu primo* eſt vis ipſa gratiæ prævenientis apta & idonea ad exprimendum certo & infallibiliter conſenſum voluntatis: efficax vero *in actu ſecundo* eſt vis eadem ſeu motio gratiæ juncta cum actu, ſeu prout includit gratiam adjuvantem & cooperationem voluntatis. Porro gratia in actu primo, de qua agimus, conſiderari poteſt vel *ſecundum ſe* prout præciſe eſt effectiva & infallibiliter illativa conſenſus: vel *relate ad Deum*, ut eſt inſtrumentum ac medium Divinæ providentiæ ad obtinendum liberum voluntatis

consensum: vel *relate ad hominem* ut est speciale donum & beneficium illi collatum. Priusquam de re ipsa statuamus, expendendum est Systema Molinianum & Suarezianum.

§. I.

Brevis expositio præsentis systematis.

XXXIX. Hujus systematis Patroni non admittunt gratiam, quæ certam ex se habeat ac infallibilem connexionem cum actione hominis: unde existimant Deum nihil absolute decernere circa actiones liberas, quin prius per scientiam mediam cognoverit quid homo facturus esset in his vel illis circumstantiis, sub hac vel illa gratia; quæcunque enim supponatur gratiæ vis & efficacia, certum est voluntatem ei semper posse dissentire si velit. Antequam ergo, aiunt, Deus absolute statuerit v. g. conversiones Matthæi, Zachæi, Magdalenæ, Pauli &c. debuit prius novisse an reipsa horum voluntates huic gratiæ sint consensuræ, cui reipsa potuerunt non consentire. Ista vero scientia, per quam Deus id prævidet, dicitur scientia media seu conditionatorum, de qua egi fusius *in tract. de Deo.*

Hoc Systema propugnat cum Molina, Suaresio, Bellarmino omnes fere DD. Societatis Jesu, & cum illis complures alii ex omni natione & ordine Theologi, ut ostendit Author *disquisitionum in novam Congreg. Historiam supra cit.* Dicitur autem *Molinianum* a Ludovico Molina S. J. Hic enim *in lib. suo de concordia* hanc planam nobis viam conciliandi gratiam cum libertate ostendit, quoad substantiam tradens antiqua in Scripturis fundata, a Patribus tradita, & in Conciliis definita. Dicitur *Suaresianum* ab eximio Theologo Suario, qui inter alios

hoc

hoc Syſtema *lib.* 5. *de auxilio efficaci gratiæ Dei* nitide ac clare evolvit. Dicere & illud poteris *Bellarminianum* ab eminentiſſimo Cardinale, qui *lib.* 1. *de grat. & lib. arb. c.* 12. recurrit ad ſcientiam conditionatorum, ut infallibilem vim gratiæ cum libero voluntatis arbitrio conciliet. *Neque enim*, inquit, *intelligi poteſt, quo pacto gratia efficax conſiſtat in illa interna ſuaſione, quæ per liberum arbitrium reſpui poteſt, & tamen infallibilem habeat effectum; niſi addamus Deum iis, quos efficaciter trahere decrevit, eam ſuaſionem adhibere, quam videt congruere ingenio eorum & quam certo novit ab iis non contemnendam.*

Duo porro hujus ſyſtematis ſunt fundamenta. I. Deum in poteſtate ſua habere gratias, quæ, etſi ex natura ſua repudiabiles, prævidentur fore efficaces, adeo quidem ut nulla ſit voluntas quæ non poſſit converti per aliquas gratias. II. Deum cognoſcere infallibiliter quid quævis voluntas ſub quacunque gratia factura ſit. Hinc ſponte ſua ſequitur: gratiam prævifam efficacem, ſi a Deo homini concedatur, ſimul infallibilem, ſimul cum libertate hominis concordem eſſe. Ac quidem infallibilis eſt, quia infallibiliter connexa cum effectu, non connexione intrinſeca & eſſentiali ſed extrinſeca, orta ex infallibili Dei ſcientia: libertati etiam conſentanea talis gratia eſt, quia de ſe & ex natura ſua cum actione ſalutari ejusque omiſſione conjungi poteſt.

Plura finguntur ab adverſariis quæ apud cordatos Theologos opinioni Molinianæ contemptum parere poſſint. Omiſſis reliquis in ſolutione object. adferendis hoc unum adjicio: multos eſſe qui dicunt Ludovicum Molinam efficaciam gratiæ repetiiſſe ab eventu ſeu conſenſu voluntatis humanæ, adeo ut non gratia voluntatem ſed voluntas gratiam determinet, efficiatque per conſenſum, ut gratia ſit efficax; per diſſenſum vero

ut

ut ſit inefficax. His coloribus pingit Syſtema iſthoc Nicolaus l'Herminier ita loquens: *Ludovicus Molina in lib. de concordia ſcribit etiam hoc in ſtatu nullam dari gratiam per ſe efficacem, gratiam omnem de ſe nonniſi ſufficientem reddi efficacem a ſolo voluntatis noſtræ conſenſu: quoniam vero hæc ſententia ceteris Theologis durior viſa eſt, atque etiam Scripturis & doctrinæ S. Auguſtini manifeſte contraria, ut ſcribit Bellarminus loco citato, hinc factum eſt ut eam pauci admodum retinuerint ex eadem familia Theologi.* Ita ille.

At enim hanc calumniam ipſe Molina a ſe propulſat, poſtquam in primam partem S. Thomæ q. 23. art. 4. diſp. 1. membro 6. ſic ſcribit: *quando audis conſenſum noſtrum efficacia reddere auxilia gratiæ, non ita id intelligas, quaſi arbitrium noſtrum vim aliam aut efficacitatem tribuat auxiliis ipſis: ut enim in concordia explicatum eſt, arbitrium & influxus noſter nullam vim conferunt gratiæ auxiliis, ſed hæc potius vim & propenſionem arbitrio tribuunt ad conſenſum, illud invitando, alliciendo, adjuvando.* Non negat quidem Molina dici poſſe gratiam fieri efficacem *in actu ſecundo* ex libero arbitrio, ſi per hoc nihil aliud notare velis quam quod voluntas gratiæ libere conſentiat: at gratiam *in actu primo* fieri efficacem per liberum arbitrium nullibi dicit, cum agnoſcat omnem agendi virtutem eidem eſſe internam, etſi infallibilem ſuam cum actu ſalutari connexionem ab extrinſeco habeat. Hinc merito Bellarminus rejicit eorum opinionem, qui gratiam efficacem ſimpliciter conſtituunt in cooperatione humana ita ut talis dicatur ab eventu.

Amplectitur hoc Syſtema quoad rem, ut dixi, Suareſius, etſi quoad modum & verba videatur diſcrepare. Repetit efficaciam gratiæ ex quadam ejuſdem *congruitate* & attemperatione

tione ad hominis indolem ac affectiones, ad varias loci, temporis, personæ circumstantias: non quasi hæc congruentia haberet certum effectum suum ante prævisum voluntatis consensum; nam sic gratia foret ex se & natura sua efficax; sed congruitas in eo dicitur posita, quod Deus gratiam conferat tempore opportuno & in iis circumstantiis, in quibus consensum prænovit. Hinc congruentia gratiæ efficaci partim intrinseca est partim extrinseca: *intrinseca* quidem, quia interna sua virtute movet voluntatem, quomodo ei aptum est ut reipsa consentiat; *extrinseca* vero, quatenus pendet ab externis loci, temporis, personæ &c. circumstantiis, in quibus Deus prævidet gratiam infallibiliter obtenturam effectum suum. Pendet ergo in hoc systemate efficacia gratiæ ab interna ipsius virtute tanquam principio activo, & a scientia media tanquam principio directivo; unde patet hanc opinionem, quæ pro fundamento supponit ejusdem scientiæ usum, non distare ab ea quam Molina tuetur. Igitur ad eam afferendam sit;

§. II.

Gratia efficax in actu primo consistit in Auxilio de se & natura sua repudiabili sed congruo: quod Deus homini largitur ex speciali misericordia sub directione scientiæ mediæ.

XL. Probatur ex S. Augustino, qui lib. 1. ad simplicianum q. 2. inprimis de iis qui vocationi seu gratiæ excitanti resistunt, sic scribit: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare quomodo illis aptum esset, ut & moverentur & intelligerent & sequerentur.* Paulo post de iis qui gratiæ consentiunt, ita ait: *etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur*

quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est ut sequantur. Et infra: *cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere ut vocantem non respuat.* His verbis indicatur voluntatem Divinam de conferenda homini gratia efficaci dirigi a scientia, qua Deus scit hunc vel illum modum vocandi ita ei *aptum esse ut sequatur; sic ei congruere ut vocantem non respuat.* Atqui hoc scit per scientiam mediam, qua cognoscit hanc vel similem veritatem: *si homo per gratiam hoc apto & congruo modo vocaretur, vocantem non respueret sed sequeretur;* voluntas ergo Divina in largiendis gratiæ efficacis auxiliis dirigitur a scientia media. Quod si ita, gratia efficax in actu primo consistit in auxilio de se repudiabili sed congruo, quod Deus largitur sub luce conditionatorum. Ut planius intelligatur Systema nostrum consentaneum esse iis quæ Scriptura & traditio docet de gratia efficaci, ita arguimus:

Ab eo recte repetitur efficacia gratiæ, quo posito optime conciliantur fidei nostræ circa libertatem hominis & operationem gratiæ Divinæ dogmata; at posito hoc systemate recte conciliantur fidei nostræ dogmata tum circa libertatem hominis tum circa gratiæ Divinæ operationem; quæ dogmata ad quinque capita revocari possunt: 1. Quod prædestinatio ad gratiam sit mere gratuita. 2. Quod gratia efficax distinguatur a gratia sufficienti. 3. Quod relinquat illæsa libertatis humanæ jura. 4. Quod sit medium Divinæ providentiæ ad voluntates nostras, quocunque voluerit, flectendas. 5. Quod speciale sit Dei beneficium. Jam hæc longe melius in nostro quam in quocunque alio systemate explicari posse, per partes erit demonstrandum.

Ac *primo* hoc Systema statuit: Deum præscientem, quibus gratiis voluntas consentiret vel dissentiret, ex mero suo be-

beneplacito decernere has vel illas gratias, congruas præ incongruis dare. Quod si ita est, prædestinatio ad gratiam mere gratuita est, atque homini consentienti ex Apostolo dici potest *quis te discernit?* nam ad hoc satis est ut homo gratiam accipiat a Deo cum speciali misericordia, quæ intendat consensum tanquam fructum gratiæ futurum, cum dari possit alia gratia mere sufficiens, quæ eundem effectum non obtineret; sed hoc fit a Deo in præsenti systemate: ergo.

2do. Gratia efficax distinguitur a gratia mere sufficiente, quia est id, a quo tanquam a causa operatio nostra libere sequetur, quatenus confertur in iis circumstantiis, in quibus Deus prævidet eam habituram suum effectum, quod de gratia mere sufficienti dici non potest, cum ex ea operatio libera non sit secutura; ut exposui in hac controversia *Cap.* 2.

3tio; Gratia efficax sic exposita libertatem nequaquam labefactat; quia licet ex suppositione præscientiæ Divinæ necesse, sit gratiam, quam Deus decernit cum prævisione boni exitus esse illaturam effectum, hæc necessitas est tantum consequens, orta nempe ex infallibili præscientia, quæ liberam voluntatis determinationem supponit; atqui necessitas consequens non est noxia libertati. Et quamvis Deus ex speciali misericordia conferat gratiam efficacem, efficacia tamen dici non debet motivum *sine quo non*, sed tantum motivum *quod* in ordine ad eam gratiam conferendam; cum ad specialem & benevolam voluntatem Dei explicandam satis sit, si dicamus Deum eam gratiam ita conferre, ut intendat efficaciter consensum inde secuturum, & tum gratiam tum consensum referat ad utilitatem hominis.

4to: Gratia efficax, ut dixi, est speciale Dei beneficium,

 quia

quia eam Deus misericorditer & ex mero beneplacito confert in his circumstantiis, in quibus videt voluntatem hominis ei obtemperaturam. Et licet ex natura sua sit minor illa quæ quandoque alteri non consentienti datur, attamen in ratione doni & moraliter est quid majus, quia utilior futura est, & ex præscientia majoris utilitatis, & ea intentione ex parte dantis confertur; unde quando Deus eam confert dicitur magis misereri, imo quandoque simpliciter misereri, ut docet D. August. loco cit. *Quod si vellet etiam ipsorum* (qui vocati non veniunt) *misereri* (efficaciter) *posset ita vocare, quomodo illis aptum esset ut sequerentur.*

5*to*: Gratia efficax est medium certissimum & infallibile Divinæ providentiæ ad voluntates nostras quocunque voluerit inclinandas, quia a scientia Dei infallibili habet infallibilitatem absolutam & metaphysicam; nam ex hypothesi quod Deus præviderit talem gratiam voluntatis consensum expressuram, absolute repugnat eam non exprimere talem consensum, quia absolute regugnat scientiam Dei falli: atqui gratia quam absolute repugnat non exprimere voluntatis consensum, illum infert infallibiliter absoluta infallibilitate; ergo gratia efficax est instrumentum Divinæ providentiæ infallibile ad voluntates nostras quocunque voluerit flectendas. Hinc si Deus velit vel infidelem ad fidem, vel peccatorem ad pœnitentiam, vel justum ad plenam perseverantiam perducere, voluntatem hanc specialem certissime exequi potest, decernendo eas gratias quas videt cum effectu conjungendas: hoc enim supposito necesse est gratias illas intentum effectum esse habituras.

Inde ergo colligimus nostrum modum explicandi efficaciam gratiæ non esse contrarium doctrinæ S. Augustini antiquissimæ, & plenis summorum Pontificum oraculis consecratæ,

ut

ut criminantur adverfarii; fed effe maxime confentaneum iis quæ Scriptura & traditio docent de gratia efficaci, nihilque continere quod non fit folide fundatum in Scriptura & doctrina S. Auguftini. Ac primo omnia noftra argumenta, quæ hactenus attulimus, eo tendunt, ut oftendamus voluntatem gratiæ & fufficienti & efficaci femper libere confentire poffe vel diffentire; ex quo inferimus non effe neceffariam ad fingulos pietatis actus gratiam per fe efficacem, quæ ante prævifum voluntatis confenfum effentialem habeat cum effectu fuo connexionem; fuppofita enim tali gratia oftendimus voluntatem hac gratia deftitutam nec habere potentiam completam ad confentiendum, nec habere fub ea potentiam ad diffentiendum: quod fi oftendimus, an non pro noftro fyftemate argumenta habemus in Scriptura & traditione fundata? Deinde noftram doctrinam vere Auguftinianam effe partim oftendit teftimonium S. Doctoris prius allatum, partim omnia ea loca quibus docet, gratiam non per phyficam & antecedentem ad unum determinationem agere in nobis; fed congrua & attemperata impulfione morali; opportuna objectorum propofitione, molli & interna fuafione excitare voluntatem & ad bonum adducere; ita ut in hominis femper poteftate fit confentire vel diffentire, velle aut nolle, agere vel non agere. Ea leges in *lib.* 1. *ad Simplician. q.* 2. jam citata, *lib. de Spirit. & litt. c.* 34. *lib. de Dono perfev. c.* 14. *lib.* 5. *Confeff. c.* 7. & 8. Ubi defcribit varios modos & multiplices flexus, quibus Deus movere folet: ad quid autem modi trahendi adeo diverfi, fi Deus motione gratiæ fuæ ex fefe certa & infallibili voluntatem ad unum determinet?

 §. III.

§. III.

Solvuntur momenta contraria.

Quæ nostro systemati opponuntur, partim ducuntur ex Scripturis & Patribus, partim ex rationibus inde depromptis. Nicol. l'Herminier & ex eo alii jactant in Scripturis reperiri manifesta & prope infinita testimonia ad stabiliendam doctrinam de gratia ab intrinseco efficaci: e contrario Honoratus Tournelyus in celebratissimis suis prælectionibus (nempe de *scientia Dei & gratia efficaci*) momenta opposita adeo solide refellit, ut cum Systemate Moliniano penitus conspirare videatur. Nos ne præsentem controversiam nimium extendamus, adferemus ex ordine præcipua, ex quorum resolutione facile erit de reliquis judicium.

Momenta primi generis ex Scripturis.

XLI. Argumentum I. sumitur ex iis locis quibus constat nos electos & vocatos esse gratis ac secundum propositum voluntatis Dei. Sic Apostolus ait Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem ut essemus Sancti.* & v. 11. *Prædestinati secundum propositum ejus qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*, & ut alia multa ejus generis sileamus, ibidem cap. 2. *gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Ex his sic arguunt. Qui efficaciter nos eligit ut simus sancti, qui omnia in nobis operatur secundum propositum voluntatis suæ & quidem gratis, ille dat Electis suis gratias per se efficaces, nec expectat vel explorat voluntates, an bonæ sint futuræ, sed pro beneplacito suo bonas facit: atqui Deus nos eligit efficaciter, & omnia in nobis operatur; ergo.

Resp.

Resp. Citata Scripturæ verba probare tantum necessitatem gratiæ ad omne salutis opus, & benevolam Dei in ea largienda voluntatem, id quod in nostro systemate recte salvatur. Elegit nos Deus ut essemus Sancti, non quia futuri eramus Sancti viribus propriis sine gratia, nec quia prævisa Sanctitas Deo motivum & causa fuit ad gratiam & sanctitatem largiendam; sed quia ex mero beneplacito statuit conferre eas gratias quas præscivit sanctitatem operaturas. Similiter in nostro systemate Deus dicitur omnia in nobis operari, quia sine gratia bonum operari non possumus, & per eam adjuvat ut faciamus; & quamvis prævideat quid homo facturus sit sub hac vel illa gratia, eam tamen, quam videt congruam fore, ex pura liberalitate concedit. Quare ad propositum argumentum respondemus: Deum in aliquo sensu explorare humanam voluntatem; non quod incertus sit & suspensus circa ea quæ futura sunt, omnia enim necessario cognoscit ante omne decretum; aut quod voluntas nostra sit causa & motivum, quo Deus determinetur ad concedendam gratiam; sed quod hominis libertati nullam vim inferat, adeoque a prævisa voluntatis actione salutari dirigatur ad statuendum aliquid circa liberas hominis actiones: Unde scientiam illam, qua Deus in largiendis gratiis dirigitur, non agnoscimus ut causam conferendæ gratiæ efficacis & sanctitatis sed ut directivam Decretorum Divinorum.

Argument. II. Ducitur ex iis locis, quæ pro efficacia Decretorum Divinorum leguntur, qualia sunt Esth. 13. *non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Isaiæ 6. *Consilium meum stabit & omnis voluntas mea fiet.* Ad Rom. 9. *voluntati ejus quis resistit?* & alia id genus. Huc pertinent ea in quibus dicitur Deus movere trahere & inclinare corda hominum quocunque voluerit. Sic Proverb. 21. dicitur: *cor regis in manu Domini, quo-*

quocunque voluerit inclinabit illud. Job. 12. *qui immutat cor principum terræ.* Joan. 6. *nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit eum.* Inde ſic arguunt: gratiæ efficaci voluntas humana nunquam reſiſtit nec reſiſtere poteſt: ſed poſſet reſiſtere, ſi gratia efficax conſiſteret in auxilio de ſe repudiabili. Item: voluntas hominis flectitur & inclinatur a Deo, & non ſe ipſam flectit & inclinat; ſed ſe ipſam flecteret ſub auxilio indifferente: ergo.

Reſp. D. maj. voluntas hominis gratiæ efficaci non poteſt reſiſtere potentia antecedente, N. potentia conſequente ſcientiam Dei de bono uſu ſub gratia futuro, C. Item: voluntas non ſe ipſam flectit & inclinat per proprias naturæ vires, C. per vires gratiæ, N. Nemo mirabitur hoc reſponſum, qui voluerit efficaciam gratiæ cum libertate conciliare: utraque enim pars duo fateri debet, & gratiam efficacem eſſe infruſtrabilem & eam abjici poſſe. Primum æque ſalvatur in noſtro ac in contrario ſyſtemate: quis enim neget infruſtrabilem eſſe gratiam quæ per infallibilem Dei ſcientiam prævidetur conjungenda cum conſenſu? alterum, nempe gratiam *abjici* poſſe id eſt hominem ei *diſſentire poſſe ſi velit*, longe melius in noſtro quam oppoſito ſyſtemate explicatur, ut hactenus vidimus.

Argument III. Petunt ex iis teſtimoniis quibus vis & efficacia gratiæ maxime commendatur. Ad Philipp. 2. dicitur: *Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Jam ita arguunt: Deus in dato ſyſtemate confert gratiam de ſe indifferentem ad velle & nolle: ſed per talem gratiam Deus dat tantum poſſe velle, non ipſum velle. Nam adjutorium indifferens & voluntati noſtræ ſubjectum, eam non determinat, ſed potius noſtra voluntas talem gratiam determinat.

Huc

Huc pertinet celebratum illud Apoſtoli effatum ad Rom. 9. *Non eſt volentis neque currentis; ſed miſerentis Dei.* Hinc ita arguunt: actus ſalutaris non eſt volentis nec conantis hominis, ſed miſerentis Dei; at hoc non fieret in dato ſyſtemate.

Rurſum Ezech. 36. dicitur: *dabo vobis cor novum & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis &c.* Jam ſic: promittit hic Deus ſe facturum ut Filii promiſſionis Divinis mandatis obtemperent: at quod Deus promittit, fit ex ſolo voluntatis Divinæ propoſito, & non ex poteſtate liberi arbitrii: ergo.

Reſp. ad *primum* D. maj. Deus confert in dato ſyſtemate gratiam, de ſe indifferentem, eam tamen allicientem & trahentem ad conſenſum, atque præviſam efficacem, C. non ita inclinantem & præviſam, N. Operatur Deus in nobis velle & perficere, quia ſine gratia, quam gratis concedit, bonum nec volumus nec perficimus, quia *adjuvat ut faciamus*, ut inquit S. Auguſt. Etſi ergo auxilium de ſe ſit repudiabile, Deus tamen dat ipſum velle, quia illud adjutorium non tantum eſt effectivum, ſed & infallibiliter illativum conſenſus, ſimulque quia conjunctam habet gratiam adjuvantem & phyſice influentem. Recte etiam dicimus, gratiam efficacem determinare voluntatem, & ab ea determinari: determinat enim, in quantum voluntatem inclinat ad conſenſum, & cum eo infallibiliter connectitur; determinatur vero, in quantum voluntas ab eadem gratia adjuta libere eligit conſenſum; hoc ipſo enim determinat omnia principia de ſe indifferentia ad influendum in conſenſum. Hinc Auguſtinus l. 1. ad Simpl. q. 2. *ut velimus ſuum eſſe voluit & noſtrum: ſuum vocando, noſtrum ſequendo.*

vobis cor novum. Quare jubet, si ipse daturus est? quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet. En Deus hoc sensu dat homini & velle & agere, quia eum adjuvat, ut velit & agat. Ergo non dat velle & agere per gratiam ex se efficacem, sed per gratiam congruam ita adjuvantem, ut ei homo dissentire possit si velit.

Argumentum IV. colligunt ex iis locis quae hominis discretionem soli Deo adscribunt. Apostolus 1. Corinth. 4. sic quaerit: *Quis te discernit? quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* quae verba ostendunt discretionem hominis consentientis a non consentiente tribuendam esse non libero hominis arbitrio, sed Deo. Inde sic arguunt I. In nostro systemate fieri potest, ut ex duobus hominibus in iisdem circumstantiis positis & aequali gratia instructis unus consentiat & alius reluctetur: at tunc consentiens se ipsum discernit a dissentiente, nec discernitur a Deo; nam in utroque par est gratia. II. In hoc casu homo consentiens gloriari potest quod prae alio consenserit, quod repugnat Apostolo. III. Consensus salutaris est a voluntate se ipsam determinante: ergo non est donum Dei gratuitum.

R. his verbis: *quis te discernit?* eam duntaxat excludi discretionem, quae fiat per merita nostra sine gratia; non eam quae fiat per merita nostra ex gratia. Hinc Aug. lib. de grat. & lib. arb. c. 6. *si merita nostra sic intelligerent* (Pelagiani) *ut etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia: quoniam vero merita humana sic praedicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, rectissime respondet Apostolus: quis te discernit?* Ad *primum* igitur Dico in hac hypothesi discretionem primariam & *radicalem* consentientis a dissentiente esse a solo Deo, qui dedit pro priori ex speciali benevolentia gratiam

congruam. Diſcretio vero *formalis*, ſeu id per quod immediate diſcernitur unus ab altero, ſeu conſenſus ſalutaris eſt principaliter a gratia congrua tanquam cauſa ſuperiore & nobiliore, & ſecundario a voluntate libere conſentiente ut cauſa præventa, elevata, & adjuta per gratiam. *Ille* ergo, inquit Aug. l. 2. contra duas Epiſt. Pelag. c. 7., *diſcernit*, *qui unde diſcernaris imperti.* In utroque quidem eſſe poteſt æqualis & par gratia ratione naturæ ſuæ abſolute ſumptæ, non item ratione beneficii; gratia enim quæ datur in iis circumſtantiis, in quibus prævidetur effectum habitura, & ex efficaci intentione ut habeat, longe majus beneficium eſt, quam gratia ejusdem etiam ſpeciei & intenſionis data in iis circumſtantiis, in quibus prævidetur non habitura effectum. Ut autem intelligas conſenſum hominis conditionate prævisum non eſſe cauſam diſcretionis, adverte: conſentientem & diſſentientem in ſtatu conditionato æquales eſſe, cum uterque per ſcientiam mediam prævideatur quibusdam gratiis conſenſurus, aliis diſſenſurus. Tum vero cogita: Deum conferre uni gratiam præviſam efficacem & alteri inefficacem. Hinc ſane inferes eum eſſe diſcretorem boni a malo, qui gratuito donat gratiam efficacem.

Ad 2*dum* D. homo gloriari poteſt quod conſenſerit per gratiam, C. per vires naturæ, N. Apoſtolus per hæc verba: *quid gloriaris?* non excludit omnem gloriationem, ſed eam tantum, qua homo de ſuo conſenſu gloriaretur quaſi eum non accepiſſet a gratia: in omni ergo ſententia, quæ ſalvam relinquit libertatem, homo poteſt gloriari de bono opere, ſed non niſi per gratiam facto; quod permittit Auguſt. Epiſt. 106. in illa Apoſtoli verba ita loquens: *hoc utique totum ideo, non ut homo non glorietur, ſed ut qui gloriatur, in Domino glorietur* Ad 3*tium* diſt. ant. conſenſus ſalutaris eſt a voluntate ſe ipſam determinante, & ſimul a gratia tanquam cauſa principali

vo-

voluntatem excitante & elevante, C. hoc enim constat ex Apostolo dicente *non ego sed gratia Dei mecum*. Est a voluntate sola, N. Igitur consensus salutaris simul a gratia est simul a voluntate: ita tamen ut sit a gratia tanquam causa præcipua, quæ voluntatem & moveat & adjuvet ad agendum; a voluntate vero ut causa inferiore & dependente a gratia, a qua totam vim agendi salutariter accipit. Quare consensus salutaris primario gratiæ tribui debet.

Momenta ex Doctrina S. Augustini & Conciliorum.

XLII. Tanta est S. Augustini auctoritas, ut certatim omnes hujus Doctoris præsidio suum Systema tueri velint. Hinc non tam de auctoritate, quam de mente illius in scholis disputatur: non quidem quoad ea capita quæ pertinent ad fidei dogma; ea enim ex parte, ut ait Cælestinus, *nusquam eum sinistræ suspicionis rumor aspersit*, sed quantum ad alias quæstiones quas idem S. Pontifex vocat *profundiores & difficiliores*, in quibus utpote ab Ecclesia non definitis quisque auctoritate S. Doctoris vult gloriari. Nos de mente Augustini non pauca diximus per decursum, præsertim ubi egimus de *adjutorio quo*: operæ pretium erit reliqua, quæ ex eodem objiciuntur, ad certas classes revocare.

Opponunt igitur *primo* varia loca, quibus D. Doctor gratiam efficacem delineat. Hanc appellat lib. de grat. c. 24. *internam, occultam, mirabilem & ineffabilem potestatem, qua Deus operatur in cordibus hominum bonas voluntates*. Cap. 35. *inspirationem flagrantissimæ charitatis*. lib. 4. contra Jul. c. 8. *omnipotentissimam voluntatem*, & 1. contra 2. epist. Pelag. c. 20. *efficacissimam voluntatem & potestatem, quæ convertit corda hominum*. de grat. & lib. arb. c. 5. *magnam & efficacissimam vo-*

cationem: de correpт. & grat. c. 14. *inclinandorum cordium omnipotentissimam potestatem.* de Prædest. SS. c. 8. *gratiam quæ a nullo duro corde respuitur &c.* Hinc ita arguunt: in explicanda efficacia gratiæ recurrit D. Doctor ad omnipotentiam Dei, ad potentissimam ejus voluntatem, & ad summum ejus in creaturas Dominium; atqui eo non posset recurrere, si gratiam efficacem agnovisset de se repudiabilem, cui voluntas humana resistere posset.

Resp. Ex his testimoniis probari duntaxat dari talem gratiam, quæ suo nunquam frustretur effectu, & cujus vis & efficacia ab una Dei virtute profluat: at inde minime evinci talem gratiam ab intrinseco esse efficacem. In utroque systemate efficacia gratiæ repetitur ex omnipotentia Dei & efficaci ejus voluntate: at infinita Dei potentia, potentissima ejus voluntas, & supremum Dominium, quo potest de nostris voluntatibus salva earum libertate pro arbitrio disponere, non consistunt in eo, quod Deus possit movere voluntates nostras ad id quod vult, per medium irrepudiabile, adeoque necessitans; sed consistunt in eo, quod Deus in infinitis omnipotentiæ suæ thesauris habeat media ex se quidem repudiabilia, sed congrua, quæ summa infallibilitate præscit effectum habitura, ut adeo quocunque voluerit voluntates movere & flectere possit. Hoc modo intelliges efficaciam gratiæ oriri ab impotentia Dei & efficacissima ejus voluntate.

Sed dices: ex mente S. Augustini *Deum magis habere in sua potestate voluntates nostras, quam nos ipsos.* Ita omnino est in nostro systemate: potest enim de illis facere quidcunque voluerit, potest facere, ut bonum velint & agant, & quidem salva earum libertate, non proinde illas invincibiliter & antecedenter determinando, sed movendo quomodo scit congruere,

ut

ut bonum invictiſſime velint & agant. Cum ergo nos ex ſolis naturæ viribus id non poſſimus, ſane Deus magis habet in ſua poteſtate noſtras voluntates, quam nos ipſi.

Secundo opponunt ea loca, in quibus S. Doctor affirmat Deum in nobis efficaci ſua gratia operari, totumque opus bonum Deo tribuendum eſſe. Unum ex innumeris ut adferamus, lib. de grat. & lib. arb. c. 16. ita ſcribit: *certum eſt nos mandata ſervare ſi volumus, ſed præparatur voluntas a Domino - - ille facit ut velimus bonum - - ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Jam ita arguitur: ſi Deus præbet vires efficaciſſimas voluntati ut velit & faciat, efficacia gratiæ tribuenda eſt ſoli Deo, & non cooperationi humanæ; at in ſyſtemate Moliniſtico tribuitur cooperationi voluntatis.

In his & aliis hujus generis teſtimoniis adverti debet ſcopus S. Auguſtini, quem ſibi præfixerat, ut nempe contra Pelagianos oſtenderet neceſſitatem gratiæ, ut ſuo loco dixi. Non ergo D. Doctor his locis conſiderat gratiam ut a ſe efficacem: de modo enim illius efficaciæ non erat quæſtio cum Pelagianis; ſed de illa ut ſimpliciter neceſſaria voluntati, ut ad bonum ferri poſſit & feratur. Hoc ſenſu Deus *efficaciſſimas vires* dare dicitur, quia voluntas ſine gratia nihil poteſt & cum illa omnia poteſt. Ad argumentum ergo inde deſumptum neganda eſt minor propoſitio: nam cum gratia in noſtro ſyſtemate ex dictis nobiliores & præcipuas partes habeat in opere ſalutari, totum id Deo ſoli tribui debet.

3*tio* adferunt eum locum, in quo D. Doctor dando cauſam, cur unus convertatur, alter non item, confugit ad graviſſimam Apoſtoli exclamationem: *O altituda divitiorum!* Ita enim de dono perſev. c. 9. inquit: *ex duobus ætate jam grandibus*

bus impiis, cur ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem non ita vocetur, inscrutabilia sunt Dei judicia. Idem fere habet de sp. & lit. c. 34. & l. 2. de peccat. mer. c. 5. Jam sic: in quæstione cur unus convertatur, non item alter, recurrendum est ad inscrutabilia Dei judicia; atqui in nostro systemate judicia Dei sunt aperta.

Resp. Judicia Dei, quæ ex Apostolo D. Doctor ait *inscrutabilia*, in eo consistere, quod Deus hos, non illos prædestinaverit; his, non aliis, ab æterno præparaverit, & in tempore donet gratias cum finali perseverantia conjunctas. Hæc Dei decreta inscrutabilia sunt quia illorum nulla ratio reddi potest ex parte hominis, cum omnes ob labem originariam hoc beneficio sint indigni, nec ex parte Dei præter merum ejus beneplacitum. Hoc equidem fateor, rationem cur unus convertatur, alter non, ex parte Dei esse, quia uni dat gratiam congruam & non alteri, & ex parte hominis, quia unus vult & non alter, sed in hoc nullum est mysterium, sicut nullum ex parte adversariorum mysterium in eo est, si dicant unum converti non alterum, quia ille physice vel moraliter præmovetur seu necessitatur ad conversionem, alter non. At mysterium in eo est, cur unus accipiat gratiam congruam, qua prævidetur bonum acturus, alter non, & hic responderi debet ex Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus.*

4to opponunt ea loca, quæ Augustinus & Concilia habent contra Semipelagianos, voluntque ostendere nostram doctrinam illorum erroribus aliqua ex parte conformem esse. I. In nostro systemate Deus expectat voluntatem nostram, ut bonum velimus & agamus: at hoc est contra Concilium Arausicanum damnans can. 4. errorem Semipelag. his verbis: *si quis*

ut

ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit - - - resistit Spiritui S. dicenti: præparatur voluntas a Domino. II. Idem Concil. damnat eos qui dicunt *initium boni operis* esse ex nobis; at in sententia negante gratiam ex se efficacem initium boni operis foret a consensu voluntatis. III. Systema scientiæ conditionalis fuit Semipelag. At hoc reprobavit S. Augustinus: ergo.

Resp. N. maj. Conc. enim Arauf. damnat errorem Semipelag. qui docebant hominem ex solis naturæ viribus desiderare posse sicut oportet justificationem, & per tale desiderium naturale obtinere gratiam actualem ad obtinendam justificationem necessariam, ac proinde Deum ut hanc gratiam conferat, expectare naturale illud desiderium; at hunc errorem prorsus abhorremus: dicimus enim Deum non expectare consensum nostrum salutarem, sed illum facere, licet non sine nostra voluntate se ipsam libere determinante dependenter a gratia congrua. Ad 2*dum* dico: initium boni operis minime esse ex nobis, sed ex Deo. Non enim ex nobis est ratione consensus conditionati, utpote qui non præcedit tanquam meritum movens Deum ad conferendam gratiam, ut dixerunt Semipelag. sed antecedit duntaxat ut objectum scientiæ dirigentis Deum in largiendis gratiarum donis. Non etiam ex nobis est ratione consensus absoluti, quia voluntas nostra ad eum non se determinat viribus naturæ, sed gratiæ, eidem libere assentiendo & cooperando. Nec obstat quod ideo concurrat gratia, quia voluntas determinat: nam non significamus determinationem voluntatis esse priorem concursu gratiæ, sed indivisam ab illo, soli tamen voluntati immediate liberam. Ad 3*tium* patet responsio ex iis quæ diximus in *tract. de Deo*, ubi ostendimus scientiam mediam conformem esse Scripturis &

& Doctrinæ S. Augustini, nec non necessariam ad conciliandam efficaciam prædestinationis & gratiæ cum libero arbitrio. Porro D. Doctor in Semipelag. reprobavit non ipsam scientiam conditionatorum, sed ejusdem abusum, qui in eo erat quod dicerent Deum cognoscere fidei initium futurum sine gratia, eaque scientia moveri ad largiendam gratiam.

Momenta reliqua contra nostrum Systema.

XLIII. Primi generis objectiones eæ sunt, quibus ostendere nituntur, gratiam ab extrinseco efficacem pugnare cum absoluto Dei Dominio, cum titulo causæ primæ & primi liberi, cum ipso conceptu gratiæ; arguunt itaque I. De ratione primæ causæ, primique liberi est determinare voluntates hominum ad agendum; sed in dato systemate non Deus determinat voluntates ad consensum, sed potius ipsæ se determinant; determinatio enim voluntatis non procederet immediate a Deo, sed a nostra voluntate. II. Ad Dominium Dei pertinet habere medium efficax ad quemvis hominem convertendum: sed in dato systemate fieri posset, ut Deus nullum habeat medium efficax; cum fieri possit tantam esse hominis contumaciam, ut Deus videat eum restiturum omnibus & singulis gratiis, quas ipsi posset decernere ad conversionem. III. Efficacia gratiæ ex directione scientiæ mediæ data decerneretur propter consensum prævisum; atqui hoc destruit ipsam notionem gratiæ seu doni gratuiti.

Ad *primum* R. D. maj. de ratione primæ causæ est determinare voluntatem ea determinatione, quæ apta sit agentibus liberis, C. alia non proportionata, N. In nostro systemate, ut alibi dixi, & Deus determinat voluntatem modo illius libertati proportionato, & voluntas determinat omnipotentiam Dei de-

determinatione Deo ſubordinata. Deus determinat voluntatem conferendo adjutorium gratiæ indifferens quidem, attamen inclinans ad conſenſum, & infallibiliter cum eo conjungendum; voluntas autem determinat omnipotentiam, quatenus pro poteſtate ſua a Deo accepta elicit conſenſum, ac proinde omnia principia ſibi a Deo indifferenter præparata determinat ad influendum in conſenſum, determinat, inquam, non viribus naturæ, ſed gratiæ tum excitantis, tum adjuvantis, tum moraliter tum phyſice influentis. Quare voluntatis determinatio immediate a Deo procedit in genere cauſæ efficientis, quia Deus ad illam effective concurrit; non autem ab eo procedit immediate elective ſeu libere, quia eadem actio duobus agentibus immediate libera eſſe non poteſt.

Ad 2*dum* Reſp. ad Dominium Dei pertinere, habere medium efficax vel neceſſitans vel indifferens ad quemvis hominem convertendum; unde permiſſa hypotheſi, qua Deus videret hominem omnibus gratiis reſtiturum, poſſet voluntatem adeo contumacem frangere per gratiam neceſſitantem aut phyſice prædeterminantem, quam poſſibilem eſſe dicimus, ſed negamus illam dari ad actiones ſalutares liberas. Ceterum quia ex ſcripturis & Patribus colligimus, in præſenti providentia nullum eſſe hominem adeo contumacem, quem Deus videat omnibus gratiis reſtiturum, poteſt ſupremus Dominus quemvis pro arbitrio ſuo per actiones bonas & liberas convertere & inclinare quocunque voluerit, cum poſſit ex infinitis, quæ in ſua poteſtate habet, gratiarum donis ea ſeligere, quibus prævidet emolliendam penitus eſſe humanæ voluntatis contumaciam, quod certe arguit abſolutum Dei Dominium in noſtras voluntates.

Ad 3*tium* D. maj. gratia ex directione scientiæ mediæ data decerneretur propter consensum tanquam causam finalem, C. tanquam causam meritoriam, N. Hæc responsio est D. Thomæ, qui 1. p. q. 23 art. 5. ad 1. ait: *usus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ nisi secundum rationem causæ finalis.* Consensus igitur prævisus non est Deo motivum & regula concedendi gratiam iis, quos prævidet ea bene usuros; gratia enim ex mera Dei misericordia confertur homini non quia consensurus est, sed ut consentiat. Et sane multi prævidentur gratiæ consensuri, quibus tamen non datur, ut patet exemplo Tyriorum & Sidoniorum, de quibus Christus Matth. 11. ait: *si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, in cinere & Cilicio pœnitentiam egissent.*

Alterum objectionum genus quædam absurda continet, quæ sequi videntur in nostro systemate; nam si gratia ab extrinseco est efficax, eam efficaciam habet a consensu voluntatis, adeoque gratia erit pedissequa voluntatis, versatilis, & subjecta libero arbitrio: atqui hæc admitti non possunt. Adde, quod a nobis clare & dilucide exponatur mysterium concordiæ gratiæ cum libertate, quod tamen Augustinus, splendidum illud Ecclesiæ lumen, obscurum esse & ad exponendum perdifficile pluribus locis asseruit.

Ita quidem loquuntur defensores gratiæ ab intrinseco efficacis, at immerito: nam juxta nos gratiæ efficacia non pendet a consensu voluntatis, ut ex hactenus dictis facile intelligi potest. Hæc enim duo importat, virtutem quæ voluntatem excitat, movet, flectit & allicit ad bene operandum, atque hæc est gratiæ intrinseca, deinde essentialem & infallibilem cum actu connexionem, & hæc est a præscientia divina: quomodo ergo dici possit efficaciam gratiæ pendere a consensu non video.

Hinc

Hinc patet gratiam non esse *pedissequam* voluntatis humanæ, quia non supponit aliquem conatum solius naturæ, cujus intuitu detur, ut volebant Semipelagiani; at contra voluntas est pedissequa gratiæ, quæ in omni opere salutari voluntatem necessario prævenire debet. Deinde gratia non est *versatilis*: nam versatile proprie loquendo est id, quod in partes oppositas flecti potest; at gratia non potest flecti in partes oppositas, in bonum & malum, cum sit de se determinata ad bonum, ad quod movet etsi impedibiliter, neque illa quis uti potest ad malum. Rursum non est *subjecta libero arbitrio*: neque enim a voluntate nostra pendet ut habeatur hujus vel illius speciei & intensionis; imo liberum arbitrium sibi subjicit, quia illud non agit nisi virtute gratiæ, quæ ex mente Augustini *tam alta & secreta sic agit sensum, ut accomodet consensum*. Denique non idcirco rejiciendum est Systema scientiæ mediæ, quod clarius exponat concordiam libertatis cum gratia: imo potius eam ob causam est retinenda; alioquin rejicienda pariter foret communis PP. sententia, quæ docet scientiam visionis ideo non obesse libertati, quia res non ideo futuræ sunt, quia cognoscuntur a Deo, sed potius ideo cognoscuntur quia futuræ sunt; qui modus conciliandi contingentiam rerum futurarum cum præscientia Divina quoad rem coincidit in ipsam scientiam mediam. Revera S. August. ea scientia usus non est contra Pelagianos ut ostenderet stare libertatem cum gratia, quia nihil inde profecisset, eo quod scientia illa supponat gratiæ necessitatem, quam idcirco negabant, quod non satis intelligerent eam conciliari posse cum libero arbitrio: unde necesse habuit S. Doctor recurrere ad alia argumenta. Ceterum & nos profitemur difficilem esse quæstionem de concordia liberi arbitrii cum efficacia gratiæ, atque ideo faciliorem hujus concordiæ viam eligimus, ita tamen ut quam longissime a Semipelagianismo nos removeamus. Ex adverso refellimus absurda

omnia ab Jansenianis (hostibus libertatis humanæ & gratiæ necessitantis patronis) objecta, ut veram Christi gratiam in contemptum adducerent, gratiamque necessitantem a se confictam commendarent.

Objectiones, quæ fieri possunt etiam in nostro systemate contra libertatem hominis, resolvi ex iis debent quæ traduntur in Tract. de Deo ejusque scientia, uti & de libertate actuum humanorum: Nobis satis est præcipua momenta adversariorum refutasse, & nostri systematis capita ita proposuisse, ut inde quisque præjudiciis non occupatus rectum de utraque parte judicium ferre possit.

CCN-

CONTROVERSIA IV.

DE JUSTIFICATIONE ET GRATIA JUSTIFICANTE.

Gratiæ actuales eo tendunt, ut gratia justificans vel acquiratur, vel acquisita conservetur & augeatur. Posteaquam igitur de ipsa gratia actuali prioribus controversiis disseruimus, pertractandum nobis est de Justificatione & gratia justificante, ut eorum, quæ ad gratiam Salvatoris nostri J. C. spectant, nihil quidquam a nobis prætermissum esse videatur. Quæ in hac controversia tractari solent, referuntur vel ad dispositiones Justificationis, vel ad ipsam formalem justificationem, & vel maxime ad divinam illam formam, per quam homo impius renovatur Spiritu mentis, renascitur in Filium Dei consortem Divinæ naturæ, & depositis sordium inquinamentis coram Deo vere Sanctus justificatur.

CAPUT I.

DE DISPOSITIONIBUS AD JUSTIFICATIONEM.

Quod spectat dispositiones Justificationis, tria inquiremus; I. Utrum homo adultus per motum liberi arbitrii se disponere debeat ad gratiam justificantem. 2do, an ad Justificationem requiratur motus fidei & qualis. 3tio, an sola fides ad Justificationem sufficiat, aut quæ sint aliæ dispositiones. Priusquam rem ipsam aggrediamur, præmittemus nonnulla de notione Justificationis, & diversis circa eam opinionibus.

§. I.

§. I.

Nomen & definitio Justificationis, ac variæ Novatorum circa eam opiniones.

I. *Justificatio* varie sumitur in Scripturis. 1. Pro declaratione innocentiæ alicujus hominis, sic Eccles. 7. dicitur: *non te justifices ante Deum.* Isaiæ 5. *Væ qui justificatis impium pro muneribus.* Lucæ 16. *Pharisæi justificabant se ipsos.* 2. Sumitur pro ipsa lege Divina quæ justitiam docet, quo sensu illam vocem accipere amant Novatores: sic Psal. 118. dicitur: *utinam dirigantur viæ meæ ad faciendas justificationes tuas*, & Lucæ 1. *Incedentes in omnibus mandatis & justificationibus sine querela.* 3. Accipitur pro acquisitione justitiæ seu sanctitatis: *justificati gratis per gratiam ipsius;* Rom. 3. & quandoque sumitur pro transitu a carentia gratiæ ad ipsam gratiam sanctificantem, quo sensu loquitur S. Augustinus lib. de sp. & lit. c. 26. *Quid enim aliud est justificati quam justi facti, ab illo scilicet qui justificat impium, ut ex impio fiat justus?* 4. Pro incremento ejusdem justitiæ, ut legitur Apoc. c. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc.*

Gravissima controversia est inter nos & Novatores, quomodo & quo ordine fiat Justificatio, id est quomodo is qui ante erat impius & peccator, fiat justus & Sanctus.

Nos ex fide Catholica nomine *Justificationis* intelligimus benignissimam illam Dei operationem, quæ gratuito per Jesum Christum peccata nostra remittit & delet, novasque nos creaturas efficit, charitatem cum ceteris Spiritus S. donis diffundens in cordibus nostris: ut adeo dicamus justificationem ultra peccatorum remissionem requirere *interioris hominis renova-*

novationem per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, qua homo ex inimico & injusto coram Deo fit amicus & justus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ, ut loquitur Tridentinum *Sess. 6. c. 7.*

Certos autem gradus confitemur, quibus adulti ad Justificationem pervenire solent. Hos eadem *Sess. cap. 6.* indicat Trident. nempe fidem, timorem, spem, dilectionem, pænitentiam seu peccati detestationem, propositum suscipiendi Sacramenti, novæque deinceps vitæ cum observatione Divinorum mandatorum.

Causæ autem Justificationis hoc modo recensentur a Trident. *cap. 7. finalis* quidem gloria Dei & Christi, ac vita æterna: *efficiens* vero misericors Deus, qui gratuito abluit & sanctificat signans & ungens Spiritu promissionis Sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ: *meritoria* autem, dilectissimus unigenitus suus Dominus noster J. C., qui cum essemus inimici, sua passione nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: *instrumentalis* item Sacramentum Baptismi: demum unica *formalis* causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem; Ita ad Verbum Tridentinum.

II. Hæc doctrina Catholica est, a qua in multis discrepant Novatores. Sic enim statuunt: *primo*, justificatio non est acquisitio justitiæ inhærentis, sed imputatio justitiæ Christi, nec

nec ejus effectus formalis consistit in remissione peccatorum, & renovatione hominis interioris; sed in eo quod peccata tegantur & non imputentur, ut adeo peccator in se maneat injustus & impius, & solum habeatur pro justo & mundo propter alienam justitiam sibi imputatam.

Secundo, ut talis justificatio vel potius imputatio justitiæ Christi fiat, nullum requirunt ex parte peccatoris motum liberi arbitrii per modum præviæ dispositionis, sed eam fieri dicunt absque ulla prævia dispositione, motuque liberi arbitrii per solam fidem, qua justitiam Christi apprehendimus & nobis applicamus.

Tertio Triplicem fidem distinguere solent, fidem historicam, fidem miraculorum, & fidem promissionum, ut ex Calvino intelligi potest lib. 3. Instit. c. 2. §. 9. ex Kemnitio in 1. part. Exam. Concilii Trident. & ex aliis. Fidem historicam vocant, qua credimus vera esse, quæ narrantur in sacris literis; de qua Scriptum est ad Heb. 11. *fide credimus aptata esse secula Verbo Dei.* Fidem miraculorum appellant, qua fiunt miracula, de qua 1. ad Corinth. 13. dicit Apost. *si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam &c.* Fidem promissionum, quæ fertur in promissiones Divinas de remissione peccatorum, ut legitur Marci ult. *qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Rursus fidem promissionum aliam generalem, aliam specialem esse docent: generalem, qua credimus promissam esse omnibus credentibus salutem; specialem, qua unusquisque sibi promissionem Divinam applicans credit, seu potius confidit peccata omnia per Christum sibi esse dimissa. Nam fidem Lutherani fere omnes non tam notitiam, vel assensum, quam fiduciam esse definiunt. Atque eam demum fiduciam specialis misericordiæ *fidem justificantem* esse docent.

Quar-

Quarto: dicunt ſolam fidem eſſe cauſam ſeu inſtrumentum, quo juſtificamur: ſicut enim pauper manu apprehendit eleemoſynam, ita peccator fide apprehendit juſtitiam Chriſti, qua indutus coram Deo juſtus apparet. Et quamvis aliqui neceſſitatem aliorum operum ad juſtificationem concedere videantur, minime loquuntur de neceſſitate *efficientiæ*, quaſi ad eam tanquam diſpoſitiones aliquid valeant, ſed de neceſſitate, quam Wittenbergenſes vocant *præſentiæ*, ſeu concomitantiæ, absque concurſu ad actum juſtificationis, quam haberi putant per ſolam in Chriſtum fiduciam. Jam ut dictos errores refellamus, ſit

§. II.

Ad Juſtificationem adultorum requiritur motus liberi arbitrii per modum præviæ diſpoſitionis.

III. Probatur I. ex Scripturis, in quibus remiſſio peccatorum, renovatio per gratiam & juſtificatio promittuntur ſub conditione alicujus actus ex parte peccatoris: 1. Reg. 7. dicitur: *ſi in toto corde veſtro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio veſtri, & præparate corda veſtra Domino.* Iſaiæ 45. *Convertimini ad me, & ſalvi eritis.* Proverb. 16. *Hominis eſt præparare animam*, nempe cum adjutorio Dei tangentis cor hominis per auxilium gratiæ, ut ait Auguſt. Ad Philipp. 2. *cum metu & tremore ſalutem veſtram operamini.* In his & ſimilibus locis poſtulantur ab homine actus converſionis, ut peccatorum remiſſionem conſequatur.

Prob. II. Traditione. Præ aliis Patribus unum audiamus Auguſtinum, qui tract. 72. in Joan. ait: *ſalutem in impio, ſed non ſine impio, operatur.* & Serm. 15. de verbis Apoſt. *qui*

fecit te sine te, non te justificat sine te . . . fecit nescientem, justificat volentem. Quibus verbis insaniam Lutheri præoccupat volentis, liberum arbitrium ad justificationem nihil omnino agere. Quamobrem id aperte definivit Trident. Seff. 6. cap 5. his verbis, quibus pronuntiat exordium justificationis sumi a vocatione, ut homines a Deo aversi *per ejus excitantem & adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur.* Deinde in Can. 3. & 4. declarat, hominem excitatum & adjutum a Deo aliquid operari, *quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet.* Et sane congruum est, ut sicut homo libere se avertit a Deo per peccatum, ita cum Deo non reconcilietur, nisi prius ad eum libere se converterit: Quinam vero actus speciatim requirantur, dicetur infra. Sermo autem hic est de adultis; certum enim est infantes ad justificationem minime præparari per ullum liberi arbitrii actum, cujus sint incapaces.

Sed dices I. si homo posset per proprios liberi arbitrii actus sese disponere ad justificationem, sese justificaret propriis actibus; at hoc dici non potest. *Resp.* D. propriis actibus se justificaret justificatione dispositiva & quidem per actus elicitos ope gratiæ prævenientis & adjuvantis, C. Justificatione formali, aut per actus solis naturæ viribus elicitos, N. Priori sensu veram esse propositionem inde colligimus, quia similes modi loquendi reperiuntur in Script. sic Jerem. 4. *lava a malitia cor tuum.* 2. Corinth. 7. *mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* 1. Joan. 3. *omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se.*

Dices 2do. si ad Justificationem requirerentur actus liberi arbitrii, Deus expectaret voluntatem nostram; atqui juxta Arauf.

Arauſ. ut a peccato purgemur, Deus voluntatem noſtram non expectat. *Reſp.* D. expectaret voluntatem noſtram, quæ cum gratia ad gratiam ſeſe præparet, C. quæ præveniat omnem gratiam, N. Hoc ultimo ſenſu Concilium definivit Deum non expectare voluntatem noſtram, ut a peccato purgemur.

§. III.

Fides neceſſaria eſt ad Juſtificationem: fides tamen juſtificans non eſt ſpecialis fides promiſſionum, ſed ea cenſeri debet, qua credimus vera eſſe quæcunque revelavit Deus, ſeu ſint hiſtoriæ, ſeu miracula, ſeu promiſſiones.

IV. Probatur Pars II. ex Scripturis, qui motum fidei requirunt ad juſtificationem. Joan. 1. dicitur: *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus.* Ad Hebr. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Id ipſum fatentur Patres, & præſertim Auguſtinus, qui paſſim docet ſine fide in Chriſtum nec antiquos ſub lege potuiſſe juſtificari; ſic enim habet *lib. de peccat. orig. c.* 24. Idem aperte definitum eſt a Trident. *Sſſ.* 6. *c.* 6. & 8. Adde rationem D. Thomæ, qui *q.* 113. *a.* 4. ait: ad juſtificationem adulti requiritur motus aliquis liberi arbitrii, quo mens hominis avertatur a peccato & convertatur ad Deum: ſed primus acceſſus ad Deum fit per fidem, juxta illud ad Heb. 11. *accedentem ad Deum oportet credere &c.* ergo.

Probatur Pars II. ex iis Scripturæ locis, in quibus aperte legitur fidem juſtificantem pertinere ad intellectum; fides enim promiſſionum, quæ potius eſt fiducia quam fides, minus proprie pertinet ad intellectum, quia non eſt poſita in aſſenſu, qui præbetur alicui veritati. Joan. 6. dicitur: *verba vitæ æternæ*

 ha-

habes & nos credimus & cognoscimus, quia tu es Christus filius Dei vivi. & cap. 20. *Hæc scripta sunt ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei; & ut credentes vitam habeatis.* Rom. 4. habetur per fidem de omnipotentia Dei justificatum fuisse Abraham, *plenissime sciens quia quæcunque promisit, potens est & facere.* Act. 8. Eunucho baptismum petenti his verbis: *ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* respondit Philippus: *si credis ex toto corde, licet: & respondens ait: credo filium Dei esse J. C.* Hæc fides est Historica, & tamen accipitur a Philippo ut dispositio sufficiens ad baptismum. Jam ita argues: fides, quæ justificat, est ea, quam Christus jussit prædicari, quam Apostoli prædicarunt, & exegerunt ad baptismum & salutem: at ista fides non est sola fides Divinarum promissionum. An enim sola fides promissionum est, quam Apostoli disseminarunt juxta Mandatum Christi Marci 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Certe qualem fiduciam in Christum habere possumus, nisi fides præcedat, qua credimus ejus divinitatem & incarnationem? hæc ergo fides omnium gratiarum fundamentum est, nec aliud ponere possumus, ut inquit Apostolus 1. Corinth. 3. & Augustinus de fide & op. Cap. 15.

Merito igitur Tridentinum ait Can. 12. Seff. 6. *si quis dixerit fidem justificantem nihil aliud esse quam fiduciam Divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse qua justificamur, anathema sit.* Quibus verbis Concilium a dispositionibus requisitis ad salutem non rejicit fiduciam (eam enim requirit eadem *Seff. c. 6. & Seff. 14. c. 4.* sed vult eam fiduciam solam non esse fidem justificantem, sed aliquid ex fide ortum.

V. Objiciunt Novatores varia loca, quibus justificatio vi-

videtur tribui fiduciæ in promiſſiones Divinas, quæ revocari poſſunt ad tria capita, ad exemplum Evangelicum, doctrinam Apoſtoli, & ipſam fidei definitionem. I. De Paralytico legimus dictum illi a Chriſto Matth. 9. *confide fili, remittuntur tibi peccata.* Fides ergo, per quam remittuntur peccata, nihil eſt aliud quam firma in Chriſtum fiducia. II. Apoſt. in epiſt. ad Rom. c. 4. v. 16. ait: *ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio;* quibus verbis commendat fidem duntaxat Divinæ promiſſionis. Addit v. 18. *Qui contra ſpem in ſpem credidit*, atque hic pariter ſpes firmiſſima notatur. Poſtea ait: *in promiſſione Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide - - - ideo reputatum eſt ei ad juſtitiam.* En declarat Abrahamum juſtificatum eſſe ob certam fiduciam. III. Ex eodem Apoſtolo fides eſt *ſperandarum ſubſtantia rerum*, Hebr. 11. ubi græca vox ὑπόστασις *ſubſtantia* notat fiduciæ conſtantiam & firmitatem; de qua etiam Jacobus cap. 1. ait: *poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* Quæ omnia oſtendunt juſtificationem a ſola fide promiſſionum eſſe repetendam.

Reſp. Ex iſtis & ſimilibus textibus id unum colligi, juſtificationem ſequi ad ſpem, quam fideles in Deum, ejusque miſericordiam & promiſſiones collocant, quod nemo negaverit Catholicus. At iſta fiducia non eſt poſita, ut volunt hæretici, in fide quadam ſpeciali promiſſionum, qua homo certiſſime credit peccata ſua eſſe remiſſa, quæ confidentia omnem excludat timorem; nulli enim absque ſpeciali revelatione certo conſtare poteſt, an ſit amore vel odio dignus, ut alibi dicam. Adde talem confidentiam non excludere fidem hiſtoricam. Hinc ad *primum* dico: exemplo Paralytici minime probari, initium juſtificationis eſſe fidem promiſſionum, quæ debeat excludere omnem timorem. Cur enim tanta in Paralytico fiducia, niſi quia per illuſtrationem fidei credebat in Chriſtum &

ejus

ejus omnipotentiam? hæc ergo ſpes & fiducia non fuit prima collati beneficii cauſa, quia jam fidem Chriſti prius conceperat. Quod ſi Paralyticus potuit exuere omnem metum, quia ſine omni ambiguitate Chriſtus illi promiſit remiſſionem peccatorum; non eſt idem dicendum de nobis, quibus datæ ſunt promiſſiones non excludentes omnem metum.

Ad 2*dum* explico textus. Ait Apoſtolus firmam eſſe promiſſionem *ex fide*, quia ad hæreditatem Chriſti non ſolum vocantur Judæi, ſed etiam gentes, quarum per *fidem* Pater eſt dictus. Quid hoc, quæſo, ad inanem fiduciam hæreticorum, cum Paulus in genere tantum affirmet factam promiſſionem *omni ſemini;* non autem ſingulos poſſe firmiter credere, ſe obtinuiſſe gratiam Abrahæ ſemini promiſſam? Quod addidit *contra ſpem in ſpem credidit*, ſignificat tantum Abraham de obtinenda Sobole crediſſe *præter ſpem naturæ*, cum ſenex eſſet, atque his confirmat quæ ſupra dixerat, nonniſi per gratiam & fidem conſtitui Abrahæ poſteros, contra Judæos carnalem propagationem & circumciſionem jactantibus. Ea quæ ſequuntur, contra ipſos hæreticos pugnant: Apoſtolus dicit, Abraham *non hæſitaſſe diffidentia*, ſed non obſtante ætate credidiſſe naſciturum ſibi filium, quia ſciebat Deum facere poſſe, quod promiſit. Quis non videt fiduciam Abrahæ non fuiſſe exordium juſtificationis, ſed potius fidei, qua credebat in Dei veracitatem & potentiam, effectum? Deinde huic fiduciæ acceſſit obedientia qua ambulavit coram Domino; non ergo ſola fiducia illum juſtificavit. Rurſus ſi Abraham non hæſitavit diffidentia, quia tam aperte Deus illi revelavit futurum, ut ex Sara nonagenaria haberet filium; quomodo citra revelationem Dei poteſt haberi firmiſſima ſine ullo timore fiducia? Adde: Abraham juſtificatum eſſe non ob ſolam fidem promiſſionum, ſed quia credidit Deo, ut dicitur Gen. 15.

Ad

Ad 3tium dico: fidem dici *subſtantiam rerum ſperandarum* metonymice, quia præſtat, ut menti firmiter hæreant quæ non videntur & nondum ſubſiſtunt, ut eſt reſurrectio mortuorum, immortalitas corporis glorioſi. Ita Chryſoſt. Theophylact. Theodoretus &c. Alii hunc locum intelligunt ita, ut fides ſit noſtræ ſpei fundamentum. Jacobus docet, ut orans Deum non ſit hæſitans, nihil diſceptans de fide, nec in dubium revocans Dei potentiam & promiſſionem. At ex his quo jure inferas aut ſolam fiduciam juſtificare, aut orantes Deum non poſſe de propria conſcientia timere, non video.

§. IV.

Fides eſt quidem initium & fundamentum Juſtificationis; non tamen ſola juſtificat: ſed alii actus non pure concomitanter, ſed per ſe requiruntur.

VI. Aſſertio hæc definita eſt in Tridentino, quod Seſſ. 6. c. 6. docens modum, quo præparari debemus ad juſtificationem, ponit quidem fidem tanquam initium, ſed alios plures actus enumerat, de quibus infra: Can. autem 9. ait: *ſi quis dixerit ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu diſponi, anathema ſit.* Hanc definitionem probamus:

I. Ex Script. ubi præter fidem eodem modo requirit opera alia; ſic Proverb. 28. dicitur: *qui ſperat in Domino ſalvabitur* (en ſpem & fiduciam) Eccleſ. 1. *Timor Domini expellit peccatum* (ecce timorem) 1. Joan. 3. *qui non diligit manet in morte* (en dilectionem Dei) Lucæ 13. *ſi pœnitentiam non habue-*

bueritis, *omnes similiter peribitis* (en pænitentiam) falsum ergo est quod Novatores obtrudunt, Scripturam solius fidei mentionem facere, ubi sermo est de justificatione.

Prob. II. refutando præcipuum hæreticorum argumentum, quod desumunt ex *capite* 3. & 4. epistolæ ad Rom. ubi scribit Apostolus justificari impium gratis per fidem & redemptionem, quæ est in Christo Jesu, justificari per fidem sine operibus legis, Abraham justificatum esse non ex operibus sed per fidem; atqui inde nihil ostendi potest. Apostolus enim hoc intendit unum, ne Judæi ad fidem Christi conversi hoc nomine glorientur, quod sint semen Abrahæ, quod divinas promissiones acceperint, quod ob circumcisionem aliaque legis opera vocati sint ad Evangelium, non vero per gratiam & redemptionem salvatoris: Huc tendit duorum capitum sermo, ubi docet legem, exclusa fidei gratia, non prodesse ad justitiam, opera tam gentium quam Judæorum ex fide Christi accepta esse Deo, Abraham apud Deum habere gloriam, eo quod factus sit Pater multarum gentium, non per carnis circumcisionem, sed per fidem mediatoris. At qui ita loquitur, excludit duntaxat a justificatione opera quæ fiunt ante fidem & gratiam Christi, hoc est opera legis seu Mosaicæ seu naturalis absque ulla salvatoris fide facta: non autem excludit opera gratiæ & facta per fidem. Mentem Apostoli ex aliis locis collige: Ad Galatas enim c. 5. v. 6. ait: *in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet neque præputium; sed fides quæ per charitatem operatur.* 1. Corinth. 13. *si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Ad Hebr. 11. v. 17. *fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur & unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones.* Ubi commendat in Abrahamo fidem non nudam & sterilem, sed cum opere & obedientia conjunctam.

Con-

Consentiunt Paulo Apostoli alii. S. Petrus hortatur nos, ut simus in sanctis conversationibus & pietatibus, expectantes & properantes in adventum diei Domini: Joannes specialiter tractat de dilectione & observantia mandatorum: Jacobus in sua Epist. c. 2. negat solam fidem ad justificationem sufficere: *quid proderit fratres mei* (inquit v. 14.) *si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? nunquid poterit fides salvare eum?* & subdit v. 24. *videtis quoniam ex operibus justificatur homo & non ex fide tantum.* Dat autem exemplum de Abraham, quem dicit justificatum ex operibus, & ait v. 22. *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est.* Hæc auctoritas adeo urget, ut Lutherus dixerit, etsi temerarie, hanc Jacobi epistolam non esse canonicam. Hujus veritatis traditionem aliunde claram, & a Bellarmino *lib.* 1. *de Justif. c.* 13. fuse pertractatam non adfero; hoc unum noto: audiendos non esse hæreticos reponentes, opera quidem comitari fidem, sed hanc solam apprehendere salutem. Nam ex dictis manifeste apparet non aliam vim justificandi inesse fidei; nisi quam per opera acquirit.

Quæres: quæ opera requirantur ad Justificationem. Resp. id clare docere Trident. Sess. 6. c. 6. his verbis: *disponuntur ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt: atque illud inprimis a Deo justificari impium per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est per*

eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet, denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare vitam novam & servare Divina mandata. His Tridentinum pro dispositionibus ad justificationem in baptismo consequendam requisitis in adulto (idem sentiendum de justitia quæ obtinetur in sacramento pœnitentiæ) requirit cum fide timorem, spem, dilectionem Dei inchoatam saltem, odium & detestationem peccati, votum sacramenti suscipiendi & Divina mandata servandi. Quales porro debeant esse illarum virtutum actus, qualis timor, qualis Dei amor, qualis contritio &c. Fusius jam inquirere præsentis non est instituti.

Refelluntur argumenta Novatorum.

VII. Objiciunt 1. illud Apostoli ad Rom. 3. dictum: *arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Et cap. 4. *si enim Abraham ex operibus justificatus est, habet gloriam sed non apud Deum.* Item: *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Rursus: *credenti in eum, qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei:* & alia similia, quibus inflatus Lutherus ait: figmenta sunt omnia, quæ de præparatione liberi arbitrii ad gratiam tot libris tractata sunt.

Addunt plura alia Scripturæ loca, quæ justificationem tribuunt fidei, ut ad Rom. 1. *Justus ex fide vivit.* 10. *corde creditur ad justitiam.* Matth. 9. *fides tua te salvam fecit.* Et si dicas hæc sumenda esse de fide, quæ per charitatem operatur, extat apertus textus solam fidem commemorans apud Lucam. c. 8. *crede tantum, & salva erit.*

Resp. Juxta Apostolum justificari quidem hominem per fidem

fidem, ſed per illam quæ per charitatem operatur; atque eo duntaxat ſenſu excludi opera, quatenus in ſe ſpectata nullo modo ad juſtitiam perducunt ſed omnem vim recipiunt a gratia Chriſti, ut dixi paulo ante in probatione ſecunda. Rejicit ergo Apoſtolus opera legis ſine fide & gratia facta, non autem opera ex fide & gratia Chriſti facta, alioquin, ut vidimus, ſibi contrarius eſſet Paulus. Hinc Trident. Seſſ. 6. c. 8. ita ait: *cum Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem, ea verba eo ſenſu intelligenda ſunt, ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo & ad filiorum ejus conſortium pervenire.* Neque obeſt quod Apoſtolus dicit juſtificationem *gratis* fieri: nam ea dicitur gratuita, non quia fit ſola fide, ſed aliis ex cauſis. Primo quia nec Judæi nec gentiles merentur illam per opera fidem præcedentia, ut jam dictum eſt. Secundo quia quidquid conducit ad juſtificationem, gratuitum Dei donum eſt; nam ſi fides, quam hæretici dicunt conducere ad juſtitiam, non obſtat quo minus gratuita maneat juſtificatio, certe nec ſpes nec charitas nec alia opera obſtare poſſunt; ſicut enim fides, ita & ſpes & charitas gratuita ſunt Dei dona. Tertio, quia poſito actu fidei, ſpei, & charitatis ſequitur ex mera Dei liberalitate infuſio gratiæ & remiſſio peccatorum: licet enim aliqui putent fidem de congruo mereri juſtificationem, quod alibi videbimus, omnes tamen ſentiunt de condigno non mereri, ac proinde juſtificationem eſſe mere gratuitam.

Alia Script. teſtimonia ſupra allata, quæ tribuunt fidei vim juſtificandi, accipienda ſunt de fide, quæ operatur per charitatem, & quatenus eſt primum donum gratiæ, per quod cetera impetrantur. Sicut enim Scriptura aliquando meminit ſolius fidei, ita aliquando meminit ſolius ſpei, aut dilectionis,

aut pænitentiæ, ut supra vidimus: ergo sicut non excludit fidem, quando meminit solius dilectionis aut pænitentiæ, ita non excludit dilectionem aut pænitentiam, quando meminit solius fidei. Oppositum sane non evincunt hæc verba: *crede tantum, & salva erit.* Non sunt ista prolata de gratia sanctificationis, sed de salute filiæ principis Synagogæ, ejusque a mortuis excitatione: nec exigebat Christus fidem a puella, quam excitare voluit, sed a parente qui pro filia sua deprecabatur.

Objiciunt II. nonnulla testimonia PP. S. Augustinus de fide & operib. c. 14. ait: *sciat quisque per fidem se posse justificari, etiamsi legis opera non præcesserint: sequuntur enim justificatum, non præcedunt justificandum.* Item lib. 1. ad Bonif c. 21. de sanctis veteris testamenti inquit: *quantælibet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit nisi fides mediatoris.* Hilarius cap. 8. in Matth. *fides enim sola justificat.* Similiter in sola fide salutem agnoscunt Chrysostomus *Orat. de fide & lege*, Tertullianus *de Baptismo*, Augustinus rursus *quæst. 76. ex QQ.* 83. Hinc ita argues: si justificationem præcederet aliqua liberi arbitrii dispositio, non possent Patres tribuere soli fidei justificationem, atque hæc non esset gratia sed merces; id autem est falsum.

Resp. Allata PP. dicta minime obesse. Ac primo Augustinus *lib. de fide & operibus* loquitur de operibus, quibus æterna vita tanquam merces rependitur. Nam ibidem inquit: *Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem plenèque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt.* Ait etiam eodem loco, se de hac quæstione prolixius in libro de sp. & lit. disputasse. Hic vero cap. 9. ait: *justificati gratis per gratiam: non itaque justificati per legem,*

non justificati per propriam voluntatem, *sed justificati gratis per gratiam ipsius*, *non quod sine voluntate nostra fiat ; sed voluntas nostra ostenditur infirma per legem &c.* Docet ergo hominem gratis justificari, & opera justificationem non præcedere, quia prior est gratia quam meritum, & bona voluntas ac quidquid justificationem præcedit, supponit gratiam prævenientem. Dum autem D. Doctor altero loco dicit antiquos justos non nisi fide mediatoris salutem consecutos, redarguit Pelagianos docentes: veteres salvos esse factos absque gratia Christi, unde excludit opera solius naturæ viribus facta, non auxilio gratiæ & per fidem Christi perfecta.

Eodem modo explicandi sunt alii Patres, qui vel loquuntur de sola fide exclusis operibus absque gratia factis, vel de fide formata per charitatem, vel in casû quo mors vel impedimentum aliquod superveniat, de sola fide ab operum consummatione, sed non a bona voluntate & proposito servandi mandata sejuncta. Hilarius ergo ait solam fidem justificare excludendo ceremonias legales; loquitur enim ibi de paralitico cui Christus remiserat peccatum, & ait. *movet scribas remissum ab homine peccatum - - quod lex laxare non poterat ; fides enim sola justificat.* Chrysostomus eo loco agit de latrone, qui tempus recte operandi non habuit; propriam tamen iniquitatem confessus est, & regnum Christi speravit & petiit. Tertullianus loquitur de fide formata quam *integram* vocat. Augustinus se explicat eadem quæst. 76. his verbis: *quod si cum crediderit*, *mox de hac vita decesserit*, *justificatio fidei manet cum illo: nec præcedentibus ejus operibus*, *quia non merito ad illam*, *sed gratia pervenit ; nec consequentibus*, *quia in hac vita esse non finitur.* Eodem loco ipse S. Doctor docet Jacobi de operibus sententiam contrariam non esse textui Pauli juxta illud: *non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.* CA-

CAPUT II.

UTRUM IN JUSTIFICATIONE IMPII FIAT VERA PECCATORUM REMISSIO.

VIII. Docent Proteſtantes peccata hominum non ita remitti, ut penitus tollantur, auferantur, deleantur; ſed ut potius tegantur & radantur, quatenus propter juſtitiam Chriſti ipſis imputatam Deus illis non imputat ad judicium & condemnationem, unde veram & proprie dictam peccati remiſſionem quoad culpam non agnoſcunt. Hinc Calvinus aperte negat *lib.* 4. *Inſt. c.* 15., per baptismum nos ſolvi a peccato originali, & idem docuerat Lutherus, ut conſtat ex prop. 2. ejusdem damnata a Leone X., quæ ita ſonat: *in puero poſt baptismum negare remanens peccatum, eſt Paulum & Chriſtum ſimul conculcare.* Contra hos ſit ſequens;

ASSERTIO.

In Juſtificatione Impii peccata mortalia ita remittuntur, ut penitus auferantur & deleantur, nec quidquam remaneat, quod culpæ mortalis rationem habeat.

IX. Veritas hæc contra Sectarios definita eſt in Trident. Seſſ. 5. Can. 5. his verbis: *ſi quis per Jeſu Chriſti gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam aſſerit non tolli totum id quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi & non imputari, anathema ſit.*

Hanc veritatem docent 1. omnes Scripturæ textus quibus dicitur Deus peccata delere, auferre, abluere. Sic Pſ. 50. dicitur: *amplius lava me ab iniquitate mea & a peccato meo munda*

me

me. Isaiæ c. 43. *Ego sum qui deleo iniquitates tuas.* Micheæ. 7. *Quis Deus similis tui qui aufers iniquitatem.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Joan. 1. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Ad Rom. 8. *Nihil damnationis est iis qui sunt in Christo Jesu.* 1. Corinth. 6. post recensita gravia delicta ait Apostolus: *hæc quidem fuistis; sed abluti estis, sed sanctificati estis.* Hæc aliaque loca, si in obvio, proprioque sensu sumantur (accipi autem sic debent, cum nulla sit ratio in oppositum) significant veram animi munditiem, innovationem, pulchritudinem & rectitudinem. Hinc ita argues: eatenus per Sectarios justificantur homines, quatenus non imputantur peccata ad pœnam; at hoc dici quis ferat? cum præfata verba non solum occultationem aut non imputationem, sed veram peccatorum ablutionem & maculæ totalem purgationem exprimant.

Prob. II. Ex Patribus, quorum nonnulla tantum citamus testimonia in re per se clara & evidenti. S. Cyprianus epist. 2. baptismum appellat *mortem criminum.* Chrysostomus in Ps. 50. *sola gratia*, inquit, *sordes perfecte abstergere & nivis candorem conferre potest.* Theodoretus in Psal. 31. *ea liberalitate utitur Deus, ut non modo remittat, verum etiam peccata obliteret, ita ut neque vestigia eorum remaneant.* Hoc ipsum ex professo probat S. Augustinus lib. 1. contra 2. Pelag. epist. c. 13. adversus quendam Pelagianum, qui præfatum errorem Catholicis imponebat, quasi dicerent peccata per baptismum radi, non auferri: *quis hoc*, inquit, *nisi infidelis affirmet? dicimus enim baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere.* Unde hæc scribit Enchirid. 52. Christum cum Adamo comparans: *sicut in illo vera mors facta est, ita & in nobis vera remissio peccatorum, & sicut in illo vera resurrectio,* ita

ita & in nobis vera justitia. Et certe quis non videt in sententia Novatorum manifestam sequi contradictionem? si enim peccata non omnino deleantur, sed aut tegantur aut radantur aut non imputentur, justificati partim sunt filii Dei partim filii diaboli; nam justi vere diliguntur a Deo & sunt filii Dei, 1. *Joan.* 3. homines autem, in quibus peccatum est, odio habentur a Deo, & filii sunt diaboli. Recte igitur ait Trident. *in renatis nihil odit Deus.* At solum peccatum odit Deus; ergo in renatis nihil peccati remanet. Et merito: si enim Scriptura justificatos vocat regeneratos, vivificatos, translatos de morte ad vitam, quomodo in eis manere potest peccatum, quod est mors animæ? an simul consistent mors & vita spiritualis?

Fundamenta Sectariorum.

X. Opponunt inprimis varia Scripturæ loca. 1. ex Psal. 31. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates & quorum tecta sunt peccata, beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Ubi tria ista *remitti, tegi, non imputari* posita sunt ad idem significandum, unumque explicatur per aliud, ita ut remitti peccata nihil aliud sit quam tegi, & tegi nihil sit aliud quam non imputari ad pænam, juxta illud Ezech. 33. *omnia peccata ejus non imputabuntur ei.* & Sap. 11. *misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pænitentiam.* II. Eodem sensu dicitur Psal. 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ & operuisti omnia peccata eorum.* Et 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* III. Isaiæ 64. dicitur: *Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* Et Psal. 142. *Non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Impius ergo post justificationem manet turpis & inquinatus, adeo-

adeoque illius macula non eſt deleta. IV. D. Paulus erat juſtificatus, & tamen illius peccata non erant remiſſa; ſcribit enim Rom. 7. *jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Non ergo tolluntur peccata ſed raduntur, quia in juſtificato remanet concupiſcentia radix peccati.

His objectis ex ordine ut ſatisfaciamus, *Reſp. ad 1mum:* duplex eſt peccatorum tectio, & non imputatio, prima, qua duntaxat occultantur ne appareant; ſecunda, qua curantur ne remaneant. De hac poſteriore intelligendi ſunt textus, ita ut *tegi, non imputari peccata* nihil aliud ſonet, quam ea a Deo deleri & auferri. Sic intelligit S. Auguſtinus Enarrat. 2. in Pſal. 31. ita loquens: *cooperta ſunt peccata, tecta ſunt, abolita ſunt - - - nec ſic intelligatis, quod dixi: cooperta ſunt, quaſi ibi ſint & vivant.* Quod ſi in ſenſu hæreticorum intelligerentur hi textus, an ſalvabis ea loca a nobis adducta, in quibus dicuntur peccata *tolli, deleri, auferri?* Teguntur igitur in juſtificatione ſcelera noſtra, non ut latitent & vivant, ſed ut ſanentur & deleantur.

Ad 2dum dico: verba iſta ex Pſalmis ſumpta *operiri peccata* eſſe metaphorica metaphora ſumpta ex eo, quod terra obruitur, vel aqua mergitur, ut intereat. Sic de Ægyptiis dicitur Exod. 15. *operuit eos mare, ſubmerſi ſunt &c.* & Micheæ 7. *projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*, ut nempe deleantur & pereant. Textus autem alterius genuinus ſenſus eſt, non quod charitas operiat multitudinem peccatorum ejus, in quo eſt charitas, ſed quod operiat peccata proximi. Qui enim ex charitate proximum diligit, peccatis ejus non inſultat, ſed ea, quantum poteſt, tegit & patienter portat; nam ibi charitatem proximi Apoſtolus commendat.

Ad 3*tium* Refp. Ifaiæ textum dupliciter exponi poffe. Primo prænuntiat Propheta abjiciendas poft promulgationem Evangelii purificationes legales tanquam immundas (quas appellat *juftificationes* etiam Paulus ad Heb. 9.) atque poft adventum Chrifti Judæos in fua lege merito habendos tanquam reos & contaminatos. Hanc expofitionem confirmat Cornelius a Lapide ex verfione Arabica, & ex Comment. Hieronymi. Alii docent Prophetam ibidem loqui in perfona totius populi Judaici, cujus maxima pars Deum dereliquit; unde merito dicit *facti fumus omnes ut immundi.* Et licet aliqua opera, quæ juftitias effe putabant, facerent, nempe feftorum legalium obfervantiam, facrificiorum oblationes; quia tamen ex continuo affectu ad fua crimina, & bonæ intentionis aliarumque circumftantiarum defectu ea peragebant, ideo coram Deo comparantur panno menftruatæ, quia efto aliquod appareret bonum & mundum, prava tamen intentio totum opus maculabat. Non tamen fic omnes vocat immundos, quafi in toto illo populo nullus foret juftus: aderat enim inter alios Ifaias ipfe, qui v. 5. dixerat: *occurrifti lætanti & facienti juftitiam;* fed ut ait Auguft. lib. de Unit. Ecclef. c. 12. *plerumque fermo divinus impias turbas Ecclefiæ fic redarguit, quafi omnes tales fint, & nullus omnino bonus remanferit.* Porro Pfalmifta per illa verba: *non juftificabitur in confpectu tuo omnis vivens*, non negat hominem vere juftificari, cum dicat Pfal. 17. *& retribuet mihi Dominus fecundum juftitiam meam:* fed negat hominem poffe juftificari comparate ad Deum, quo fenfu Job cap. 4. ait: *nunquid homo Dei comparatione juftificabitur, aut factore fuo purior erit vir?* noftra quippe juftitia quoditianis defectibus obfcurata pro nihilo reputatur comparate ad juftitiam Dei.

Ad 4*tum* aio: Apoftolum intelligere Rom. 7. per *peccatum*

tum concupiſcentiam, quæ vocatur peccatum materialiter non formaliter, *non quod vere & proprie in renatis peccatum ſit*, ut ait Trident. Seſſ. 5. Can. 5., ſed *quia ex peccato eſt & ad peccatum inclinat.* Hæc ergo non impedit, quin homo ſit juſtus.

XI. Opponunt II. nonnulla PP. dicta. S. Hieronymus lib. 3. in Jerem. v. 13. citata verba Davidis: *non juſtificabitur in conſpectu tuo &c.* ait non eſſe referenda *ad comparationem Dei, ut veteres & novi hæretici volunt, ſed ad ſcientiam ejus.* Addit rationem: quia *homo videt in facie, & Deus in corde, & quod vitiis atque peccatis omnis impletur humana conditio.* Gregorius lib. 35. moral. omnia in homine *pura mala* declarat. Ambroſius explicans lib. 2. de Jacob Juſtificationem, utitur exemplo ejusdem Jacob veſtimentis ſeſe Eſau & pelle hædina occultantis. Quæ ſane oſtendunt hominem ſemper eſſe contaminatum, & juſtitia Chriſti tantum contegi extrinſece. Et certe nemo juſtificatur, qui non perfecte implet præceptum charitatis, juxta illud 1. Joan. 3. *qui non diligit, manet in morte;* atqui ex D. Auguſt. *lib. de perfect. juſt. cap.* 8. nemo in hac vita poteſt perfecte implere præceptum charitatis.

Reſp. D. Hieronymum reſpexiſſe ad humanam conditionem gratia Divina deſtitutam, nec non ad peccata venialia, in quæ etiam juſtus cadit. Quare novos & veteres hæreticos vocat D. Doctor Origeniſtas & Pelagianos, qui docebant poſſe hominem vivere absque peccato. Gregorius loquitur de bonis operibus, quæ talia videntur oculis noſtris, & quorum honeſtatem vitioſus affectus contaminat. In comparatione Jacob cum homine juſtificato ex Ambroſio (ſi tamen non eſt ſuppoſita) neceſſe non eſt ut adæquata ſit ſimilitudo. Juſtitia Chriſti, qua cooperimur, juſtificationis cauſa eſt merito-

ritoria, non formalis, & in hoc sita est comparatio, quod sicut Jacob aliena erat veste indutus, ita Christus factus in similitudinem carnis peccati vere lanquores nostros tulit. Denium nemo in hac vita perfecte implere potest præceptum charitatis quoad omnem modum & intensionem; potest tamen quoad substantiam. Implere inquam illud nemo potest ea intensionis perfectione, qua implebitur in Patria, ut scilicet toto conatu, nullo carnis motu animam retrahente & nullo peccato veniali ardorem charitatis minuente in Deum feratur, quod unum voluit Augustinus. At vero illud mandatum justi implent defacto quoad substantiam, Deum appretiative super omnia diligendo, & quamvis committant venialia peccata, per ea quidem fervorem charitatis minuunt, gratiam autem & charitatem non amittunt.

CAPUT III.

UTRUM IN JUSTIFICATIONE PRÆTER REMISSIONEM PECCATORUM INTERIOR FIAT RENOVATIO PER GRATIAM ET CHARITATEM INHÆRENTEM.

XII. Refutatis jam præcedentibus hæreticorum erroribus, ad præcipuam eorum doctrinam refellendam aggredimur. Sectarii nostri temporis nullam propriam veramque justitiam admittunt, sed *forensem* tantum & politicam, quæ posita sit in sola supremi Judicis declaratione & remissione peccati per solam imputationem justitiæ Christi, non vero per gratiam & charitatem animæ justorum inhærentem. *Ita nos*, inquit Calvinus l. 3. Instit. cap. 11. §. 2., *justificationis interpretamur acceptionem - - - eamque in peccatorum remissione ac justitiæ Christi imputatione positam esse dicimus.*

Di-

Discrimen vero hic notandum est inter Lutheranos & Calvinianos: illi enim gratiam, qua justificamur, constituerunt in sola remissione peccatorum, aut externo Dei favore; hi autem in sola imputatione justitiæ Christi. Martinus Becanus *lib.* 1. *de Justif.* contendit Calvinum docere pugnantia, eo quod aliis in locis mentionem fecerit inhærentis justitiæ & charitatis: at notandum est hæreticum illum non negasse habitus virtutum animæ justi inhærentes, ut fatetur Petrus Martyr *de locis comm. classe* 3. *cap.* 3., sed negasse duntaxat hos habitus vim justificandi habere, quam consistere dicit in externa & quasi forensi condonatione.

Adversus hos hæreticos propugnant DD. Catholici justitiam inhærentem, & charitatem quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Ita enim loquitur Trident. Sess. 6. cap. 7. *Hanc præparationem justificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum; unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Addit postea: *unica formalis causa est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes.*

Dogma Novatorum damnatum est duplici potissimum Canone 10. & 11. Prior ita habet: *si quis dixerit, homines sine Christi justitia, per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse, anathema sit.* Posterior talis est: *si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum S. diffundatur, atque illis*

illis inhæreat, *aut etiam gratiam*, *qua justificamur*, *esse tantum favorem Dei*, *anathema sit.* Hanc veritatem ut stabiliamus, sit sequens

ASSERTIO.

Homo non justificatur formaliter per justitiam Christi fide apprehensam, ac sibi imputatam; sed per justitiam ex meritis Christi in se derivatam, sibique inhærentem.

XIII. Prob. I. ex Scripturis. Ezechiel spiritum sanctificationis promittens ait c. 38. *Mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris*, *& dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri.* Apostolus Rom. 5. justificatos alloquens: *charitas Dei*, inquit, *diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Ipse Christus Apostolos suos ante mortem his verbis solabatur Joan. 14. *si quis diligit me*, *sermonem meum servabit*, *& ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Jam ita arguimus: in Justificatis immutatur cor, innovatur Spiritus, novaque fit interior habitudo, diffunditur charitas, & Deus inhabitat, ac peculiari modo permanet: atqui hæc omnia ostendunt hominem justificari per inhærentem justitiam. Id confirmat S. Joannes in Epist. 1. cap. 3. ita loquens: *omnis qui natus est ex Deo*, *peccatum non facit*, *quoniam semen ipsius in eo manet.* In renatis ergo ex Deo per gratiam, datur aliquid permanens velut semen Dei: nullus enim ex altero nascitur, nisi quatenus intrinsece participat naturam ejus, ex quo nascitur, & cujus filius efficitur. Sicut igitur naturaliter nobis inhæret natura hominis, per quam sumus filii Adæ, ita per gratiam inhæret nobis supernaturaliter participatio naturæ Divinæ, qua regeneramur in filios Dei. Hinc Joan. 3. dicitur: *quod natum est ex carne*, *caro est*, *quod natum est ex Spiritu Spiritus est.* Et ad Titum 3

Sal-

salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per J. C. Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ; & ut loquitur D. Petrus epist. 2. c. 1. *ut efficiamur Divinæ consortes naturæ.* Ex quibus manifeste colligitur justos fieri *filios Dei* per adoptionem, non legalem & declaratoriam, sed aliam altioris ordinis, quæ novam in nobis generationem, vitam, salutem, ac spiritum efficit.

Adde illos textus quibus exprimuntur charismata per Spiritum S. nobis donata. Ad Ephes. 1. justi *signati sunt Spiritu promissionis sancto:* 2. Corinth. 1. *acceperunt pignus Spiritus,* & 1. Corinth. 6. fiunt *templum Spiritus Sancti.* At hæc inhærentem sanctitatem significant: *signari* enim notat fieri justum & separari ab improbis quodam quasi signaculo & caractere. *Pignus* quoque & arrha non sola promissio est, sed quædam portio ejusdem rei quæ promittitur. Inhabitatio Spiritus S. non est sola Divina substantia aut immensitas (alioquin non in solis justis sed & improbis Deus tanquam in *templo* maneret) sed est etiam energia, effectus, charisma, quo anima afficitur & ornatur. Alia quam plurima hac de re testimonia videri possunt apud Bellarminum.

Prob. II. Ex Patribus. S. Basilius lib. de Sp. S. c. 17. ait: *sicut potentia videndi in oculo sano, ita & efficacia Spiritus in anima purgata;* atqui potentia videndi intrinsece est in oculo sano, in eoque perseverans. S. Cyrillus lib. 4. in Isaiam dicit: *formatur in nobis Christus, Sancto nobis Spiritu Divinam quandam formam per justificationem inducente.* S. August. lib. de Sp. & lit. cap. 9. in illa verba Apost. *justitia Dei manifesta est* ita habet: *non dixit justitia hominis vel justitia propriæ voluntatis,*

ſed juſtitia Dei, non qua Deus juſtus eſt, ſed qua induit hominem cum juſtificat impium. Et cap. 11. *ideo juſtitia Dei dicitur, quod impertiendo eam juſtos facit, ſicut Domini eſt ſalus qua ſalvos facit.* Deo igitur tam ſalus quam juſtitia tribuitur; at non dicitur homo ſalvatus, niſi Deus impertiens vitam æternam ipſum vera ſalute donet: non ergo dicendus eſt juſtificatus, niſi Deus delens iniquitatem veram ei juſtitiam tribuat. Hinc lib. de peccat. meritis c. 10. ait: *legimus juſtificari in Chriſto qui credunt in eum propter occultam communicationem & inſpirationem gratiæ ſpiritalis, qua quiſquis adhæret Domino unus ſpiritus eſt.* Hæc aliaque D. Doctoris teſtimonia adeo aperte contra Novatores pugnant, ut Calvinus lib. 3. Inſt. c. 11. §. 15. dicat Auguſtini ſententiam vel ſaltem loquendi rationem non per omnia recipiendam eſſe; at utri potius credendum ſit Auguſtino an Calvino quiſque judicet.

Probat. III. Variis momentis. *Primo*, Juſtificatio non conſiſtit in ſola peccatorum remiſſione, ſed & in ſanctificatione & renovatione hominis interioris, ut ex hactenus allatis textibus conſtat; ſed hæc hominis interioris renovatio quomodo fiat ſine gratia & juſtitia inhærente non apparet. *Secundo*: Juſtitia Chriſti ex Apoſtolo *Rom.* 5. noſtra eſt, ſicut peccatum Adæ eſt noſtrum peccatum: atqui peccatum Adæ noſtrum eſt, non per externam ejus injuſtitiam aut hujus imputationem, ſed per peccatum ejus originaliter in omnes derivatum, ac unicuique proprium & intrinſecum: ergo ſimiliter juſtitia Chriſti noſtra eſt non per ſolam extrinſecam ejus imputationem, ſed per juſtitiam & gratiam nobis inhærentem. *Tertio*: juſtitia per quam homines juſti ſunt, ſuſcipit magis & minus, minuitur vel augetur; unde Apocal. 22. dicitur: *qui juſtus eſt juſtificetur adhuc, & Sanctus ſanctificetur adhuc*: & 2. Petri 3. *Creſcite in gratia & in cognitione Domini noſtri J. C.* Atqui ju-

ſtitia

stitia Christi crescere & augeri non potest: ergo crescere & augeri dicenda est justitia quæ in nobis hæret. Et quidem si, ut ait S. Petrus, crescere debemus in gratia & cognitione Christi, consequitur gratiam esse in nobis, sicut cognitio Christi in nobis est per fidem ab ipso derivata.

Refelluntur fundamenta Novatorum.

XIV. Præcipua contra nostram doctrinam sunt quæ ex Scripturis profert Calvinus lib. 3. Instit. cap. 11. quæ ordine proponemus & diluemus. 1. Rom. 4. v. 3. dicitur: *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam:* & v. 5. *credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam*, id est acceptatur fides ejus, qua credit justitiam Christi ad se pertinere, & sic justificatur justitia Christi gratis sibi imputata. Quæ expositio mentem Apostoli assequi videtur, qui in hoc capite justitiam undecies vocat imputationem. II. Ephes. 4. ait Apostolus debere nos induere novum hominem ut simus justi: *induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia & sanctitate.* At induere novum hominem idem est ac induere Christum, ejusque justitiam externam: ergo nostra justificatio posita est in justitia Christi. III. Qua ratione Adam nos peccatores constituit, eadem nos Christus justos facit, juxta illud Rom. 5: *sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Atqui peccatum Adæ est forma extrinsece tantum ejus posteros constituens peccatores; ergo & justitia Christi extrinsece tantum denominat justos. IV. Christus 1. Corinth. 1. *Factus est nobis sapientia a Deo, & justitia & sanctificatio & redemptio*, & Philipp. 3. *Inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est C. J. quæ ex Deo est justitia in fide.* Nos

ergo non habemus justitiam sed sumus justi per justitiam Christi. V. Hinc dicitur 2. Corinth. 5. *Eum qui non noverat peccatum pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.* Atqui Christus factus fuit peccatum per imputationem peccati nostri; ergo nos efficimur justitia Dei per imputationem tantum justitiæ Christi.

Primum locum ut resolvamus, notandum est, quod *Num.* 6. ostendi, Apostolum eo loco illos redarguere, qui putabant justificationem haberi non ex fide in Christum, sed ex observatione legis & per carnis circumcisionem: hinc eos textus nihil aliud probare, quam justificationem ex fide & gratia Christi suum habere initium. Non enim dicit, quod credenti in Deum imputetur justitia, sed quod fides reputetur ad justitiam: non quia fide, quasi manu, apprehendimus justitiam Christi, sed quia fides est dispositio ad obtinendam justitiam. Nihilominus distingui potest hæc propos. Scriptura justitiam sæpe explicat per imputationem externam, N. internam, C. hæc enim in eo est, quod subjecto aliquid imputatur, quod revera in eo est. Nam Scripturæ interdum justificationem hominis designant per imputationem justitiæ Christi, sed quæ sit imputatio interna supponens præter benignitatem Dei salvatoris, veram & internam in homine gratiam per Spiritum S. datam; id enim manifeste declarant testimonia a nobis adducta.

Ad 2*dum* D. maj. debemus induere novum hominem per justitiam internam & inhærentem, C. per solam ipsius Christi justitiam imputatam, N. Nam induere novum hominem est transire a statu peccati ad statum gratiæ, ita ut qui novum hominem induit, monente Apost. simul deponat hominem veterem; sed homo vetus, qui deponitur, est peccatum unicuique inhærens. ergo induitur quoque novus homo per justitiam

tiam inhærentem. Certe Apoſtolus ad Epheſ. & Coloſſ. docet nos induere novum hominem, dum renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & reformamur ſecundum Divinam imaginem: at renovatio ſpiritus & reformatio Divinæ imaginis notant interius animæ ornamentum.

Ad 3*tium* retorqueo imprimis argumentum. Eodem modo conſtituuntur homines juſti per obedientiam Chriſti, quo per inobedientiam Adami conſtituti ſunt peccatores: atqui homines conſtituti ſunt peccatores, non per externam Adæ injuſtitiam aut ejus imputationem, ſed per peccatum ab eo originaliter in omnes derivatum, ac unicuique proprium & intrinſecum; ergo ſimiliter homines conſtituuntur juſti, non per ſolam extrinſecam Chriſti juſtitiam & ejus imputationem, ſed per juſtitiam intrinſecam per ejus merita in eos derivatam. Diſtingues ergo propoſitionem aſſumptam: peccatum Adæ eſt forma extrinſece tantum denominans peccatores, & ſimul inferens intrinſecam peccati rationem, C. non inferens, N. Equidem peccatum Adæ ejus poſteris fuit extrinſecum ſed peccatum originale inde derivatum unicuique proprium eſt, neque conſiſtit in mera imputatione peccati ab Adamo commiſſi. Tenet ergo paritas adducta, ſed inde nihil inferri poteſt: ſicut enim peccatum Adæ eſt cauſa efficiens & demeritoria peccati noſtri originalis, ita juſtitia Chriſti eſt cauſa meritoria juſtificationis; & ſicut peccatum originale eſt nobis intrinſecum & permanens, ita juſtitia noſtra eſt nobis intrinſeca & permanens, ut fuſius dicam capite ſequenti.

Ad 4*tum* retorqueo argumentum: Chriſtus factus eſt nobis *juſtitia*, ſicut dicitur factus *ſapientia*; ſed non eſt noſtra ſapientia quaſi formaliter ſapientes ſimus per illius ſapientiam; ergo nec factus eſt nobis juſtitia quod per illius juſtitiam ſimus

formaliter justi. Scriptura sæpissime loquitur per metonymiam appellando causam loco effectus, ut Psal. 26. *Dominus illuminatio mea & salus mea*, id est causa illuminationis & salutis meæ. Eodem modo Christus dicitur justitia nostra, utpote ejus meritoria causa. In altero textu Apostolus dicit se non habere justitiam *suam ex lege* id est propriis operibus legis, sed eam habere per fidem Christi; quo nihil aliud notatur, ut supra dixi, quam fidem esse initium justificationis, & per eam opera Deo fieri grata.

Ad 5tum Resp. disparitatem colligi ex ipso textu. Nam Christus factus fuisse peccatum (nempe hostia pro peccato, non vero habens in se peccatum) dicitur ibi his verbis: *qui peccatum non noverat*. At nos Justos fieri unice justitia Christi nobis imputata, nec Scriptura dicit nec Patres consentiunt, ut hactenus diximus. Sensus ergo allati textus est: quod sicut causa efficiens & meritoria passionis & mortis Christi non est peccatum proprium, sed nostrum; ita causa efficiens & meritoria, qua justificamur, non est justitia nostra, sed Christi; per cujus mortem gratiam omnem obtinemus. Ceterum ut Christus ob peccatum, quod nobis inerat, vere mortuus est, & factus pro peccatis nostris sacrificium; ita ob justitiam, quæ in illo est, vere nos morimur peccato & vere obtinemus vitam & novitatem Spiritus.

CAPUT IV.

DE NATURA ET EFFECTIBUS GRATIÆ SANCTIFICANTIS.

Hactenus egimus contra hæreticos, ostendimusque justificationem fieri per gratiam & justitiam inhærentem: cum vero

vero in explicanda hujus justificantis gratiæ natura variæ sint & discrepantes scholasticorum opiniones, operæ erit pretium eas breviter examinare.

§. I.

Adferuntur variæ scholasticorum opiniones.

XV. Controversia olim erat inter DD. Theologos, an gratia quæ per baptismum parvulis confertur, sit quid permanens & per modum habitus; refert enim Innocentius III. cap. *majores* tit. de Baptismo varias Theologorum opiniones, quorum alii asserebant per virtutem Baptismi parvulis quidem culpam remitti, sed fidem aut charitatem, aliasque virtutes non infundi: alii contra dicebant dimitti peccatum, & virtutes infundi habentibus illas quoad habitum, non quoad usum, donec perveniant ad ætatem adultam. Sed clarius de hoc loquitur Concilium Viennense Clement. de summa Trinit. & fide Cathol. ubi sic statuit: *quantum ad effectum Baptismi in parvulis, reperiuntur quidam Theologi opiniones contrarias habuisse, quibusdam dicentibus per virtutem baptismi parvulis quidem culpam remitti sed gratiam non conferri, aliis contra asserentibus, quod & culpa eisdem in Baptismo remittitur, & virtutes ac gratia informans infunduntur quoad habitum. Nos opinionem secundam tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum & Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, Sacro approbante Concilio, duximus deligendam.* Quod approbavit Concilium Viennense, id docuit Tridentinum Sess. 5. in Decreto de peccato originali, ubi statuit 1. parvulos veraciter baptizari in remissionem peccatorum, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. 2. In eisdem non solum tegi aut non imputari, sed etiam tolli totum id quod veram & pro-

priam

priam peccati rationem habet. 3. Quod novum induentes hominem innocentes, immaculati, puri & Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Quæ cum sine gratia sanctificante stare nequeant, manifeste sequitur per Baptismum gratiam infundi parvulis omnis actus incapacibus. Jam cum æqualis sit conditio gratiæ, quæ adultis & parvulis confertur, manifestum est gratiam sanctificantem in Adultis æque ac parvulis esse aliquid permanens per modum habitus.

Quæritur, utrum de fide sit gratiam sanctificantem esse quid permanens, & habituale. Qua in re videtur id non fuisse ut dogma fidei receptum ante Concilium Tridentinum, ut patet ex Cap. *majores* supra cit. & Concilio Viennensi, ubi opposita sententia non proscribitur: at post Trident. Theologi varie sentiunt. Dominicus Soto lib. 2. de nat. & grat. cap. 17. Melchior Canus lib. 7. de locis Theolog. cap. 2. & alii fatentur id sine ingenti temeritate negari non posse, sed contendunt id definitum non esse, cum Patres Tridentini consulto a nomine *habitus* abstinuerint, & tantum definierint, Justificationem non in sola remissione, aut non imputatione peccatorum esse constituendam, sed in interna renovatione, quæ utrum fiat per actualem an habitualem gratiam, controverti potest salva fide. Bellarminus lib. 1. de grat. & lib. arb. c. 3. Suarezius lib. 6. de grat. c. 3. & alii affirmant veritatem hanc esse definitam expresse a Tridentino, quibus consentit Cathechismus Romanus, qui in tract. de Baptismo ita habet: *est autem gratia, quemadmodum Trident. Synodus ab omnibus credendum, pœna anathematis proposita, decrevit, non solum per quam peccatorum fit remissio, sed Divina qualitas animæ inhærens.* Alii docent hanc veritatem deduci ex Verbis Concilii tanquam conclusionem, ac proinde oppositam opinionem esse erroneam;

neam; ſed negant eſſe expreſſe definitam & fide Divina credendam.

XVI. Etſi vero conſentiant omnes fere ſcholaſtici, gratiam qua formaliter juſtificamur permanentem eſſe & habitualem, in explicanda tamen illius natura inter ſe diſſident. Theologorum plerique (qui Peripateticam philoſophandi rationem ad quæſtiones Theologiæ Scholaſticæ dilucidandas traduxerunt) intelligunt per gratiam *habitualem* formam quandam creatam abſolutam, quæ ſit qualitas realis & entitativa, ut aiunt, animæ infuſa, eamque denominans juſtam, Sanctam, Divinæ naturæ participem, & hæredem vitæ æternæ. Recentiores (qui nulla accidentia abſoluta admittunt ſeu materialia ſeu ſpiritualia) agnoſcunt Divinas habitudines & impreſſiones in anima juſti permanentes per modum habitus, qui tamen non ſit qualitas entitativa: non enim credibile eſt, inquiunt, Tridentinos Patres voluiſſe definire quæſtionem philoſophicam prorſus inutilem in materia de qua agebatur. Nempe proſcribendus erat Novatorum error, qui juſtificationem reponebant in externo Dei favore, & ſtatuendum dogma Catholicum ſcilicet juſtificationem fieri per interiorem Spiritus immutationem: atqui iſta renovatio magis perficitur per impreſſionem & habitudinem factam per communicationem Spiritus S., quam per formam creatam & qualitatem abſolutam. Quare dicti Authores gratiam Sanctificationis appellant quidem habitum & qualitatem, quæ tamen non ſit accidens quoddam abſolutum, ſed habitudo quædam animæ proveniens a Spiritu Sancto inhabitante, ejusque virtute impreſſa quaſi Divinitatis imago & interna pulchritudo juſtitiæ, per quam juſti, Deique amici vere nominamur & ſumus.

Magister sententiarum lib. 1. dist. 17. affirmare videtur gratiam & charitatem esse ipsum Spiritum S. corda justorum inhabitantem. Hunc secutus est Petavius lib. 8. de Trinit. c. 4. asserens Spiritum S. cum justis ita communicari, ut modus iste non sit tantum accidentarius seu talis, qui qualitate duntaxat quadam supernaturali perficiatur, sed substantialis etiam, ita ut substantia ipsa Spiritus S. cum illis jungatur, eosque sanctos, justos, Deique filios adoptivos efficiat. Hanc animæ cum Spiritu Divino unionem dicunt hujus sententiæ Patroni non esse physicam aut hypostaticam (alioquin homo non esset persona extranea, prout requiritur ad adoptionem) sed moralem & affectivam, quæ animæ justi ita appropriet Spiritum Sanctum, ut in ea dicatur specialiter habitare, illamque regere. Spiritus ergo Sanctus nobis donatus est forma filiationis adoptivæ, sicut naturalis filiationis forma est natura similis communicata per generationem; quia tamen donatur Spiritus S. in ordine ad animam sanctificandam & disponendam ad actus supernaturales, ideo non est forma sed radix sanctitatis & justitiæ, quæ in anima suscipit magis & minus, prout magis & minus donatus Spiritus S. relate ad effectus sanctitatis, eo modo quo in sacrificio & sacramento Eucharistiæ donatur nobis Christus relate ad effectum finitum juxta mensuram dispositionis cujusque.

Certum apud omnes est charitatem a gratia habituali nunquam esse disjunctam, ac proinde illum, qui gratiam habitualem recipit, etiam charitatis habitum sibi infusum recipere. Sed controversum est, an gratia & charitas sint quid unum, an vero illarum habitus revera inter se sint distincti. Gratiam eandem esse cum habitu charitatis docent S. Bonaventura, Scotus, Durandus, Bellarminus, & alii, nixi hac ratione quod in Scripturis omnes effectus gratiæ sanctificantis

tis charitati tribuantur. At contrarium S. Thomas, & omnes ejus doctrinæ Sectatores propugnant.

§. II.

Exponitur, quid sit gratia sanctificans.

XVII. Tres hoc loco sunt quæstiones: una, an gratia sanctificans sit aliquid permanenter animæ inhærens; altera, utrum ea gratia sit ipse Spiritus S. nobis communicatus, an vero illius effectus & donum; tertia, an gratia sit a charitate distincta. Sit igitur.

ASSERTIO I.

Gratia sanctificans est aliquid internum, inhærens & distinctum ab actu fluente ac transitorio; adeoque recte appellatur habitualis,

Probat. ex Scripturis. Joan. 14. dicitur: *ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus:* Joan. 4. *qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo.* 1. Corinth. 3. *nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis.* Hic modus loquendi venire ad aliquem, mansionem apud eum facere, habitare tanquam in templo denotat aliquid internum & permanens. Hinc gratia dicitur esse *Semen Dei*, 1. Joan. 3. *pignus hæreditatis*, Ephes. 1. *signaculum Spiritus Sancti*, ibidem cap. 4. Adde illud ad Titum 13. *salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S.* Porro sicut terminus generationis & creationis est aliquid fixum & permanens, ita & regenerationis & renovationis spiritualis.

Prob. II. ex Patribus, qui docent eos perfectos esse, qui

ſpiritum in ſe perſeverantem habent, ita Irenæus lib. 5. c. 6. dicunt operationem Spiritus Sancti ita eſſe in homine juſto, ſicut ars eſt in artifice, ſanitas in corpore, verbum in mente; quas comparationes habet S. Baſilius lib. de Sp. S. c. 26. Aiunt impreſſionem gratiæ ſimilem eſſe picturæ; gratiam eſſe animæ ſanitatem, vigorem, Dei filiationem, novam nativitatem & regenerationem, quibus certe omnibus aliquid internum & permanens ſignificant. Hinc Tridentinum definivit Seſſ. 6. Can. 11. *Juſtificationem fieri per gratiam nobis inhærentem*, & cap. 7. *per juſtitiam in nobis receptam:* & can. 32. Juſtificatum bonis operibus vere mereri *augmentum gratiæ:* at gratia, quæ non eſt permanens ſed tranſiens, non poteſt dici creſcere & augeri.

Prob. III. Infantes per Baptiſmum accipiunt juſtitiam inhærentem, vere ſanctificantur & fiunt filii Dei adoptivi, non per actum aliquem, cum ſint omnis actus moralis incapaces: ergo per aliquid habituale; ergo etiam adulti juſtificantur per aliquid habituale, cum unica ſit pro omnibus cauſa formalis juſtificationis.

ASSERTIO II.

Gratia habitualis & habitus charitatis reipſa diſtinguuntur.

XVIII. Probatur hæc ſententia hac potiſſimum ratione, quod videatur magis conſentanea dictis Scripturarum & Conciliorum, quæ de gratia & charitate tanquam de duobus donis diſtinctis loquuntur; ut Rom. 5. *charitas Dei diffuſa eſt per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Super quæ D. Thomas q. 27. de Verit. art. 2. ita habet: *ergo donatio Spiritus S. præcedit charitatem ſicut cauſa effectum: ſed Spritus S. datur ſecundum aliquod donum ſuum; ergo aliquod donum eſt in nobis quod præcedit charitatem, & hoc non videtur eſſe aliud quam gratia;*

ergo

ergo gratia est aliud quam charitas. Rursus 2. Corinth. 13. dicitur: *gratia Domini nostri J. C. & charitas Dei &c.* Item 1. Timoth. 1. *Superabundavit gratia Domini nostri cum fide & dilectione*, ubi gratiam a charitate distingui insinuatur sicut a fide. Idem notat Tridentinum, dum Sess. 6. cap. 7. docet hominem justificari *per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum;* ita ut in justificatione *hæc omnia simul infusa accipiat homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.* Et Can. 11. damnat eum qui dixerit hominem justificari *exclusa gratia & charitate.*

Probatur etiam rationibus D. Thomæ. *Primo:* quævis natura distinguitur a suis proprietatibus; sed gratia justificans est quædam natura in ordine supernaturali, & habitus sunt ejus proprietates supernaturales; ergo. *2do:* gratia non est principium immediatum & proximum intelligendi in ordine supernaturali, sed id præstat intermedia fide, ut admittunt adversarii; ergo multo minus erit principium proximum diligendi Deum in eodem ordine, cum vis intelligendi proximior sit naturæ quam vis appetendi, ut adeo D. Thomas probet p. 1. q. 19. a. 1. in Deo esse vim volitivam, quia in eo est vis intellectiva. *3tio:* Virtutes acquisitæ per actus humanos sunt dispositiones, quibus homo convenienter disponitur in ordine ad naturam, qua homo est & in qua genitus & natus; ergo virtutes infusæ, quæ disponunt hominem ad altiorem finem, disponent ipsum convenienter ad altiorem naturam, ad quam elevatus & in qua regeneratus est: hæc autem natura est gratia juxta illud 2. Petri 1. *maxima & pretiosa vobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ:* ergo virtus charitatis infusæ supponit hominem jam constitutum in esse naturæ in ordine supernaturali per gratiam, & proinde ab hac distinguitur. Id D. Doctor illustrat exemplo luminis naturalis, quod

diſtinguitur a virtutibus acquiſitis quia diſponunt hominem ut ambulet ſecundum lumen naturale rationis: at etiam virtutes infuſæ diſponunt hominem, ut ambulet ſecundum lumen gratiæ, qua renatus eſt in filium lucis; unde ait Apoſt. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate: fructus enim lucis eſt in omni bonitate & juſtitia & veritate.* Ex quibus concludit D. Thomas: *Sicut virtutes acquiſitæ perficiunt hominem ad ambulandum, ſecundum qnod congruit lumini naturali rationis, ita virtutes infuſæ perficiunt hominem ad ambulandum, ſecundum quod congruit lumini gratiæ.*

ASSERTIO III.

In Juſtificatione ineffabili quodam modo nobis communicatur Spiritus Sanctus: ex qua communicatione oritur nova in anima juſti habitudo, renovatio ſpiritus, pulchritudo juſtitiæ & impreſſa quaſi Divinitatis imago, quam gratiam habitualem dicimus.

XIX. Utraque pars non obſcure ex Scripturis Conciliis & Patribus colligitur. Ac prima pars, nempe Spiritum S. ſpeciali modo juſtis communicari, oſtenditur ſequentibus momentis: Ad Rom. 5. dicitur: *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis;* diſtinquit hic Apoſtolus donum charitatis ab ipſo ſpiritu, quem & datum eſſe dicit. Idem multis locis prædicat Spiritum S. in nobis tanquam loco ſibi conſecrato habitare, ut ad Rom. 8. & 1. Corinth. 3. & 6: Item 2. Timoth. 1. Huc referuntur illa loca quibus Spiritus Sanctus dicitur unctio, pignus & arrhabo, ut loquitur Apoſtolus ad Epheſ. 1. *ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto qui eſt pignus hæreditatis noſtræ:* Hinc Chryſoſtomus in hoc caput ita ait: *Deus Filium ſuum dedit pacis pignus, & Spiritum Sanctum qui ab ipſo procedit.* Hæc loca

Scri-

Scripturæ quantam vim habeant, intelligi poterit ex teſtimoniis Patrum, qui mentem Scripturæ de illa Spiritus Sancti communicatione ita explicant, ut ipſam ſubſtantiam Spiritus nobis tribui perſuadeant.

Nominabo præ ceteris (quos adfert Petavius lib. 8. de Trinit. cap. 4. & 5.) Cyrillum, Epiphanium, Baſilium, Athanaſium, & Auguſtinum. Primus lib. 34. Theſauri ita loquitur: *ipſe Deus pro miſericordia ſua ad minima uſque pervenit, & ſanctificat per proprium ſpiritum:* tum in ſequentibus comparat Moiſem cum Chriſto & legem ab illo latam cum gratia quam iſte attulit: *quænam ergo*, inquit, *gratia eſt iſta? omnino diffuſio Spiritus facta ut Paulus loquitur.* Hunc Spiritum Deum eſſe contendit, ne *per creaturam nobis Sanctificatio tribuatur.* Itaque *Spiritus S. per ſe ipſum in nobis operatur*, *vere Sanctificans & uniens nos ſibimetipſi*, *dum nos ſecum copulat*, *ac Divinæ naturæ participes reddens.* Hic Cyrillus per creaturam nos Sanctificari negat, ſed per ipſum ſpiritum nos id habere defendit, eundemque ſpiritum αὐτεργεῖν aſſerit, id eſt *per ſe & per communicationem ſubſtantiæ ſuæ nos Sanctos efficere:* quod verum non eſſet, ſi nos Sanctos ac Dei filios qualitas aliqua creata quantumvis excellens efficeret.

Athanaſius in epiſt. ad Serapionem Spiritum Sanctum unguentum & Sigillum eſſe dicit, quo ungimur, ſignamur, & Dei formam accipimus: *Spiritus unguentum & Sigillum eſt* (inquit) *quo ungit omnia ſignatque Verbum - - - hunc in modum ſignati Divinæ naturæ participes efficimur.* Epiphanius Hæreſ. 74. ita loquitur: *ſi templum Dei ob illam ſpiritus habitationem vocamur, quis ſpiritum repudiare audeat & a Dei ſubſtantia rejicere, cum diſerte Apoſtolus aſſerat templum nos eſſe Dei propter Spiritum Sanctum qui in dignis habitat?* ubi non qualiscun-

cunque habitatio ſpiritus notatur, ſed ea qua in juſtis commoratur, qui ſoli illius templa dicuntur. S. Baſilius *lib.* 5. *contra Eunomium* ait Divinam ſpeciem ſeu caracterem, qui inſtar ſigilli in homine Dei figuram imprimit, per ſe & ſuam ſubſtantiam applicari, eumque caracterem ſeu imaginis effectorem eſſe Spiritum S. affirmat, ut adeo non dubitari poſſit, quin putet juſtitiæ & ſanctitatis ſtatum, non re ulla creata vel qualitate abſoluta, ſed ipſa Spiritus Sancti ſubſtantia perfici. Demum S. Auguſtinus ſerm. 1 in feria 2. Pentecoſt. ait ſpiritum in nobis habitare *non per gratiam viſitationis & operationis*, *ſed per ipſam præſentiam Majeſtatis.*

Altera pars, nempe ex hac Spiritus S. communicatione oriri in anima juſti novam quandam formam, habitudinem, imaginem & vitam, oſtendi poteſt ſequentibus momentis: Apoſtolus ait *charitatem Dei diffundi per Spiritum S.* Diſtinquit ergo charitatem ſeu gratiam a Spiritu Sancto tanquam effectum a cauſa. Præterea gratiam juſtificantem comparat cuidam ſignaculo, illudque a Spiritu S. effici ait: *ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis Sancto.* Patres loquentes de juſtificatione utuntur exemplo ſigilli, ita ut ſicut illius applicatione in re quavis molli & tractabili imago vel effigies exprimitur, ſic admota Spiritus Sancti ſubſtantia in nobis formetur Dei ſimilitudo, quæ in ſanctitate conſiſtit. Qua de re Cyrillus in 7. Dialogo cum Hermia ita loquitur: *hoc igitur quod Divinam nobis imaginem inſculpit, & inſtar ſigilli præſtantiorem mundo pulchritudinem ingenerat, nonne Spiritus eſt?* Item S. Hieronymus in caput 4. ad Epheſ. *ſignati ſumus Spiritu Dei Sancto, ut & Spiritus noſter & anima imprimantur ſignaculo Dei, & illam recipiamus imaginem & ſimilitudinem, ad quam in exordio conditi ſumus.* Hinc Tridentinum Seſſ. 6. cap. 7. ait juſtificationis *unicam formalem cauſam eſſe juſtitiam Dei, non qua ipſe juſtus eſt,*

ſed

fed qua nos juftos facit, *qua videlicet ab eo donati renovamur Spiritu mentis noftræ*, *& vere jufti fumus juftitiam in nobis recipientes*, *unufquifque fuam fecundum menfuram*, *quam Spiritus S. partitur fingulis prout vult*, *& fecundum propriam cujufque difpofitionem.* Quibus verbis exprimitur gratia tanquam aliquid in nobis receptum, capax augmenti, & impreffum tanquam fignaculum Spiritus Sancti.

Diluuntur nonnullæ oppofitiones.

XX. Contra naturam gratiæ fanctificantis hactenus expofitam opponunt I. In juftificatione etfi vera fiat peccatorum remiffio, hæc tamen fieri poteft fine forma phyfice inhærente; peccatum enim habituale non eft forma phyfice, fed tantum moraliter inhærens, non aliter ac homini inhæret offenfa, qua offendit alterum, aut debitori inhæret obligatio ad folvendum: ergo ficut offenfa ab homine offenfo remitti poteft per folam voluntatem, & obligatio ad folvendum debitum per folum creditoris nutum poteft extingui; ita poterit remitti offenfa & peccatum per folam Dei mifericordem voluntatem. II. Imo poteft homo fieri Sanctus, juftus, amicus Dei & filius fine gratia habituali & inhærente per folam externam Dei promiffionem & deputationem; Deus enim poteft promittere homini fuum amorem eique conferre jus ad eundem & hæreditatem cæleftem, quo facto homo fieret vere bonus & amabilis & filius Dei adoptivus per promiffionem externam citra infufionem doni fupernaturalis. III. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conftituti funt multi, ita & per unius obeditionem jufti conftituentur multi; atqui etfi Tridentinum dicat peccatum originale *ineffe unicuique proprium*, tamen per peccatum Adæ conftituimur peccatores tanquam per formam fo-

ſolum moraliter nobis inhærentem; ergo ſimiliter dicendum eſt de gratia juſtificante, etſi eam Tridentinum dicat nobis *inhærere*. IV. Etſi peccatum habituale in Scripturis dicatur labes, macula &c. non tamen eſt quid phyſice permanens, ſed tribuit tantum Deo jus ad tractandum hominem ut inimicum; ergo etſi gratia juſtificans dicatur renovatio ſpiritus, ſanctificatio animæ &c. non tamen erit quid phyſice permanens, ſed tribuet duntaxat homini jus ad amorem Dei, gloriam & hæreditatem.

His objectis ut ſatisfiat, Reſp. ad I. & II. etſi in alia providentia homo fieri poſſit ex inimico amicus, ex injuſto juſtus ſine collatione doni cujusdam phyſice permanentis; id tamen admitti non poteſt ſpectatis decretis hujus providentiæ, ut oſtendi in prima aſſertione; dicta enim Scripturarum & Patrum ejusmodi ſunt, quæ nobis manifeſte ſignificant gratiam juſtificantem eſſe phyſice permanentem. Nam quis dubitet iſtos loquendi modos: *venire ad aliquem*, *in illo tanquam in templo habitare*, conferre juſto *imaginem & ſimilitudinem Dei*, *pignus hæreditatis*, *ſemen Dei*, *ſignaculum Spiritus*, & quæ ſunt alia hujus generis, denotare aliquid internum & re ipſa perſeverans? Adde ea quæ ſparſim ex Tridentino recitavimus, ubi juſtificans gratia dicitur non tantum eſſe *favorem Dei*, ſed *ſanctificationem & renovationem hominis interioris per ejuſdem ſuſceptionem*, eam in nobis *recipi*, *infundi*, *inhærere &c.* quæ quomodo ſine phyſica doni cujusdam ſupernaturalis perſeverantia explicari poſſint non video. Ceterum conſulto hic abſtinemus a quæſtione mere philoſophica, utrum ea gratia ſit entitas quædam accidentalis, an pura habitudo & affectio animæ orta ex Spiritu Sancto in nobis inhabitante.

Ad III. Dico in comparatione illa ab Apoſtolo allata aliqua qui-

quidem congruere, ut dixi *num.* 14. ſed non omnia. Convenientia ergo in eo eſt, quod ſicut peccatum originem habet ex inobedientia Adæ, ita juſtificatio noſtra originem ducat ex obedientia Chriſti: diſcrimen autem in eo eſt quod peccatum originale derivetur in poſteros & cuique ſit proprium, adeoque ſit cauſa formalis eos maculans & peccatores conſtituens, non quidem ut phyſice inhærens cum ſit phyſice præteritum, ſed ut moraliter in illis perſeverans: at vero juſtitia Chriſti non eſt cauſa formalis ſed meritoria noſtræ juſtificationis, ut conſtat ex Tridentino; & præterea cum cauſa formalis noſtræ juſtificationis dicatur nobis infundi, inhærere, manere, creſcere & augeri, cum negetur eſſe merus favor Dei, nomineturque imago Dei, ornamentum animæ, vita ſpiritualis, renovatio Spiritus facta per Spiritum Sanctum in nobis habitantem &c. quis dubitet de perſeverantia phyſica doni cujusdam ſupernaturalis in anima juſti? eandem prorſus reſponſionem applica ad quartam oppoſitionem.

XXI. Quæ pro ſententia docente, eundem habitum eſſe gratiæ & charitatis, opponi poſſunt, ſunt ſequentia. I. Scripturæ eosdem tribuunt effectus gratiæ habituali & charitati. Primo enim effectus gratiæ eſt hominem reddere filium Dei adoptivum, at hoc præſtat charitas, juxta illud 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem nobis dedit Pater ut filii Dei nominemur & ſimus.* Charitas expellit peccatum, & juxta D. Petrum *operit multitudinem peccatorum;* confert vitam ſpiritualem, nosque intime cum Deo conjungit juxta illud 1. Joan. 4. *qui manet in charitate, in Deo manet & Deus in eo:* reddit hominem Dei amicum, ut Scriptum eſt Joan. 14. *ſi quis diligit me, diligetur a Patre meo;* denique fons eſt & origo omnium virtutum, ut liquet ex 1. Corinth. 13. *charitas benigna eſt, patiens eſt &c.* præſtat ergo omnia, quæ gratiæ tribui ſolent. II. Cum

Tridentinum loquitur de causa *formali* justificationis, aperte inhærentem justitiam declarat esse charitatem, quæ in cordibus nostris diffunditur per Spiritum S. Augustinus vero sub finem lib. de nat. & grat. ait: *charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est.* III. Radix permanens amicitiæ actualis est forma justificans; atqui habitus charitatis est radix permanens amicitiæ actualis seu actus charitatis. Item: illud donum est gratia, per quod digni reddimur ad vitam æternam: sed hoc habemus per charitatem.

Ad *primum* ut respondeamus, notandum est, hanc vocem *charitas*, quæ derivatur a græca voce *χάρις gratia*, ambiguam esse, & modo significare gratiam justificantem; modo actum charitatis, modo habitum charitatis; colligi proinde debere ex adjunctis, quam habeat significationem. Si igitur in adjunctis Scripturæ locis charitas sumitur pro gratia justificante, ut videtur accipi 1. Jon. 3. nihil contra nos evincitur; si vero sumitur pro actu charitatis sensus est, quod disponat ad gratiam, quo modo exponendus est textus Joan. 14. Quod si sumitur pro habitu charitatis, sensus est quod sit gratia connexive, cum habitus charitatis sit proprietas gratiæ inseperabilis, & sic exponi debet textus 1. Joan. 4. Quemadmodum cum Apostolus ait *charitas patiens est &c.* sensus non est, quod charitas, patientia, benignitas & aliæ virtutes sunt unus & idem habitus; sed quod charitatem ut radicem sequantur & comitentur. Ceterum ostendimus num 17., Scripturam distinguere charitatem a gratia.

Ad *secundum* resp. ex Tridentino abunde colligi gratiam distingui a charitate, ut supra vidimus: quid enim denotant hi modi loquendi: *per voluntariam susceptionem gratiæ & dono-*

norum, cum remissione peccatorum accipere hominem fidem, spem, charitatem &c. nisi distinctionem utriusque habitus? Augustini verba videntur pertinere ad charitatem actualem, quæ dispositive est justitia.

Ad *tertium* D. maj. Radix permanens amicitiæ actualis, quæ eam fundat per modum naturæ & dignificative, est forma justificans, C. quæ eam fundat per modum principii & effective, N. forma enim justificans non est qualiscunque radix amicitiæ actualis, sed est radix permanens, eam fundans per modum naturæ exigentis ipsos habitus tanquam suas proprietates & potentias in ordine ad eliciendos actus supernaturales; item fundans dignificative, ita ut hominem reddat dignum amore Dei, ejusque actus supernaturales faciat de condigno meritorios. Horum nihil præstat habitus charitatis, qui duntaxat principium est physice suo modo influens in actum charitatis.

§. III.

Quinam sint effectus gratiæ habitualis.

XXII. Ex hactenus dictis facile est colligere gratiam habitualem donum Dei supernaturale esse, quo homo formaliter redditur justus, Sanctus, Dei amicus, filius ejus adoptivus & hæres vitæ æternæ. Quam doctrinam proponit Tridentinum Sess. 6. cap. 7. verbis jam ante citatis, ubi ait: Justificatio *non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum: unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.* Et cap. 4. ait justificationem impii esse translationem a statu peccati ad *statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei.* Hinc habitualis gratia Divinæ est participatio naturæ, quia facta Spiritus Sancti commu-

nicatione Deus justum diligit, apud illum mansionem facit, illum spiritu promissionis signat & ungit, illi tribuit charisma justitiæ, quo anima quasi in Divinam conditionem assumpta fruitur Dei consortio & sempiternam beatitudinem promeretur.

Hæc Catholicis certa sunt & extra dubium posita; at scholastici tres hic quæstiones movent: primo utrum gratia habitualis tribuat per se & ex natura sua effectum formalem justi, Sancti, filii adoptivi, ita ut præter decretum collativum gratiæ non requiratur pactum aliud aut ordinatio, seu favor extrinsecus Dei volentis per gratiam hominem reddere Sanctum, justum &c. Secundo, num habitualis gratia & peccatum simul consistere possint. Tertio, an sola gratia habitualis formaliter justificet. Scotus cum suis putat formam justificationis esse gratiam, non quidem se solam & vi suæ perfectionis, sed ex favore externo & pacto Dei eam ad hoc destinantis, ut hominem constituat amicum Dei, filium ejus adoptivum & hæredem vitæ æternæ, eo fere modo quo moneta regio sigillo signata habet valorem, quem ex se non haberet. Hinc infert non esse tantam inter gratiam habitualem & peccatum mortale oppositionem, quin simul in eodem subjecto consistere possint, eo quod gratia non expellat peccatum ex se & natura sua, sed ex lege Dei, qua statuit ad præsentiam gratiæ condonare peccatum: supponunt autem hujus opinionis Patroni gratiam esse formam absolutam & entitativam. Vasquezius negat solam gratiam habitualem esse, quæ formaliter hominem justificet coram Deo; censet enim actum contritionis & charitatis habere in se ipso vim justificandi formaliter, & licet defacto nunc omnes, quotquot justificantur, recipiant gratiam habitualem, tamen (quia solum definitum est ab Ecclesia, justificationem fieri in nobis per justitiam inhærentem, & quæ dicuntur de gratia inhærente, possunt etiam intelligi de actu

con-

contritionis) satisfieri definitioni Ecclesiæ, si in his, qui sunt capaces contritionis, ipsa contritio dicatur esse causa formalis justificationis. His igitur controversiis scholasticis ut satisfacimus, sit.

ASSERTIO I.

Gratia habitualis hominem formaliter sanctificat & constituit Dei amicum, filium ejus adoptivum, & hæredem vitæ æternæ, atque hoc quidem secluso omni alio pacto & favore Dei externo.

XXIII. Probatur I. ex doctrina Tridentini, quod citato cap. 7. Sess. 6. dicit justificationis nostræ unicam *formalem causam* esse gratiam habitualem, adeoque esse unicam formalem causam effectuum formalium sancti, justi, amici Dei & filii adoptivi, qui effectus in ipsa justificatione accipiuntur; atqui non esset unica causa formalis horum effectuum, si eos non præstaret per se, sed per externum favorem Dei ordinantis gratiam ad reddendum hominem justum Sanctum &c. nam præcise posita causa formali in subjecto capaci habetur effectus formalis; sed si opus foret favore Dei superaddito, non haberentur dicti effectus præcise posita gratia: ergo. II. Ex dictis gratia habitualis est impressa Divinitatis imago, spiritualis vita, renovatio Spiritus, permanens in anima decor & pulchritudo justitiæ, signaculum Spiritus Sancti, specialis naturæ Divinæ participatio, & radix visionis ac amoris Dei; atqui hæc omnia per se & formaliter constituunt animam justam, sanctam, & amicam Dei juxta illud Joan. supra citatum: *videte qualem charitatem nobis dedit Pater, ut Filii Dei nominemur & simus.*

Sed dices I. cum Scoto: non esse de ratione adoptionis, ut adoptans communicet naturam suam adoptato, ut patet in adoptio-

adoptione, quæ fit inter homines, in qua adoptatus non accipit naturam ab adoptante. *Resp.* eandem objectionem favere hæreticis, qui dicunt justitiam nostram consistere in favore pure externo. Ceterum disparitas est, quod adoptandus in humanis ejusdem sit naturæ cum adoptante, & habeat in se sufficiens principium ad percipiendam ejus hæreditatem. Adoptio autem Divina, cum non supponat in homine similitudinem in natura Divina, nec sufficientem aptitudinem ad percipiendam hæreditatem, debet illam efficere & ad Divinæ naturæ participationem elevare adoptandum, saltem in hac providentia, in qua teste Scriptura gratia sanctificans est specialis participatio naturæ Divinæ.

Dices II. Non minor est in operibus justorum proportio cum gloria ut mercede, quam in gratia sanctificante cum visione beata ut hæreditate: sed in operibus justorum non datur jus ad gloriam ut mercedem, nisi intuitu promissionis & ordinationis Divinæ, ut dicemus sequenti controversia; ergo neque in gratia sanctificante erit jus ad visionem Dei ut hæreditatem, nisi accedente pacto & ordinatione Dei. *Resp.* Rationem discriminis in eo esse, quod jus meritorium, quod habent opera justorum ad gloriam, vel sit fidelitatis vel justitiæ: si est fidelitatis, fundari debet in promissione; si justitiæ, tale jus in pura creatura absque pacto Dei dignitati operum superaddito nequit consistere: quia cum opera justorum sint multis titulis Deo debita, quod Deus velit ea remunerare, oritur ex pacto & conventione a Deo ex sua benignitate constituta, ea acceptandi ad talem mercedem. At jus fundatum in gratia ad gloriam est jus fundatum in ratione intrinseca, quam habet gratia ut unica causa formalis nostræ justificationis & specialis participatio naturæ Divinæ orta ex inhabitante Spiritu Sancto.

AS-

ASSERTIO II.

Gratia habitualis ita expellit peccatum mortale ut nullatenus cum illo consistere possit.

XXIV. Prob. I. ut sæpe diximus ex Trident. gratia est unica causa formalis nostræ justificationis, qua remittuntur nobis peccata, renovamur & sanctificamur: sed quod per modum causæ formalis expellit peccatum, renovat & sanctificat, illud cum peccato consistere nequit; alioquin posset esse sine suo effectu formali, cum tamen sine hoc unica causa formalis supposita capacitate subjecti esse nequeat. II. Esse sanctum & simul esse peccatorem sunt duo sese invicem excludentia: quia esse Sanctum, est esse objectum amoris, esse peccatorem, est esse objectum odii Dei. Item effectus oppositi sunt, esse amicum Dei & dignum amore Dei ac vita æterna, & esse inimicum Dei ac dignum odio Dei æternaque damnatione; ergo gratia, quæ est perfecta sanctitas & justitia, & peccatum, quod est horrenda malitia & injustitia, simul esse non possunt. Ex repugnantia enim effectuum deducitur repugnantia formarum, quia enim affirmare & negare, amare & odio habere idem objectum effectus sunt repugnantes, repugnant etiam in eodem subjecto assensus & dissensus, amor & odium ejusdem objecti. III. Quæ esse potest participatio justitiæ cum iniquitate, lucisque cum tenebris? quomodo erit idem homo simul mundus & immundus, templum Spiritus S. & membrum diaboli, conversus ad Deum, & ab illo aversus, filius Dei & filius Belial, amicus & hostis Dei? tam parum ista conjungi possunt, quam parum simul esse possunt vita & mors, lux & tenebræ, curvitas & rectitudo. Deinde si gratia sanctificans & peccatum simul possint consistere, cur non poterit habitualis charitas stare cum reatu damnationis æternæ,

ut commentus est Bajus prop. 31. & 32. Probabilior ergo videtur esse nostra sententia, quam opposita scotistarum, & quamvis illorum opinio sit catholica, nostra tamen majorem vim habet ad refellendos hæreticos negantes inhærentem justitiam, & statuentes justificationem & culpam simul consistere posse.

Sed expendamus momenta Scotistarum, qui primo conantur pro se adducere Tridentinum dicens justificationem non esse *solam remissionem peccatorum*, *sed sanctificationem & renovationem hominis interioris:* ergo, inquiunt, remissio peccatorum est distinctus favor a renovatione interiori per gratiam. Rursus: idem Conc. dicit gratiam non esse solum favorem extrinsecum; ergo favorem Dei non excludit, sed requirit, licet non solum. *Resp.* Dum Concilium ait justificationem non esse solam remissionem peccatorum, sed interiorem renovationem, intendit utrumque requiri ad justificationem contra hæreticos, quorum quidam negabant peccata per eam dimitti, alii hominem interius per eam renovari: non vero quod unum sit favor distinctus ab altero. Imo utrumque per gratiam præstari subjungit, dum ait: *per voluntariam susceptionem gratiæ*, quasi diceret, susceptione gratiæ hominem solvi a peccato & interius renovari. Favor autem ad justificationem requisitus non est distinctus a voluntate Divina conferendi gratiam.

Dicunt 2do: peccatum actuale solum moraliter, id est demeritorie expellit gratiam: ergo privatio gratiæ est pæna peccati actualis; sed pæna non consequitur necessario ad peccatum, sed est ex voluntate Dei punientis: quod enim demerito respondeat pæna, sicut merito præmium, ex voluntate punientis vel præmiantis est. *Resp.* D. consequ. ergo privatio gratiæ pro subsequo tempore est pæna peccati actualis, C. pro eodem tempore, N. gratiæ privatio spectari potest pro diver-

diverſis momentis: ſi ſpectetur relate ad primum inſtans, non habet rationem pænæ libere a Deo inflictæ, ſed eſt effectus formalis peccati; ſi ſpectetur relate ad ſequentia inſtantia, habet rationem pænæ, quia ita infligitur a Deo propter peccatum poſitum, ut contrarium poſſit decerni. Ceterum D. Thomas diſtinguit pænam duplicem, unam comitantem, quæ conſequitur ex natura rei ut remorſus conſcientiæ, alteram, quæ infligitur exterius a judice. Ex quo ſequitur Deum non quidem immediate libere, ſed tantum mediate libere deſtruere gratiam ſuppoſito peccato, quatenus confert libere auxilium præviſum inefficax, & permittit peccatum.

Dicunt 3tio: gratiæ habituali ex ſe non poſſe debitam eſſe remiſſionem peccati. Nam gratiæ habituali non poteſt eſſe debitus effectus ſuperans in æſtimatione morali præſtantiam illius: atqui remiſſio peccati ſuperat in æſtimatione morali præſtantiam gratiæ. *Reſp.* D. min. Remiſſio peccati, ut eſt facienda ratione puræ oppoſitionis cum illo ſuperat, N. ut eſt facienda per exhibitionem obſequii adæquantis ejus gravitatem, C. de remiſſione peccati dupliciter poſſumus loqui: primo de illa ut facienda de rigore juſtitiæ, & hoc modo fatemur quod ſuperet vires gratiæ & cujusque puræ creaturæ; deinde de illa ut facienda per formam oppoſitam, & hac ratione fieri eam per gratiam fatemur, ſicut unio hypſtatica ſummæ dignitatis hoc modo deſtrui poſſet per quodcunque peccatum.

Dicunt 4to: juxta multorum ſententiam peccatum, dum actu fit, poteſt remitti ſaltem in alia providentia per condonationem extrinſecam: ergo etiam per condonationem intrinſecam, ſeu per infuſionem gratiæ habitualis: ſed hoc ipſo gratia non eſt ex ſe oppoſita peccato mortali. Ideo enim pecca-

 tum

tum, dum actu fit, non posset remitti per infusionem gratiæ, quia orirentur jura & effectus formales oppositi; sed non orirentur, cum in posito casu homo foret per gratiam amicus quidem Dei formaliter, sed non foret inimicus Dei nisi radicaliter, quia Deus cederet juri suo ad tractandum hunc peccatorem ut inimicum, adeoque peccator habens jus ad amicitiam divinam non haberet obligationem actualem subeundi odium Dei, prout pari modo fieret in condonatione extrinseca. Addunt paritatem a remissione peccati habitualis, quæ dum fit per infusionem gratiæ, nullam repugnantiam includit, etsi in eo instanti, in quo remittitur peccatum habituale, Deus posset tractare peccatorem ut suum inimicum.

Resp. rationem discriminis in eo esse, quod inter condonationem extrinsecam & peccatum actuale nulla appareat repugnantia, quæ tamen est inter actuale peccatum & condonationem intrinsecam; cujus ratio est, quia etsi peccatum a Deo extrinsece condonatum non reddat hominem formaliter inimicum, reddit tamen formaliter peccatorem, immundum & actualis peccati labe inquinatum; cum e contrario gratia faciat hominem justum, sanctum & mundum ab omni peccato mortali, qui effectus certe pugnat cum denominatione actu peccantis, & se inquinantis labe peccati. Porro cur remitti possit per gratiam habituale, non item actuale peccatum, ratio est quia gratia habitualis tanquam amicitia formalis importat jus ad amorem Dei reciprocum: quamvis igitur non repugnet, ut ille, qui prius graviter Deum offendit, hoc jus recuperet, repugnat tamen, ut ille qui actu graviter Deum offendit, jus habeat intrinsecum exigendi illius amorem. Porro si quæras, cur peccatum actuale non reddat hominem secundum se formaliter inimicum Dei; reddat autem gratia secundum se hominem formaliter amicum Dei, ratio est, quia per

pec-

peccatum actuale præbetur quidem Deo jus ad tractandum hominem ut inimicum, quod tamen jus poteſt acceptare vel non acceptare: at vero gratia eſt ipſa formalis amicitia cum Deo, quia eſt pignus amoris Dei, ſeu formalis Dei promiſſio de amore præſtando, adeoque eſt jus formale ad amorem Dei.

ASSERTIO III.

Sola gratia habitualis eſt cauſa formalis juſtificans, non vero actus contritionis aut charitatis.

XXV. Prob. I. ex cap. 7. Trident. citato, ubi dicit unicam formalem cauſam juſtificationis eſſe juſtitiam nobis inhærentem. Jam ſic: nomine juſtitiæ inhærentis intelligit Concilium aliquid permanens in anima faciens juſtum: at actus charitatis ſunt tranſeuntes. Item: actus, qui a Concilio ponuntur ut diſpoſitiones ad Juſtitiam, non ſunt formalis juſtitia: at ejusmodi actus ponuntur tanquam diſpoſitiones ad juſtitiam. Nam Seſſ. 14. cap. 4. docet, quod contritionis motus fuerit *quovis tempore ad veniam impetrandam neceſſarius*, & paulo poſt *præparat ad remiſſionem peccatorum.* Sermonem hic non tantum eſſe de contritione imperfecta inde patet, quia loquitur de ea, quæ ſemper & omni tempore neceſſaria fuit & impetratoria veniæ. II. Effectus formalis ejusdem rationis provenit a forma ejusdem rationis; atqui eſſe juſtum eſt effectus formalis ejusdem rationis in omnibus; ergo provenit ab unica fotma, non a duabus ſpecie diverſis. Cum ergo eſſe juſtum formaliter præſtetur a gratia habituali in parvulis baptizatis, ab ipſa ſola hoc idem præſtari debet in omnibus.

Conatur Vaſquezius opinionem ſuam cum Tridentino conciliare, eo quod loco cit. dicat contritioni charitate perfectæ re-

reconciliationem ſine voto ſacramenti, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam; ergo infert: ipſi ut votum ſacramenti includenti adſcribendam eſſe. Rurſus duo ibidem dicit de contritione abſtrahente a perfecta & imperfecta: unum, eſſe neceſſariam ad juſtificationem; alterum, eſſe præparationem ad illam. At primum non convenit omni contritioni etiam perfectæ, quia homo in ſacramento etiam cum ſola attritione juſtificatur; ergo etiamſi de illa dicatur quod ſit diſpoſitio, non debet hoc dici de contritione perfecta.

Reſp. ad primum D. conſequ. ergo ipſi ut votum ſacramenti includenti adſcribenda eſt juſtificatio, tanquam diſpoſitioni & impetrationi inferenti gratiam, C. tanquam formæ ſe ipſa & immediate juſtificanti, N. Ad alterum dico: Concilii, dum dicit contritionem eſſe neceſſariam, ſenſum eſſe, quod aliqua contritio vel perfecta vel imperfecta ſit neceſſaria, ita ut, ſi juſtificatio fiat intra ſacramentum, ſit neceſſaria contritio imperfecta; ſi vero fiat extra ſacramentum, neceſſaria ſit perfecta, adeoque ſemper contritio aliqua ſit neceſſaria, ut diſponat ad juſtificationem.

CAPUT V.
DE
PROPRIETATIBUS JUSTIFICATIONIS.

Agit Tridentinum etiam de proprietatibus juſtificationis, quas tres enumerant Novatores, conſtantem nempe juſtitiæ perſiſtentiam, firmiſſimam de eadem certitudinem, & parem in ſingulis dignitatem: quæ doctrina ex hoc principio profluit, quo ſubnixi putant, ſolam fiduciam juſtificare, eamque immobilem eſſe, nec ſtatuendam eſſe juſtitiam inhærentem

tem capacem augmenti. Hos ergo errores ordine examinabimus & refellemus.

§. I.

Utrum Justus gratiam justificantem amittere possit?

XXVI. Post antiquum errorem Joviniani, cujus damnatum dogma fuit amitti non posse gratiam per baptismum susceptam, Calvinus docuit lib. 3. Inst. c. 2. semel justificatos nunquam excidere gratia. In hunc errorem lapsus est ex erroneo suo principio, quo statuit peccatorem justum fieri sola fide, qua certo credit se esse prædestinatum, ideoque merita passionis Christi sibi applicari: hoc posito fundamento necessario sequitur, nec Davidem per adulterium & homicidium, nec Petrum per negationem a justitia excidisse, nec ullum prædestinatum per atrociora crimina gratiam justificantem amittere, quamdiu fides in corde remanserit, quia immutabile est Dei prædestinantis decretum. Contra hunc detestandum errorem extat Canon. 23. Sess. 6. Tridentini his verbis conceptus: *si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque ideo eum qui labitur & peccat, nunquam vere fuisse justificatum - - - anathema sit.* Quare sit sequens

ASSERTIO.

Justitia semel obtenta etiam in electis per peccatum mortale amittitur.

Id *primo* evincitur ex Scriptur. Ezech. 18. dicitur: *si averterit se justus a justitia sua & fecerit iniquitatem, nunquid vivet?*

vet? omnes justitiæ ejus quas fecerit non recordabuntur, in prævaricatione qua prævaricatus est, & in peccato suo quod peccavit in ipsis morietur. Hinc Apostolus 1. Cor. 10. monet: *qui se existimat stare videat ne cadat*, & c. 6. *nolite errare, neque fornicarii neque &c. regnum Dei possidebunt:* quibus ipse perterritus scribit. c. 9. *castigo corpus meum & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar.* Habemus hujus veritatis multiplex in Scripturis exemplum: Adam, quem Deus in sanctitate condiderat, se ipsum & posteros peccando perdidit, Lucifer justitiam suam per superbiam amisit, David, qui diu innocentiam servarat, prolapsus in adulterium & homicidium se coram Deo ejusque Propheta Nathan confessus est peccatorem. Prob. 2*do* ex Patribus, ex quibus duos cito nempe Hieronymum, qui hunc errorem lib. 2. contra Jovinianum ex professo confutavit, & Augustinum, qui hæres. 82. Joviniani sententiam numerat inter hæreses ab Ecclesia proscriptas: hinc lib. de corrept. & grat. cap. 13. sic scribit: *credendum est quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere & postea cadere, neque de hac vita priusquam id contingat auferri.* Passim etiam docuit S. Doctor præsertim toto libro de dono persev. alios in gratia Dei perseverare, alios non perseverare. Et certe nemo non videt ex impia hac Calvinistarum doctrina sequi plenam morum subversionem, & obtinere illud consilium: *fortiter crede & fortius pecca.*

XXVII. Pro tuendo suo errore nonnulla Scripturarum & PP. testimonia adducunt Calvinistæ, quæ ordine sunt proponenda & refellenda. I. Ps. 36. dicitur de homine justo: *cum ceciderit, non collidetur*, & Ps. 118. *Non enim qui operantur iniquitatem, in viis ejus ambulaverunt:* & Jerem. 32. de gratia novi fæderis prænuntiatum est: *timorem meum dabo in corde eorum,*

ut

ut non recedant a me. Ex quibus ſequitur ſemel juſtificatum nunquam recedere a Deo. II. Apoſtolus 1. Corinth. 13. ait *charitas nunquam excidit;* quod autem hoc intelligendum ſit de charitate nunquam per peccatum extinguenda, notant alii textus; nam Cantic. c. 8. habetur: *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.* Rom. 8. *Certus ſum quod neque mors, neque vita &c. poterit nos ſeparare a charitate Dei.* Joan. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum.* III. Juſtum non poſſe abjicere gratiam ſanctificantem patet ex epiſt. 1. Joan. 3. *omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit - - - & non poteſt peccare quoniam ex Deo natus eſt*, & cap. 5. *ſcimus, quia omnis qui natus eſt ex Deo non peccat, ſed generatio Dei conſervat eum.* IV. Ex Auguſtino duplex locus proferri poteſt, unus ex Tract. 3. in Epiſt. 1. Joan. ubi ait: *unctio inviſibilis charitas illa eſt, quæ in quocunque fuerit, tanquam radix illi erit, quamvis ardente ſole areſcere non poteſt, omne quod radicatum eſt, nutritur calore ſolis, non areſcit.* Alter ſumitur ex Tract. 8. *radicata charitas eſt, ſecurus eſto, nihil mali procedere poteſt.*

Ad 1*mum* oppoſitum locum Reſp. Etſi aliqui citatum Pſal. 36. exponant de juſtis, qui leviora quidem peccata committunt, gratia tamen Dei præſervantur a gravioribus, videtur nihilominus ſermonem ibi eſſe de tribulationibus hujus vitæ, quibus juſtorum animus non frangitur, quia, ut additur, *Dominus ſupponit manum ſuam.* Ita exponit S. Auguſt. Serm. in eundem num. 17. Qui etiam Pſalmum 118. ita exponit: *ſi ambulant, non operantur iniquitatem, ſi non operantur iniquitatem, peccatum non habent.* Jeremias loco cit. alloquitur Judæos, qui initum in Ægypto fædus violarunt, promittitque illis renovandum a Deo fædus, multaque alia beneficia, ut ex-

ex contextu patet. Ceterum ſi verba illa referuntur ad fideles, quibus in novo illo fædere gratia Evangelii eſt annunciata, accipienda ſunt, non de gratia habituali, ſed de actuali efficaci, & de magno dono perſeverantiæ, quæ gratiæ non omnibus juſtis dantur.

Ad 2*dum* dico: Apoſtolum per hæc verba: *charitas nunquam excidit*, id unum docere charitatem remanſuram in homine etiam in altera vita, etiamſi ibi reliqua dona fides & ſpes non permaneant: hujus reſponſionis veritas abunde colligitur ex contextu. Aquæ multæ non poſſunt extinguere charitatem, quia aquæ tribulationum non poſſunt prævalere adverſus hominem gratia ſanctificante inſtructum, ſi eam non abjiciat, ſicut Adamus immortalis dicitur eſſe creatus, licet deſerendo juſtitiam incurrerit mortem. Quod ſi loquamur de Eccleſia, cujus cum Chriſto unionem ibi Canticum expreſſit, nequeunt aquæ multæ extinguere charitatem, quia neque ingruentibus hæreſibus neque imminentibus perſecutionibus, neque per impios aliorum mores Eccleſiam deſerit Chriſtus, quam ſuo ſanguine acquiſivit. Quod dicitur Joan. 4., intelligitur conditionate, nempe ſi fontem aquæ vivæ juſtus non deſerat; nam Jeremias ait cap. 17. *dereliquerunt fontem aquarum viventium.* Auguſtinus tract. in Joan. 15. hunc locum refert ad beatitudinem SS. de qua legimus in Pſalmis: *apud te eſt fons vitæ, & ſatiabor cum apparuerit gloria tua.* Alii nomine hujus aquæ, de qua Chriſtus dixit Samaritanæ, intelligunt baptiſmum qui non iteratur, & doctrinam Evangelicam, quæ eſt perpetua & ſalit in vitam æternam.

Ad 3*tium* D. prop. omnis qui natus eſt ex Deo, peccare non poteſt, in quantum natus eſt ex Deo, & in ſenſu compoſito, quamdiu juſtus manebit, C. in ſenſu diviſo, quaſi juſti-

juſtitiam ſemel habitam non poſſit per voluntatis malitiam amittere, N. Hæc expoſitio conſtat ex propoſito S. Joannis, qui eo loco vult juſtos ab impiis diſcriminare, & eos qui ex Deo ſunt ab aliis qui ex diabolo, ut inde inferat bona opera præter fidem eſſe ad ſalutem neceſſaria: *filioli*, inquit, *nemo vos ſeducat; qui facit juſtitiam juſtus eſt: qui facit peccatum ex diabolo eſt - - - in hoc apparuit filius hominis, ut diſſolvat opera diaboli. Omnis qui natus eſt ex Deo, peccare non poteſt &c.* Unde hæc verba intelligit in ſenſu compoſito, quia nempe hac vera nota diſcernuntur juſti ab improbis, filii Dei a filiis diaboli, ſicut arbores cognoſcuntur a fructibus.

Ad 4*tum* R. D. Auguſtinum eo loco minime adverſari, eo quod S. Doctor hortetur fideles, ne aut ſpe bonorum temporalium aut metu malorum ſeduci ſe ſinant, ſed permaneant in charitate, cujus fructus perpetuus eſt. Hinc non ait ipſam charitatem non areſcere, ſed non areſcere id quod in illa radicatum eſt, ita ut poſt mortem permaneat fructus charitatis, ubi ex adverſo perit id, quod operamur ex metu hominum vel ſpe bonorum terrenorum. Idem ſenſus eſt alterius loci, ubi D. Doctor diſtinguit inter opera apparenter bona, quæ fiunt ex ſuperbia, & illa quæ ex radice charitatis procedunt, aitque prioris generis opera nunquam eſſe bona, alterius generis opera nunquam mala.

§. II.

Utrum gratia ſanctificans ſit æqualis in omnibus juſtis?

XXVIII. Sectarii in eo conveniunt, ut dicant omnes juſtos æqualiter eſſe juſtos, neque unum eſſe juſtiorem alio. Similem errorem docuit olim Jovinianus teſte S. Hiero-

nymo: quamvis non ex fundamento eodem. Jovinianus enim docebat virtutes esse pares & peccata etiam paria juxta antiquam sententiam Stoicorum: Lutherani vero dicunt per virtutes minime augeri justitiam, quia una & eadem Christi justitia per fidem apprehensa, atque a Deo imputata omnes justificat. Hunc errorem proscripsit Trident. Sess. 6. Can. 24. sic loquens: *si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam augeri coram Deo per bona opera: sed opera ipsa fructus solummodo & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam, anathema sit.* Sit igitur sequens

ASSERTIO.

Gratia sanctificans non est æqualis in omnibus justis, sed in singulis est capax augmenti.

Veritas hæc evidenter stabilitur ex his testimoniis. Prov. 4. *Justorum semita quasi lux splendens procedit & crescit usque ad perfectum diem.* Hic describitur progressus justitiæ per similitudinem lucis, quæ ab aurora progreditur ad meridiem: sicut enim vera lux fulget in aurora, & semper augetur & crescit usque ad perfectionem meridianam; sic etiam vera justitia est in hominibus justificatis, eaque semper augetur, donec ad perfectionem Beatorum in cœlesti patria pertingat. 2. Corinth.9. *Augebit incrementa frugum justitiæ vestræ.* Quomodo autem augebit incrementa frugum justitiæ nostræ, si nulla est in nobis justitia nisi Christi, quæ augeri non potest? Apoc. ultimo. *qui justus est, justificetur adhuc, & qui Sanctus est sanctificetur adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc.* Quis dubitat unum esse alio sordidiorem? ergo pariter quis neget unum alio esse justiorem? Huc pertinent illa loca, quæ docent præmia in cœlo paria non esse, ut illud Joan. 14. *in domo Patris*

mei

mei mansiones multæ sunt. & 1. Cor. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum, & stella differt a stella in claritate &c.* Jam præmia regni cælorum proprie justis parata sunt, cum Apostolus beatitudinem dicat *coronam justitiæ, quam reddit justus judex:* igitur si præmiorum in cœlo est varietas, sine dubio diversitas erit in terra meritorum, & si varia est corona justitiæ, varia quoque est ipsa justitia. Neque his repugnat, quod Matth. 20. dari videtur idem præmium omnibus operariis nempe denarius diurnus. Nam denarius ille significat æqualitatem beatitudinis quoad substantiam, non quoad modum, prout hunc locum exponunt Patres a Bellarmino citati.

Adde testimonia S. Augustini, qui Serm. 16. de verbis Apost. ait: *justificati sumus, sed ipsa justitia dum proficimus, crescit.* Item in epist. 172. alias 29. *induti sunt sancti justitia, alius magis alius minus.* & Tract. 6. in Joan. *ipsi spiritales sancti in Ecclesia sunt alii aliis sanctiores.* S. Hieronymus ex instituto hoc probat l. 2. contra Jovinianum, ut supervacaneum sit ejus testimonium adducere. Argumenta contraria non alia sunt, quam quæ cap. 3tio dissolvimus, quibus nempe inhærentem justitiam oppugnare, & imputatitiam propugnare adversarii nitebantur.

§. III.

Utrum quis possit certo scire se esse in gratia?

XXIX. Lutherus cum aliis sectariis docet hominem certa fide cognoscere sibi remissa esse peccata, & se esse in gratia, atque hoc omnes debere de se ipsis certo credere, alioquin nec justos esse nec fideles. Hanc thesim Lu-

therus propofuit inter publicas an. 1518. his verbis: *certum eſt ergo remiſſa eſſe peccata, ſi credit remiſſa, quia certa eſt Chriſti promiſſio.* Idem ſenſit Calvinus, dum lib. 3. Inſtit. cap. 1. aſſeruit quemlibet fidelem non ſolum eſſe certum de ſua juſtificatione, ſed etiam teneri ad credendum, ſe per imputatam Chriſti juſtitiam eſſe juſtificatum.

Hunc errorem proſcripſit Tridentinum Seſſ. 6. cap. 9. ita loquens: *ſed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos, qui vere juſtificati ſunt, abſque ulla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe juſtificatos; neminemque a peccatis abſolvi ac juſtificari, niſi eum qui certo credat ſe abſolutum & juſtificatum eſſe; atque hac ſola fide abſolutionem & juſtificationem perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſis, deque mortis & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet. Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, deque ſacramentorum virtute dubitare debet: ſic quilibet, dum ſe ipſum ſuamque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt; cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.* Hanc doctrinam duplici canone firmat Trident. nempe 13. ubi ait: *ſi quis dixerit omni homini ad peccatorum remiſſionem aſſequendam neceſſarium eſſe, ut credat certo, & abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis & diſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa, anathema ſit.* Et Can. 14. *Si quis dixerit - - - neminem eſſe juſtificatum, niſi qui credat ſe eſſe juſtificatum - - - anathema ſit.*

Nonnulli DD. Catholici, inter quos fuit Catharinus, docuerunt hominem poſſe eſſe certum ſe habere gratiam, non quidem certitudine fidei, ſed certitudine innixa diſcurſui, qui eſt ex una de fide & altera lumine naturali nota. Poteſt enim, aiunt, hic fieri diſcurſus: certum de fide eſt Deum remittere pec-

peccata & dare gratiam pænitentibus & diligentibus ſe; atqui lumine naturali cognoſco me vere eſſe pænitentem & diligere Deum: ergo &c. Dominicus Soto, Vega & alii putant juſtos perfectiores poſſe credere, non quidem fide divina, ſed certitudine morali, quæ ſit ſine omni formidine, ſe eſſe juſtificatos. Prius ergo agemus contra ſectarios, deinde ſingulares opiniones Catholicorum expendemus.

ASSERTIO

Nemo in hac vita poſitus absque ſpeciali revelatione habere poteſt certitudinem fidei de propria juſtitia.

XXX. Solet hæc veritas probari multis ſcript. locis, nos nonnulla adferemus. Prov. 20. dicitur: *quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum a peccato?* Eccleſiaſtis 9. *neſcit homo, utrum amore an odio dignus ſit.* 1. Cor. 4. *nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum.* Quamobrem paſſim commendat Scriptura timorem ſalutarem in negotio ſalutis, ut Eccleſiaſtici 5. *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Rom. 11. *Noli altum ſapere ſed time.* Philipp. 2. *cum metu & tremore veſtram ſalutem operemini.* Idem uno ore docent Patres, Auguſt. de perfect. juſt. c. 15. Baſilius in conſtit. monaſt. c. 2. Hieronymus Dialog. 1. contra Pelag. Gregorius magn. lib. 9. mor. c. 17. & ſi qui ſalutis noſtræ certitudinem commendant, non agunt de certitudine *fidei*, ſed *ſpei*, quæ non caret ſolicitudine & timore.

Adde duo momenta ex Trident. ſupra citato deſumpta. Primo: nihil certum eſſe poteſt certitudine fidei, niſi quod continetur in verbo Dei, & in illo includitur: atqui quod homo ſit in ſtatu gratiæ, in verbo Dei non continetur. Etſi enim in illo contineatur, eum, qui vere pænitet, & ex ſincero

cero

cero Dei amore operatur, obtenturum gratiam; non tamen in verbo Dei continetur, hunc vel alium hominem vere pænitere, & implere necessarias ad obtinendam gratiam dispositiones, adeo ut licet non possimus dubitare de misericordia Dei, possimus nihilominus timere de propria indispositione. Secundo: impia hæc Novatorum fiducia sicut adfert certitudinem justitiæ, ita & adfert certitudinem perseverantiæ & prædestinationis Divinæ, ut patet ex Canone 15. Sess. 6. Atqui hoc manifeste repugnat allatis Scripturis, & Patribus: ergo

Hinc etiam refellimus doctrinam illorum Catholicorum, qui docuerunt nos aliquam omnis formidinis expertem certitudinem de statu gratiæ habere posse. Nam huic doctrinæ oppositum etiam est Tridentinum dicens. *quilibet dum se ipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest.* Et sane cognitio certa & infallibilis de re aliqua habetur vel per causam, vel per effectum; neutro autem modo potest aliquis certo cognoscere se esse in gratia. Non per causam seu instrumentalem, qualis est sacramentum, de cujus veritate ab intentione & ordinatione ministri pendente certa cognitio haberi non potest; seu dispositivam, quæ se tenens ex parte nostra certo non potest cognosci, cum non possit certo cognosci pænitentiam esse vere supernaturalem. Non etiam per effectum, quia quicunque effectus assignetur, arguit tantum notitiam conjecturalem, cum possint esse peccata occulta impedientia gratiam. Nullum ergo medium est infallibile ad id dignoscendum; nam, quod aliqui volunt, pax ac tranquillitas animi, & promptitudo ad opera pietatis medium est sane fallibile, tum ob similitudinem quæ datur inter actus gratiæ & naturæ, tum quia dæmon transfigurans se in angelum lucis sæpe nos decipit, ut falso putemus nos agi a Deo.

Di-

Diluuntur Sectariorum fundamenta.

XXXI. Præcipua illorum momenta sunt ex Scripturis. I. Joan. 13. legitur: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem:* ergo multo magis poterit homo de se ipso cognoscere se esse discipulum Christi, si dilectionem habeat proximi. Apud eundem c. 14. postquam Christus promisit spiritum veritatis, quem mundus non potest cognoscere, subjungit: *vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit & in vobis erit.* Fidelis ergo cognoscere potest Spiritum S. esse in ipso. II. Apostolus Rom. 8. ait: *ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro quod sumus filii Dei.* Ergo cum testimonium Spiritus S. sit infallibile, eidem assentiri debemus. III. Idem 1. Corinth. 2. ait *nos non Spiritum hujus mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.* 2. Cor. 1. *gloriatio nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, quod - - - in gratia Dei conversati sumus.* Inanis autem foret gloriatio nostra, nisi haberemus absolutam de gratia certitudinem. Eadem epist. c. 13. ita scribit: *vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate: an non cognoscitis vosmetipsos, quia C. J. in vobis est, nisi forte reprobi estis?* ergo qui non sunt reprobi, sciunt Christum in ipsis esse. IV. S. Joan. epist. 1. c. 3. ait: *scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus.* Item *qui servat mandata ejus, in illo manet & ipse in eo: & in hoc scimus, quoniam manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.* Hæc præcipua sunt, quæ pro errore suo jactant Novatores, sed inaniter:

Ad I. enim R. Christum Joan. 13. indicasse duntaxat externam mutuam dilectionem fore signum, quo ejus discipuli velut

professione ab aliis discernerentur, quod tamen non absolutam certitudinem, sed cognitionem conjecturalem efficere potest. An enim ejusmodi dilectio sit ex corde sincero & effectus gratiæ, an ex affectu & motivo naturali, nec alii nec ipse, qui diligit, certo cognoscere potest. Verba ex Joan. 14. citata significant, fideles, in quibus Spiritus S. inhabitat, cognoscere, non quidem cognitione sterili, sed fructuosa, qualis est & oritur ex fide viva: verum quis certo novit opera, quæ facit, esse ex fide viva & non potius informi?

Ad *2dum* dico: etsi juxta Apostolum Spiritus S. testimonium reddat nobis, quod sumus filii Dei, infundendo amorem filialem; attamen seclusa revelatione certo nobis constare non potest, illud testimonium esse a Spiritu S. sed id tantum advertimus per experientiam cujusdam suavitatis & tranquillitatis conscientiæ, piosque affectus. Quæ cum esse etiam possint in non justis, nec possimus certo scire ea esse a Spiritu Sancto, nosque vere esse filios Dei, ideo solam cognitionem conjecturalem efficiunt. Ceterum videntur hæc verba Apostoli pertinere ad totam Ecclesiam, cui Spiritus S. testatur, quod habeat Spiritum adoptionis; ibi enim comparatur Ecclesia cum Synagoga, quæ habuit tantum Spiritum Servitutis in timore: non autem ad singulos Christianos, cum in sequentibus significet aliquos ex iis, ad quos scribit, esse contentiosos & infirmos in fide.

Ad *3tium* R. Apostolum 1. *Corinth.* 2. loqui de mysteriis nostræ Religionis, ac præsertim de redemptione facta per Christum, quæ fuerat abscondita in Deo, quamque nemo sine Spiritu Dei cognoscere potest, ut patet ex contextu. In 2. *Cor.* 1. Paulus gloriatur, se conversatum esse in gratia non sanctificante, sed in gratia ministerii: quod nempe cum sinceri-

ceritate & ſimplicitate ſe geſſerit in miniſterio Apoſtolico, aitque illud peregiſſe non humano ſtudio, ſed gratuita Dei operatione. *Capite* autem 13. ejusdem epiſtolæ non indicat certitudinem gratiæ ſanctificantis in unoquoque juſto exiſtentis, ſed certitudinem miraculorum, per quæ Apoſtolus efficaciter probavit ſe a Deo miſſum, & Chriſtum eſſe filium Dei. Agit enim ibidem de gratiis gratis datis, de dono linguarum & aliis miraculis, quæ frequentia erant in Eccleſia Corinthiorum, quæque potenter demonſtrabant Divinam Chriſti potentiam, *niſi forte*, inquit, *eſtis reprobi*, id eſt niſi aliqui inter vos ex infidelitate blaſphemantes Divina illa opera tribuant magicis artibus.

Ad 4*tum* dico: S. Joannem dirigere verba illa ad totam Eccleſiam, quam certiſſimum eſt eſſe Sanctam, & quosdam in ea juſtos eſſe: quinam vero ſint in particulari, non niſi per ſigna probabilia & conjecturas cognoſci poteſt.

 CON-

CONTROVERSIA V.

DE

JUSTITIA ACTUALI, SIVE BONIS OPERIBUS.

Postquam per decursum de gratia tam actuali quam habituali disseruimus, superest ut de ejusdem fructibus seu effectibus, bonis nempe & salutaribus operibus, pro coronide agamus. Tres in præsenti materia potissimum sunt quæstiones, una de necessitate, altera de veritate, tertia de merito & efficacia operum; quare primo succincte explicabimus veritatem & necessitatem justitiæ actualis; deinde pro gravitate argumenti ejusdem meritum, conditiones ad id requisitas, ac demum respondentem atque destinatam bonis operibus mercedem exponemus.

CAPUT I.

DE VERITATE ET NECESSITATE JUSTITIÆ ACTUALIS.

De binis inprimis lis est nobis cum hæreticis nostri temporis, primo de veritate ipsius justitiæ, id est utrum homines justificati possint ita legem Divinam implere, ut opera ipsorum non modo non sint appellanda peccata, sed etiam vere ac proprie justa appellari mereantur, deinde de necessitate actualis justitiæ, an justi teneantur servare legem Dei, illisque necessaria sint opera ad salutem. De his singillatim erit agendum, atque præ omnibus doctrina Novatorum exponenda.

§. I.

§. I.

Exponitur & refellitur error sectariorum circa veritatem Justitiæ actualis.

I. Docent Novatores legem Divinam plane esse impossibilem homini etiam justo: inde inferunt nullam esse in nobis veram actualem justitiam, sed omnia opera justorum esse peccata ex natura sua. Ita Lutherus docet in lib. de libertate Christiana, ubi inquit: *æque nobis impossibilia sunt omnia præcepta, atque illud unum: non concupisces.* Idem in assert. art. 2. 31. 32. & 36. aperte scribit, omnia opera hominis justi esse peccata. Idem habet Calvinus tum aliis locis, cum in lib. 2. Inst. 67. §. 5. ubi ex professo probat, ne sanctis quidem esse possibilem legis impletionem, præsertim quod attinet ad duo ista præcepta: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & non concupisces.* Eundem errorem docet Philippus Melanchton in confessione Augustana art. 6. & in Apologia tit. de impletione legis, & in locis tit. de libero arbitrio.

Porro Catholici omnes contrarium docent: fatentur enim legem Dei hominibus justis absolute possibilem esse per gratiam Christi; opera justorum simpliciter bona & perfecta esse, quamvis non ea perfectione quin crescere possint, & quin interdum illis admisceantur aliquæ labes leviores, quæ non impediunt, quo minus homines justi maneant; demum operibus justis homines vere justificari, ut ex justis fiant justiores. Hanc doctrinam proponit Tridentinum Sess. 6. cap. 10. & 11. & errorem hæreticorum damnat canone 25. his verbis: *si quis dixerit in quolibet bono opere justum saltem venialiter peccare, aut, quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æter-*

nas mereri, tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem, anathema sit.

ASSERTIO.

Homo justificatus ita potest implere legem Dei, ut ipsius opera vere sint bona.

II. Probatur pars prima ex iis locis, quæ non solum possibilia, sed & facilia testantur esse mandata, ut Matth. 11. *Jugum meum suave est & onus meum leve.* & 1. Joan. 5. *& mandata ejus gravia non sunt.* Ait quidem Calvinus in antidoto, legem Dei vocari jugum suave, quia renatis non imputatur prævaricatio, juxta illud Galat. 3. *Christus nos liberavit de maledicto legis ;* at vim manifestam Scripturæ verbis infert. Nam vel illa non imputatio tollit obligationem legis, ita ut prævaricator non incurrat reatum, vel tollit reatum ex obligatione contractum: si primum, facit ut lex non sit lex & jugum non sit jugum, neque enim sine obligatione lex esse potest. Si vero permittit contrahi reatum, sed contractum postea tollit, tunc non facit onus leve, sed gravissimum utpote quod portari non potest. At allata loca indicant legem Dei esse jugum facile portandum, quod evidentius expressit David Psal. 118. *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* & Apostolus Philipp. 4. *omnia possum in eo, qui me confortat.* & Christus ipse Joan. 14. *Qui diligit me sermonem meum servabit.*

Dicit rursus Calvinus, eum, qui diligit, legem implere, sed neminem esse qui diligat, sicut oportet ut præcepto Divino satisfaciat; hic enim inchoatam tantum esse dilectionem, non perfectam. Atfatemur in hac vita dilectionem esse imperfectam, quia cresce-

crescere potest, & quia major erit in patria: tamen non posse esse tam perfectam, ut præcepto implendo sufficiat, omnino negamus. Quot enim in Scripturis exempla memorantur illorum, qui mandata Dei servarunt, Deumque amarunt ex toto corde suo? Christus ipse vocavit discipulos suos *amicos*, eo quod fecerint ea quæ ipsis præcepit. Et certe Apostolus ad Rom. 8. ait: *Christus passus est, ut justificatio legis impleretur in nobis*, & ad Hebr. 5. *factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ:* at si lex impleri non potest, justificatio legis nunquam impleretur in nobis, & nos nunquam vere obediemus, adeoque Christus nunquam obtineret quod voluit, nec ulli nostrum foret causa salutis.

Probat. 2. pars (nempe non omnia justorum opera esse peccata, sed complura vere bona) testimoniis Script. Gen. 4. legimus: *respexit Deus ad Abel & ad munera ejus;* id est grata hæc habuit & laudavit, ut explicat Chrysostomus homil. 18. capite 6. dicitur Noe *invenisse gratiam coram Domino*, & deinceps alii Patriarchæ dignis laudibus celebrantur. Job appellatur cap. 1. *homo simplex & rectus, timens Deum & recedens a malo.* David de se ait Psal. 118. *ab omni via mala prohibui pedes meos.* Apostolus ad Titum 3. dicit fidelium *opera bona & utilia hominibus.* Testimonia Patrum si vellemus producere ad commendanda opera bona, nullus foret finis: hortantur nos ad bene operandum Justinus disputans cum Tryphone, Irenæus lib. 4. hæref. 71. Chrysost. hom. 30. in Joan., Augustinus toto lib. de fide & operibus. Jam quæro an fieri potuissent ejusmodi hortationes, ut magis inquinemur sceleribus?

Sed directe refutemus hæreticorum rationes. Ideo omnia justorum opera forent corrupta, quia id proveniret vel ex innata

nata concupiſcentia, vel ex defectu dilectionis Dei, vel ex admixtione peccatorum venialium; at nihil horum contaminare poteſt opera juſtorum bona. Nam inprimis concupiſcentia ipſa peccatum non eſt, ſed infirmitas, niſi ei conſentiamus; unde Auguſt. in lib. de perfect. Juſtit. & alibi ſæpe repetit, non oportere pro motibus concupiſcentiæ involuntariis dicere: *dimitte nobis debita noſtra.* Deinde quis neget hominem non ſemper moveri a concupiſcentia, & fieri poſſe opera aliquando ex charitate ſine ulla admixtione cupiditatis? defectus charitatis, nempe quod non faciamus opera noſtra tanto fervore dilectionis, quanto fient in patria, defectus quidem eſt, ſed culpa & peccatum non eſt, ut docet Auguſt. lib. de Sp. & lit. C. ultimo. Unde charitas noſtra, etſi comparata ad charitatem beatorum ſit imperfecta, abſolute tamen perfecta dici poteſt, ut eam S. Joannes appellat in 1. epiſt. cap. 2. & 5. Admixtio denique venialium non impedit veram juſtitiam, tum quia non ſingulis operibus admiſcetur tale peccatum, tum etiam quia peccatum veniale non eſt contrarium charitati, nec proprie contra, ſed præter legem; hinc etſi Scriptura dicat *in multis offendimus omnes*, vocat tamen homines quoſdam juſtos, Sanctos, immaculatos, perfectos, quod nullo modo faceret, ſi peccatum veniale juſtitiam impediret.

§. II.

Exponitur & refellitur alter error de neceſſitate juſtitiæ actualis

III. Alter error verſatur circa neceſſitatem operum bonorum, quo Novatores putant ad ſalutem non eſſe neceſſaria, etſi multi ipſorum aliter ſentiant. Non deſunt qui clament injuriam ſibi fieri, cum dicuntur contemnere opera

bona

bona tanquam non necessaria ad salutem: ac primo confessio Augustana art. 20. falso dicit accusari suos, quod bona opera negligant vel prohibeant; Calvinus quoque lib. 3. Inst. cap. 16. & Lutherus lib. de visitatione Saxon. docent opera bona esse facienda, affirmantque veram fidem non esse, quæ non parit opera bona & quæ charitatem comitem non habet; imo in colloquio Altenburgensi statutum est opera bona esse ad salutem necessaria, non quidem necessitate efficientiæ, sed necessitate præsentiæ. Ceterum si ipsorum principia & scripta excutiantur, videntur omnino existimar, posse salvari hominem, etsi nulla opera bona faciat nec Divina mandata custodiat.

Ac primo id Bellarminus ostendit ex discrimine legis & Evangelii, quod Novatores statuunt. Ex ipsorum enim doctrina hoc interest inter legem & Evangelium, quod lex proponit justitiam & salutem cum conditione totius legis implendæ; at Evangelium promittit salutem absolute sine omni conditione, vel cum sola conditione fidei: Quod si Evangelium nullam requirit conditionem obedientiæ, sed est sola fide contentum, certe qui nihil boni facit, consentanee ad Evangelium vivit. Secundo ostendit id Bellarm. ex libertate Christiana quam Sectarii communiter jactant. In eo enim libertatem Christianam constituunt, quod homo justus sit liber a debito legis implendæ, & per hoc omnia opera illi sint indifferentia, id est nec præcepta nec prohibita. Ita Lutherus cum aliis locis, tum in lib. de libertate Christiana, ubi ait: *nullo opere, nulla lege homini Christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni lege;* idem docet Calvinus ejusque sequaces. Ex quo quis non videt, quam lata porta omnibus sceleribus & flagitiis patefiat?

Doctrinam hanc hæreticorum proſcripſit & oppoſitam ſtatuit Tridentinum *Seſſ.* 6. *de Juſtif.* Capite enim 11. ita loquitur: *nemo quantumvis juſtificatus liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet.* & Can. 19. *ſi quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cetera eſſe indifferentia, neque præcepta neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos, anathema ſit.* & Can. 20. *ſi quis dixerit hominem juſtificatum non teneri ad obſervantiam mandatorum - - - ſed tantum ad credendum, quaſi vero Evangelium ſit nuda & abſoluta promiſſio vitæ æternæ ſine conditione obſervationis mandatorum, anathema ſit.* Sit igitur ſequens

ASSERTIO

Promiſſiones Evangelicæ non ſunt abſolutæ, ſed conditionatæ ſub conditione legis implendæ; ac proinde bona opera omnino ad ſalutem ſunt neceſſaria

IV. Probatur I. ex Script. Matth. 19. Chriſtus dicit: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, ubi promiſſio vitæ æternæ apertiſſimam conditionem exigit obedientiæ. Matth. 5. *niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Ubi requiritur ad regnum cœlorum conditio juſtitiæ non imputatitiæ, ſed actualis & operoſæ, quæ in obſervatione mandatorum conſiſtit. Joan. 14. *ſi diligitis me, mandata mea ſervate.* Hinc vita æterna nonniſi bonis operibus rependitur; dicet enim Judex Electis Matth. 25. *Poſſidete paratum vobis regnum: eſurivi enim & dediſtis mihi manducare &c.* & 2. Petri 1. *Satagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis - - - ſic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum.* & Rom. 8. *ſi ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Adde quæ diximus priore controverſia, fidem ſolam ad ſalutem non ſuffi-

ſufficere, dicente Jacobo epiſt. c. 1. *fides ſine operibus mortua eſt.*

Prob. II. ex Patribus. Auguſt. lib. de fide & operibus c. 14. ſic ſcribit: *jam illud videamus, quod excutiendum eſt a cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſolam fidem ſufficere putaverint.* Chryſoſtomus orat. 5. contra Anomæos habet: *dogmatum ſalubritati addamus illam, quæ in vita & operibus eſt, puritatem, ne dimidiata tantum habeamus ea, quæ ad ſalutem perducunt.* & lib. 4. de Sacerdot. *nihil lucri ex ſana fide, ſi vita ſit corrupta.* Ambroſius in cap. 4. epiſt. Heb. *non ſufficit fides, ſed debet addi vita fidei condigna.* Gregorius magnus in epiſt. ad reges francorum Theodoricum & Theobertum: *ſi vita deeſt, fides meritum non habet, B. Jacobo atteſtante: fides ſine operibus mortua eſt.* Et certe ſi Chriſtus legis Evangelicæ auctor ab obſervantia mandatorum ita nos abſolviſſet, ut transgreſſiones eorundem non imputentur ad peccatum & pœnam, quis non videt eum nobis promiſiſſe omnium ſcelerum impunitatem, & ad omne flagitium viam aperuiſſe? quod ſane aſſerere impium foret ac blaſphemum.

V. Sed videamus nunc, quid pro ſe adferant Novatores I. opponunt illud Act. 15. *quid tentatis imponere jugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri neque nos portare potuimus?* Teſtatur hic S. Petrus legem eſſe jugum importabile, neque nos ſalvari per obſervantiam legis, ſed per gratiam Dei, quæ a legis jugo nos liberat. II. Apoſtolus Rom. 6. ait: *non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia*; Ad Galat. 5. *Evacuati eſtis a Chriſto, qui in lege juſtificamini.* Qui ergo putant ſe juſtificari per legis obedientiam, evacuantur a Chriſto. III. Evangelicam libertatem & immunitatem a lege his potiſſimum verbis Apoſtolus indicat: 2. Corinth. 3. *ubi Spiritus*

 Domi-

Domini, *ibi libertas*. Ad Galat. 5. *Si Spiritu ducimini*, *non estis sub lege*. & 1. Timoth. 1. *Justis non est lex posita*, *sed injustis*. Homo ergo justus liber est a debito legis implendæ.

His facile satisfacimus assignando genuinum horum testimoniorum sensum; ad 1*mum* enim R. Sermonem esse duntaxat de lege ceremoniali: contendit ibidem S. Petrus Christianos non esse obligandos ad circumcisionem & similes ceremonias judaicas, idque duas ob causas. Primo quod sint jugum grave & importabile, hoc est difficulter observandum; secundo quod sint inutiles ad justificationem. Lege totum contextum illius capitis, & videbis fraudes, quibus Sectarii ex mutilis Scripturæ sententiis errorem suum involvunt. Ad 2*dum* respondemus ex ipso etiam contextu utriusque capitis; nam in epist. ad Rom. cap. 6. & ad Galat. 5. loquitur Apostolus de lege carnis & peccati, aut de servitute legis Mosaicæ, monetque ut fideles, qui per Evangelium Christi in libertatem filiorum Dei sunt vocati, gravem peccati servitutem devitent, nec a lege Evangelii deflectentes servili legis veteris jugo sese iterum submittant. Ad 3*tium* dico, ut libertas Evangelica explicetur, duplicem vim seu potestatem legis distinguendam esse, unam directivam, alteram coactivam. Lex ergo posita est omnibus, tam justis quam injustis, quoad vim directivam, quia dirigit & præscribit omnibus, quid agere vel non agere debeant: at quoad vim coactivam non est posita omnibus, sed tantum impiis, quia justi sponte & libenter ex instinctu charitatis faciunt ea, quæ a lege præscribuntur, nec opus est eos cogere ad observantiam legis; ubi ex adverso impii resistunt sæpius, & ab obedientia se subducunt, ut adeo cogi quodammodo ad obsequium debeant. Legatur hac de re Eminentissimus Bellarminus, qui errores istos solide & summa claritate refellit.

CA-

CAPUT II.

De merito bonorum operum generatim.

Inter præcipuos gratiæ justificantis effectus sunt merita Justorum, quibus digni evadunt ut æternæ gloriæ præmium a Deo reportent; posteaquam igitur de bonitate & necessitate operum egimus, eorundem etiam vim meritoriam explanemus necesse est. Hoc ergo capite dicemus de notione, divisione, & existentia meriti; acturi postmodum uberius de conditionibus & præmiis ejusdem.

Definitio & Divisio meriti, atque opposita de illo Sectariorum & Catholicorum doctrina.

VI. Calvinus lib. 3. Instit. cap. 16. nomen meriti & mercedis penitus extirpare voluit; quamvis enim fateatur veteres Patres passim hoc nomine usos esse, tamen adeo acerbe in eos invehitur, ut dicat pessime consuluisse fidei sinceritati, qui primus nomen meriti operibus tribuit: qua incredibili arrogantia non solum totam antiquitatem temere accusat, sed ipsi etiam Scripturæ contradicit, cum non desint ejusdem testimonia, ubi ejusmodi nomen vel aperte contineatur, vel unde facili negotio deducatur, ut ostendit Bellarminus lib. 5. de Justif. cap. 2.

Meritum in genere nomen est commune, quod promiscue tribuitur bono & malo operi; nam in scripturis dicitur homo per peccatum mereri supplicium, ut Hebr. c. 10. Item & iram Dei, ut Job. 6. sed magis proprie sumitur in bonam partem, notatque obsequium alteri præsitum & aptum de se movere ad retributionem alicujus doni. Hinc meritum supernaturale seu

theologicum, de quo solo hic agimus, definiri potest obsequium ex gratia elicitum & Deo factum, ob quod rependitur præmium aliquod supernaturale, vel saltem quod aptum ex se est movere ad retributionem doni supernaturalis. Atque sic descriptum meritum discrepat ab impetratione, quia hæc movet per modum humilis petitionis, illud per modum obsequii: differt etiam a satisfactione, quia hæc respicit debitum extinguendum, illud vero ordinatur ad præmium obtinendum.

Porro duplex meriti genus distinguunt Theologi nostri, unum *de condigno*, alterum *de congruo*. Meritum de condigno illud dicitur, quod habet condignitatem & æqualitatem cum præmio, ita ut accedente promissione præmiantis ex justitia aliquo modo ei debeatur præmium. Meritum de congruo est, quod licet non habeat condignitatem cum præmio, nec ad hoc jus aliquod aut debitum inferat, nihilominus congruitatem quandam & decentiam habet, ut præmium pro tali opere conferatur. Discrimen hoc assignat D. Thomas in 2. Dist. 27. Q. 1. a. 3. ⊙, ubi sic loquitur: *dicitur aliquis mereri ex condigno, quando invenitur æqualitas inter præmium & meritum secundum rectam æstimationem: ex congruo autem tantum, quando talis æqualitas non invenitur, sed solum secundum liberalitatem dantis munus tribuitur, quod dantem decet.* Utriusque exemplum adferri potest in milite, qui optime pugnavit in prælio; hic enim duplex meritum habet, unum de condigno, nempe ad stipendium strenue militantibus statutum; alterum de congruo, ut nempe a principe ipsi conferatur donum aliquod dignitatis: quod etsi ex justitia non debeatur, congruum tamen est, ut Princeps erga strenuos milites talem sese exhibeat.

VII. Calvinus non modo nomen meriti, sed & rem per illud significatam ex æquo detestatur; negat enim opera nostra posse meritoria esse vitæ æternæ: *bonorum operum laudem*, inquit, *non, ut sophistæ faciunt, inter Deum & hominem partimur, sed totam & integram Domino servamus. Tantum hoc homini assignamus, quod ea ipsa, quæ bona erant, sua impuritate polluit.* Et quamvis paulo post dicat, Deum amplissima beneficia dare hominibus remunerationis loco, non tamen id fieri ait ex meritis bonorum operum, *sed quia Divina benignitas hoc illis ex se ipsa præmium statuit.* Idem fere doce- Lutherus in suis articulis. Ex aliis etsi multi dicant bona justorum opera placere Deo & esse meritoria, ea tamen talia esse intelligunt, non ex propria dignitate & intrinseco valore, sed ex pura Dei gratia & misericordia; ut adeo rejiciant omnem mercedem *debiti*, admittantque duntaxat mercedem *gratiæ.*

Hæreticam hanc doctrinam proscribit, & Catholicam statuit Tridentinum Seff. 6. de Justificat. Ibidem enim cap. 16. sic habet: *bene operantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per C. J. misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus a justo judice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. Cum enim ipse C. J. tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata & meritoria esse possunt: nihil ipsis justificatis amplius deesse credendum est, quo minus plene illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, Divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gra-*

tia

tia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur. En totam fidem Catholicam de merito justi, quam hic statuit Trident.; oppositam autem rejicit Can. 32. ubi anathema dicit illi qui dixerit, *hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, aut ipsum justificatum bonis operibus - - - non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum.* Sit ergo sequens

ASSERTIO.

Hominis justificati bona opera sunt vere meritoria vitæ æternæ.

VIII. Probatur hoc *primo* ex iis locis, quibus dicitur Deus bonis Justorum operibus mercedem reddere: Psal. 61. *reddes unicuique secundum opera ejus.* Et quod significantius est dicitur Deus reddere secundum justitiam, Psal. 17. *reddet mihi Dominus secundum justitiam meam*: item 2. Timoth. 4. *reposita est mihi corona justitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* & 1. Corinth. 3. *unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Stulte ergo reformidant Novatores nomen meriti humanis operibus tribuere. Id quod magis patet ex iis locis, ubi justi dicuntur esse digni mercede, quod idem plane est ac mereri mercedem, ut Sap. 3. *Deus tentavit eos & invenit eos dignos se*, & Coloss. 1. *ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes.* Item 2. Thess. 1. *ut digni habeamini in regno Dei.* Demum quod opera justorum sint meritoria vitæ æternæ, patet tum ex citato loco Apostoli, 2. Timoth. 4. tum ex verbis Christi Matth. 25. *venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum - - - esurivi enim &c.* item: *euge serve bone &*

fide-

fidelis, *quia ſuper pauca fuiſti fidelis - - - intra in gaudium Domini tui.* Ubi hæ particulæ *quia*, *enim*, faciunt ſenſum cauſalem, notantque regnum cælorum & gaudium beatitudinis dari intuitu meritorum.

Dicit Calvinus has particulas *quia*, *enim*, non notare cauſam, ſed merum ordinem & conſequentiam. At contra eſt: Chriſtus eodem modo loquitur de regno dando bonis, ac de gehenna impiis; atqui loquendo de gehenna datur cauſa cur illuc mittantur impii; ergo etiam &c. Neque dicat, diſcrimen inter utrumque tradi ab Apoſtolo Rom. 16. ubi mortem æternam ait eſſe ſtipendium peccati; vitam autem æternam *gratiam.* Contra enim eſt: eundem Apoſtolum aliis ſupra cit. locis gloriam vocare *mercedem*, *coronam juſtitiæ*, *bravium* &c. Cur vero hoc loco vitam æternam non dixerit coronam ſed gratiam, id fuit (inquit Auguſt. *epiſt.* 194. *ad Sixtum c.* 5.) non quia non potuiſſet ita loqui; ſed ideo noluit dicere vitam æternam ſtipendium, ne ſe extolleret humana ſuperbia, putans cum Pelagianis ſe habere juſtitiam ſuo merito, ſicut ſuo merito habet peccatum.

Scripturis una voce conſonant Patres & græci & latini, quorum hic teſtimonia recenſere animus non eſt: tum quia ejusmodi momentum parvi faciunt hæretici quos impugnamus, tum quia fatente Calvino nobis ultro conſentiunt veteres ſcriptores. Conſule ſi placet hac de re Bellarminum lib. 5. de Juſt. cap. 4.

Hinc contra Calvinianos colliges 1. Juſtorum fiduciam non oriri ex ſola fide, ſed ex bonis meritis per gratiam Chriſti comparatis, ideoque ſummo ſtudio apud Deum merita com-

paranda eſſe. Cum enim Deus promiſerit gloriam bene operantibus, ejusque conſecutio pendeat ex fidelitate Dei & noſtra cooperatione, quis dubitet ſpem noſtram naſci debere non tantum ex Deo promittente, ſed & ex noſtris bonis operibus? II. Nos non dare homini occaſionem ſuperbiendi, ſed potius ſe coram Deo humiliandi; ita ut quantum confidit de gratia Dei, tantum ſibi ipſi diffidat, ut habet Trident. Seſſ. 6. cap. 16. III. Licitum eſſe operari intuitu mercedis æternæ; ſi enim hæc eſt finis fidei & operum juſtorum, quis neget licere vitam æternam intueri & ad eam opera noſtra dirigere? Nec obeſt, quod Chriſtus reprehendat mercenarios: de iis enim eſt ſermo, qui mercedem ſolam intuentur, qui ita affecti ſunt, ut ſi merces non eſſet, Deo non ſervirent, qui non gloriam Dei aut ſalutem proximi, ſed tantum propriam utilitatem quærunt. Hos reprehendit Chriſtus, non eos, qui in bonis operibus præcipue Deum, ejusque gloriam ut ultimum finem ſpectant; mercedem vero duntaxat ut finem proximum reſpiciunt, qui Deum videre cupiunt, ut tanto ardentius eum diligant.

Reſpondetur momentis Sectariorum.

IX. Contra veritatem Catholicam nituntur pugnare hæretici teſtimoniis Script., ac *primo* ea loca adducunt, in quibus vita æterna dicitur dari ex gratia & miſericordia, ut Pſal. 102. *Coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Epheſ. 2. *gratia ſalvati eſtis per fidem.* Rom. 6. *gratia Dei vita æterna.* Hinc ita argues: meritum eam debet habere conditionem, ut ſit noſtrum, & non ejus, a quo mercedem expectamus: ſed bona opera non ſunt principaliter noſtra, ſed Dei. *2do:* adferunt verba Chriſti Lucæ 17. ita loquentis: *cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: ſervi inutiles ſumus,*

quod

quod debuimus facere, fecimus. Hinc ad opus meritorium requirunt eam conditionem, ut ſit indebitum; ſic ſervus, quantumcunque laboraverit, non habet meritum coram Domino, quia facit quod debet. 3*tio*: citant Apoſtolum ad Rom. 8. ſcribentem: *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Hinc dicunt inter merita noſtra & præmium vitæ æternæ, quod eſt infinitum, non eſſe æqualitatem, quam tamen conditionem ad meritum condignum requirunt.

R. ad I. Vitam æternam dici coronam & gratiam: *coronam*, quia redditur propter merita; *gratiam*, quia merita noſtra radicem habent in gratia Dei, quæ dat homini ut poſſit mereri. Itaque diverſa ratione ſpectari poteſt gloria, inprimis relate ad illud quod bona opera præcedit, ſeu quoad electionem & præparationem gratiæ, & ſic miſericordia eſt; deinde relate ad illud quod gratiam ſubſequitur, ſeu relate ad obedientiam & perfectionem bonorum operum, & ſic corona juſtitiæ eſt. Nam in electione & præparatione gratiæ nihil quod noſtrum eſt reperire poſſumus; at ſervata per gratiam lege inveniemus aliquid noſtrum, nempe obedientiam. Hinc bonorum operum principem cauſam Deum eſſe concedimus: eadem opera noſtra & meritoria non eſſe negamus.

Ad II. R. cit. locum ex Luca urgeri poſſe contra hæreticos. Dicitur: *cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis:* ergo ſervari poſſunt præcepta omnia. Item: *quod debuimus facere, fecimus:* ergo qui ſervat præcepta, non peccat, ſed facit quod debet. Ceterum præfatus textus varie exponitur: dicere debemus poſt obſervationem mandatorum *ſervi inutiles ſumus*, vel quia nihil juſtæ mercedis petere poſſemus, ſi Deus liberali pacto nobiſcum non conveniſſet; vel quia per noſtra

opera nihil lucri & utilitatis Deo adferimus; vel quia ex propriis viribus ſine gratia Dei nihil ſalutare facere poſſemus. Denique mereri etiam ille poteſt, qui facit quod debet: ſi enim id, quod Dominus a ſervo exigere poteſt ut debitum, ex gratuita conventione acceptat ut voluntarie oblatum, tunc ſervus vi pacti obſequio ſuo mereri poteſt.

Ad III. reſpondet D. Thomas ad rationem meriti condigni non requiri æqualitatem abſolutam, ita ut opus tantum ſit, quantum eſt præmium; ſed ſufficere æqualitatem proportionis & habitudinis, eo quod retributio mercedis pro bonis operibus non pertineat ad juſtitiam commutativam, ſed diſtributivam, quæ diſtribuit ſecundum proportionem fundatam in pacto, ut dicam cap. ſequenti. Ceterum diſtinctionem etiam facere poteris inter opera quoad ſubſtantiam ſuam ſpectata, & eadem prout ſpectantur quoad dignitatem ſuam, quam habent ex gratia ſanctificante, quæ hominem conſtituit filium Dei & hæredem: igitur paſſiones hujus temporis in ſe ipſis ſpectatæ non ſunt condignæ ad futuram gloriam, quia hæc finem non habet; at dignæ ſunt ſi attendamus hominem, qui patitur, eſſe hæredem & filium Dei, juxta illud: *ſi filii & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur.*

Opponunt etiam hæretici dicta aliquorum Patrum, qui docent beatitudinem nihil aliud eſſe quam gratuitum Dei donum; eam nobis conferri Divina miſericordia; Deum non merita noſtra coronare, ſed ſua dona; ipſum Deum nulli facturum injuriam, etiamſi nollet vitam æternam dare juſtis. Ita ſcribit Hilarius, Baſilius, Auguſt. in Pſal. 70. Conc. 2. Bernardus Serm. 1. de annunt. Adde duo iſta ſecum pugnare: bona opera habere meritum ex ſua dignitate, & ſimul ex gra-

tia

tia & Divina promiſſione. R. hæc minime obeſſe. Beatitudo eſt gratia, quia omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt: eſt ex miſericordia Dei, quia nemo venit ad Chriſtum, niſi Pater traxerit eum: coronat Deus ſua dona, quia ejus gratia facimus opera meritoria: nulli faceret injuriam Deus, ſi negaret gloriam, quia creatura nullum jus ſtrictum habet ad gloriam. Denique Divina promiſſio non requiritur, ut adferat dignitatem bonis operibus, ſed tanquam conditio, ut in actu ſecundo ſint meritoria, eo modo quo Paterfamilias non tenetur ad ſolvendum denarium diurnum, niſi facta cum operariis conventione.

CAPUT III.

DE

MERITO CONDIGNO ET CONGRUO SPECIATIM.

X. Expoſito dogmate de merito bonorum operum controverſias inter Scholaſticos agitatas paucis diſcutiemus. Ac inprimis fuere nonnulli ex antiquis Scholaſticis, qui affirmarunt nullum dari in homine meritum condignum, eo quod nullum debitum ex parte Dei eſſe & cogitari poſſit; ita Gregorius Ariminenſis in 1. *Sent. Diſt.* 17. *q.* 1. *a.* 2. Medina cenſet Deum remunerari juſtos non ex juſtitia, ſed ex fidelitate duntaxat, aut gratitudine, ita ut ſi eam poſitis meritis denegaret, non foret injuſtus, ſed infidelis tantum & ingratus: Alii docent retributionem gloriæ ex meritis eſſe actum juſtitiæ ſtrictæ & commutativæ; alii eam referunt ad juſtitiam diſtributivam. Denique Soto oſtendere conatur ex S. Auguſtino, nullum agnoſcendum eſſe ante juſtificationem meritum congruum.

Ad duas ergo quæstiones præsentem Scholæ discordiam revocamus, cum spectare debeamus opera aut facta ante justificationem, ut sunt timor salutaris, oratio, virtutum theologicarum actus, aut facta post justificationem & in statu gratiæ, ut observantia præceptorum divinorum. Quærimus I. An opera bona & ex gratia facta habeant rationem meriti congrui: II. Utrum opera bona justorum sint de condigno meritoria vitæ æternæ; ita quidem ut hujus retributio sit actus justitiæ ex parte Dei.

ASSERTIO I.

Opera bona, quæ justificationem præcedunt, habent meritum de congruo, non de condigno.

XI. Prob. Ex scripturis priore controvers. citatis, & Trident. Sess. 6. c. 6. constat opera bona disponere ad justificationem; atqui ejusmodi dispositionibus inest ratio meriti de congruo, quia hoc ipso quod sint actiones bonæ, liberæ & supernaturales, aptæ sunt movere Deum munificentissimum præmiatorem ad retributionem doni alicujus supernaturalis. Hinc D. August. Epist. ad Sixtum: *sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei, qua ille dicebat; Deus propitius esto mihi peccatori, & descendit justificatus merito fidelis humilitatis, quoniam qui se humiliat exaltatur.* Et de Prædest. SS. c. 2. *Quis autem dicat eum, qui jam cœpit credere, ab eo, in quem credidit, nihil mereri.*

Quod vero eadem opera non habeant rationem meriti condigni, inde est, quia illis deest præcipua conditio nempe status gratiæ, ut dicemus cap. sequenti. Quare citata epist. ita loquitur August. *possunt dicere remissionem peccatorum esse gratiam,*

tiam, quæ nullis præcedentibus meritis datur; quid enim habere boni meriti possunt peccatores? Quæ igitur pro sententia Soto attributa adferuntur, de merito duntaxat condigno, non congruo sunt intelligenda, ut adeo quotiescunque Patres dicunt hominem impium nihil mereri, id exponi debeat de tali merito, quod innitatur justitiæ, paremque habeat cum præmio dignitatem; aut saltem accipi debeat de meritis naturalibus, intuitu quorum gratia non confertur, cum potius ab hac incipiant bona quæcunque sunt merita.

ASSERTIO II.

Opera bona, quæ justificationem consequuntur, sunt meritoria de condigno: ita ut retributio vitæ æternæ pro illis sit actus justitiæ distributivæ.

XII. Probatur prima pars. Justum mereri de condigno nihil est aliud, quam justum mereri ex æqualitate operis cum mercede illi a Deo promissa ob illud opus, adeoque debita ex justitia saltem late dicta nempe ex fidelitate; atqui justus sic meretur apud Deum vitam æternam: ergo. Ac inprimis justum vere mereri vitam æternam, dogma est catholicum supra explicatum; quod insuper justus mereatur ex justitia aliqua saltem late dicta, patet ex iis Scripturæ locis, ubi justus dicitur filius Dei, hæres regni habens spiritum promissionis, qui est arrha & pignus hæreditatis; item ubi vita æterna dicitur corona justitiæ, depositum, bravium, merces, denarius diurnus &c. Quod autem mereatur ob æqualitatem meriti cum præmio, ex iis locis deducitur, ubi justi per bona opera dicuntur fieri digni vita æterna; atqui non potest esse dignitas justi ad mercedem ob opera, nisi illa habeant æqualitatem quandam cum præmio.

Etsi

Etsi vero Tridentinum meritum de *condigno* expresse non commemoret, inde tamen per necessariam consequentiam illud inferri posse extra dubium est; nam Sess. 6. locis citatis, nempe cap. 16. & can. 32., dicitur justus per opera sua *vere* mereri vitam æternam, id quod dici non posset, si illa opera haberent solam decentiam & congruitatem ad vitam æternam, sicut Tridentinum e contrario dicit contritionem perfectam non promereri ipsam gratiam justificationis, etsi illa cum hac habeat quandam congruitatem. Adde, Patres omnes Tridentinos operibus post acceptam justitiam peractis concessisse rationem meriti condigni, ut testatur Pallavicinus lib. 8. cap. 4.

Probatur modo pars altera. Vita æterna dicitur corona justitiæ, merces, depositum &c. quæ indicant sane retributionem illius esse actum quendam justitiæ; atqui non est actus justitiæ strictæ seu commutativæ; ergo distributivæ, quæ non supponit jus aliquod ex parte creaturæ, neque respicit debitum aliquod proprium. Assumpta prop. porro ostenditur auctoritate PP. S. Basilius in Psal. 114. ait: *manet requies sempiterna illos qui legitime certarunt, non tanquam debitum operibus redditum, sed ob munificentissimam Dei gratiam.* S. August. lib. 1. confess. cap. 4. *reddis debita nulli debens, donas debita nihil perdens*. Prosper. lib. 1. de vocat. gent. c. 17. *Non laboris pretium solvit, sed divitias bonitatis suæ effundit.* Anselmus in proloq. c. 10. *Justus es, non quia nobis reddis debitum, sed quia facis, quod decet te summe bonum &c.* Hi textus, si conferantur cum aliis dictis Patrum qui Deum nobis debitorem faciunt, non excludunt justitiam providentialem & distributivam, sed tantum strictam & commutativam. Ac merito quidem: si enim Deus obligaretur nobis ad conferendam gloriam ex stricta justitia, non tantum ideo non posset negare gloriam facta promissione, quia sibi suisque promissis obligatur, sed etiam quia

ab-

abstrahendo a summa fidelitate, negando gloriam foret stricte injustus, & obligatus ad jus nobis reintegrandum, adeoque quia creatura foret potior in jure ad gloriam, quam Deus; atqui hæc omnia æque pugnant cum supremo, quod Deus in res omnes habet, jure proprietatis, ac pugnaret cum supremo, quod habet, jurisdictionis dominio, si se ex obedientia, vel ad præstandum obsequium creaturæ obligaret. Mirum igitur videri potest, in hanc opinionem nonnullos ex scholasticis declinasse.

Sed dices I. Retributionem gloriæ ex meritis esse actum justitiæ stricte talis, nimis aperte prædicant testimonia Scripturæ, præsertim Apostoli 2. Timoth. 4. ubi vocat gloriam *coronam justitiæ*, & Deum *justum judicem*; item ad Heb. 6. ubi dicit Deum *non esse injustum*, ut obliviscatur operis nostri. Ex quibus merito infertur, Deum fore injustum, si non daret gloriam pro meritis, adeoque obligari justis ex jure ipsorum. R. hæc intelligenda esse de justitia late dicta, nempe fidelitate in promissis, qua Deus debet aliquid creaturæ vi suæ promissionis infallibilis, ita ut si Deus per impossibile promissa non persolveret, foret infidelis absque obligatione satisfaciendi creaturæ ob jus ejus violatum. Et sane ad meritum condignum satis est, ut præmium debeatur ex justitia late dicta, seu ex fidelitate in promissis servandis; & non est necesse, ut præmium debeatur ex justitia stricte sumpta, quia hæc non potest esse inter Deum & hominem. Nam Deus supremum habet dominium & jus in omnes creaturas & in omnia earum jura, quo se abdicare non potest supremus rerum omnium Dominus.

Dices II. Ex dictis gloria redderetur ex pura fidelitate; sed

sed quod datur ex pura fidelitate, non redditur ut corona, merces & præmium. Alias sequeretur, quod Incarnatio, quæ data est ex fidelitate Divinarum promissionum, & remissio peccatorum, quæ peccatori contrito ex Divino promisso una cum gratia sanctificante conceditur, dici possent, illam fuisse datam ut mercedem & propter merita SS. Patrum, hanc vero dari ut mercedem propter meritum peccatoris contriti, contra illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* R. D. primam propos. gloria redderetur ex pura fidelitate, ita ut inde oriatur tantum obligatio reddendi gloriam; in ipsis autem operibus sit condignitas ad ipsam, C. secus & alio sensu, N. In ipsis operibus justorum condignitas & æqualitas est ad merendum præmium; sed quia ista opera Deus exigere potest ut sibi debita titulis aliis, ideo obligari non potest ad reddendam mercedem, nisi ipse velit & promittat, ut adeo obligatio justitiæ sit ex parte Dei, condignitas ad justitiam requisita ex parte operis, ut ex dicendis clarius intelligetur.

CAPUT IV.

DE CONDITIONIBUS AD MERITUM REQUISITIS.

Terminata quæstione an sit in hominibus meritum condignum apud Deum, quæritur quid tale meritum sit, id quod melius explicari non potest, nisi conditiones ad tale meritum explicando. Cum autem hæ conditiones se teneant vel ex parte actus capacis meriti, vel ex parte personæ merentis, vel ex parte Dei apud quem meretur; idcirco hoc argumentum juxta dictam divisionem distinctis etiam §. exponemus.

§. I.

§. I.

Quid ad meritum requiratur ex parte operis.

XIII. Certum & indubitatum eſt opus meritorium debere eſſe moraliter bonum & liberum; at circa alias conditiones non eadem eſt auctorum ſententia. Ac primo multi ex Theologis putant omnem actum moraliter bonum eſſe meritorium gratiæ & gloriæ apud Deum, ac proinde neceſſarium non eſſe, ut actus meritorius procedat ex auxilio gratiæ actualis & ſit ſupernaturalis. Fundamentum hujus opinionis eſt, quia juſtus non indiget gratia actuali ad unum aut alterum actum ex quo ſequitur ejuſmodi actum poſitum ab homine juſto eſſe naturalem, & ita, dignificari a gratia ſanctificante, ut ſit meritorius præmii ſupernaturalis. Ita videntur ſentire Cajetanus, Vaſqueſius, & alii, juxta quos quodlibet opus juſti moraliter bonum etiam in ordine naturali, eſt meritorium vitæ æternæ.

Gravior controverſia eſt, utrum opus meritorium debeat procedere a charitate, id eſt, an debeat fieri ex motivo vel ſaltem imperio charitatis. Multi ſunt, qui cum S. Bonaventura, Scoto, Bellarmino aſſerunt, ea duntaxat hominis juſti opera de condigno mereri vitam æternam, quæ vel eliciuntur, vel ſaltem imperantur ex charitate. At Suareſius lib. 12. de merito cap. 8. & plures alii negant hanc conditionem neceſſariam eſſe ad meritum, cenſentque operibus ſupernaturalibus cujusque virtutis ineſſe veram rationem meriti, modo aliæ non deſint conditiones. Sit ergo:

ASSERTIO I.

Ad opus meritorium requiritur, ut sit moraliter bonum, liberum, & intrinsece supernaturale.

XIV. Prima pars in dubium vocari non potest; Scriptura enim non aliis quam bonis & honestis operibus tribuit rationem meriti apud Deum. Hinc 2. Petri 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*; & Joan. 5. *procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Ac certe ut actus sit meritorius debet respicere Deum ut finem ultimum; sed actus qui non est moraliter bonus, non respicit Deum ut finem ultimum. Rursus: opus meritorium debet esse dignum præmio; at opus moraliter malum non est dignum præmio, sed pœna, juxta Apostolum Rom. 6. *stipendia peccati mors.*

Pars altera est de fide, ut constat ex tertia propositione Jansenii damnata ab Ecclesia, & merito quidem: nam positio Jansenii (qua dixit *ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem à necessitate, sed sufficere libertatem a coactione*) consentit cum propositionibus Lutheri & Calvini damnatis Sess. 6. Tridentini can. 4. & 6. Videantur ea quæ dixi *Controvers. 3. num. 26.* Probatur vero ex Scripturis; nam postquam Ecclesiasticus c. 31. dicit: *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere malum & non fecit*, continuo addit: *ideo stabilita sunt bona illius.* Hic exprimitur libertas requisita ad meritum, eaque in eo constituitur quod quis non transgrediatur mandata, cum posset transgredi, nec faciat mala, cum posset facere, hoc est quod sine antecedente necessitate mandata servet & peccata vitet. Hinc S. Hieronymus lib. 2. contra Jovin. *ubi necessitas est, nec damnatio nec corona est.* August. lib. 2. de libero arbit. c. 2. *& pœna esset injusta, & præmium,*

mium, si homo voluntatem non haberet liberam. Et certe nemo peccat nisi qui libere agit; igitur nec meretur, qui libere non operatur. Debitum enim non oritur, nisi ex eo quod unus dat alteri, quod suum erat; nam si rem non suam sed alienam daret, nihil ei deberetur: nihil autem proprie nostrum est, nisi quod pro arbitrio possumus facere vel omittere; ista enim in nostra potestate sunt, & horum dominium proprie habere dicimur.

Tertia pars sic probatur: actus supernaturalis quoad substantiam is dicitur, qui elicitur ex auxilio gratiæ actualis; atqui ut actus sit meritorius & conducens ad salutem, debet elici ex auxilio gratiæ actualis; nam Arausicanum can. 7. damnat eos qui dixerint *per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse absque illuminatione & inspiratione Spiritus S.* Et Trident. Sess. 6. can. 2. ita habet: *si quis dixerit ad hoc solum Divinam gratiam per C. J. dari, ut facilius homo juste vivere, & vitam æternam promereri possit; quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen & difficulter possit, anathema sit.* Et sane actus meritorius debet habere aliquam æqualitatem proportionis cum præmio, adeoque meritum & præmium debent esse in eodem ordine; sed præmium est intrinsece supernaturale, nempe perfecta Dei possessio per visionem intuitivam & amorem fruitivum; ergo & meritum supernaturale esse debet.

Sed dices: actus in se omni ex parte finitus potest proportionari per gratiam sanctificantem ad promerendum præmium saltem extensive infinitum; cur non etiam actus de se naturalis poterit dignificari per gratiam ad præmium supernaturale? sicut enim actus finitus ponitur ab amico Dei capaci præmii supernaturalis, ita actus naturalis poneretur ab homine

amico Dei capaci præmii ſupernaturalis. Et certe ſi homo, qui eſt entitas pure naturalis, poteſt dignificari a gratia, & obtinere jus ad hæreditatem vitæ æternæ, non apparet ratio, cur non etiam poſſit actus de ſe naturalis a gratia dignificari ad merendum præmium vitæ æternæ. *Reſp.* In actum finitum ſupernaturalem per ſuos habitus influit gratia ſanctificans, facitque ut talis actus ponatur a filio Dei ut tali, cujus proportionatum præmium eſt vita æterna; at vero in actum pure naturalem non influit gratia, adeoque illum non dignificat. In altero autem diſcrimen in eo eſt, quod perſona & finis, ad quem elevatur, non debent eſſe in eodem ordine, alioquin nulla natura elevari poſſet ad finem ſupernaturalem: at meritum & præmium debent eſſe in eodem ordine, ut colligitur ex Patribus, qui docent naturam non poſſe quidquam ſuis viribus operari in ordine ad ſalutem.

ASSERTIO II.

Ad opus meritorium condignum non requiritur, ut fiat ex motivo vel imperio Charitatis.

XV. Probatur I. ex iis Scripturæ locis, ubi reliquis virtutibus promittitur vita æterna, nulla facta mentione charitatis. Sic Matth. 5. dicitur: *beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum;* item *beati miſericordes, beati pacifici &c.* Matth. 25. habetur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum, eſurivi enim, & dediſti mihi manducare &c.* Ubi per regnum intelligitur præmium eſſentiale, quod Chriſtus dabit propter opera miſericordiæ. Confirmatur ex capite 19. ubi interroganti *quid boni faciam ut habeam vitam æternam*, reſpondet Chriſtus: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata;* mox autem enumerat præcepta moralia: & 1. Corinth. 15. ubi Apoſtolus ait: *abundantes in omni opere Do-*

Domini, *scientes quod labor vester non est inanis.* Jam vero ex his & aliis textibus ita arguimus: Amicus & filius adoptivus Dei per omnes actus honestos, liberos & supernaturales meretur præmium consentaneum amico & filio Dei, quod præmium est vita æterna; atqui actus aliarum virtutum, etsi a charitate non imperati, sunt actus honesti, liberi & supernaturales.

Prob. II. ex Trident. Capite enim 16. Sess. 6. absolute dicit: *vitam æternam esse mercedem ex Dei promissione bonis operibus promissam & meritis fideliter reddendam*, ubi per vitam æternam intelligitur præmium essentiale, hoc est propria hæreditas filiorum Dei, quam dicit Concilium esse mercedem non solius charitatis, sed bonorum operum, quæ ad alias etiam virtutes pertinent. Paulo post expresse dicit: *nihil ipsis justificatis amplius deesse*, *quo minus censeantur bonis operibus Divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse*, & *vitam æternam vere promeruisse.* Atqui præceptis Divinis non satisfacimus per solam charitatem, sed & per alios aliarum virtutum actus: ergo illis etiam actibus meremur vitam æternam. Neque obest quod ibi dicitur, bona illa opera *in Deo* esse facta; nam certe in Deo fit, quod in gratia & ex gratia fit, & ad quod Deus specialiter excitat ac adjuvat, & quod in gloriam Dei cedit, etsi ex actuali charitate non fiat. Hinc Trident. definit Can. 32. justificatum *bonis operibus* vere mereri vitam æternam. Adde duas prop. Quesnelli in Bulla unigenitus damnatas, 55. *Deus non coronat nisi charitatem; qui currit ex alio impulsu & ex alio motivo*, *in vanum currit;* & 56: *Deus non remunerat nisi charitatem*, *quoniam charitas sola Deum honorat.* Ex quo sequitur opus bonum fieri posse sine motivo & imperio charitatis. Si ita, cur illud opus non erit meritorium? Prætereo testimonia Patrum, quibus hortantur non tantum ad exer-

exercendam charitatem, ſed & ad actus aliarum virtutum, ut per hos mercedem nobis propoſitam obtineamus & augeamus.

Hinc Probat. III. ratione. Dum Scriptura promittit mercedem bene operantibus, non requirit modum operandi perfectiſſimum ad verum meritum, imo in aliarum virtutum actibus reperiuntur conditiones omnes ad meritum requiſitæ ſuppoſito ſtatu gratiæ in perſona operante; fiunt enim ex influxu Chriſti in membrum ſibi conjunctum, ut Trident. ait. Quare omnes actus a juſto per auxilium gratiæ prævenientis facti per ſe tendunt in Deum tanquam finem ſuum ultimum (utpote cum ſint intrinſece ſupernaturales, procedantque a principio ſupernaturali) adeoque intrinſecam habent ad Deum tanquam principium & finem ſupernaturalem ordinationem, præter quam nulla alia ordinatio ad meritum condignum eſt neceſſaria. Adde ex Suareſio, oppoſitam opinionem multum minuere & ſine fundamento merita juſtorum; nam cum multi juſti, ſaltem imperfectiores, ſæpe ſat diu actum charitatis non eliciant, etſi ſeſe in aliis operibus bonis exerceant, ſat diu etiam nihil mererentur, cum tamen Chriſtus operibus miſericordiæ, nulla facta mentione charitatis, vitam æternam polliceatur, ut ſupra vidimus.

Solvuntur argumenta contraria.

XVI. Opponunt potiſſimum oppoſitæ ſententiæ Patroni auctoritates Scripturarum & Patrum, quæ ad ſequentia revocamus. I. Matth. 19. dicitur: *Omnis qui reliquerit Domum vel fratres aut ſorores propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam poſſidebit.* & Marci 9. *Quicunque dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, non perdet mercedem ſuam,* ubi hæc verba *in nomine*, vel *propter nomen meum* ſatis notant

actum

actum meritorium vitæ æternæ debere fieri vel ex motivo, vel saltem ex imperio charitatis. Hinc Apostolus ait 1. Corinth. 2. *Oculus non vidit, neque auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ Deus præparavit diligentibus se;* & S. Jacobus cap. 1. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam - - - accipiet coronam vitæ, quam Deus promisit diligentibus se.* Vita ergo æterna promissa & præparata est soli Dei dilectioni. II. Quale opus esse debeat in ordine ad meritum, variis locis exprimit Apostolus: 1. Corinth. 10. ait: *omnia in gloriam Dei facite;* item cap. 16. *omnia vestra in charitate fiant.* Rursum cap. 13. *si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et ad Galat. 5. *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet* (in ordine ad promerendam vitam æternam) *nec præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* Fides autem operatur per charitatem, illam excitando & per illam virtutes alias ad actus proprios movendo & applicando. III. Hanc in rem multa sunt testimonia Patrum, ac præprimis S. Augustini, qui lib. de grat. & lib. arb. c. 15. ita habet: *præcepta charitatis tanta sunt, ut quidquid putaverit homo se bene facere, si fiat sine charitate, nullo modo bene fiat.* & lib. 19. de charit. c. 15. *virtutes dum propter se appetuntur, vitia sunt.* Rursum lib. 1. Retract. cap. 15. *omnia bona hominis in summum bonum referenda sunt.* Item de moribus Ecclesiæ c. 15. *quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei* Idem D. Doctor clare dicit Enchirid. c. 117. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas,* & in Psal. 18. *Qui non vult servire charitati, necesse est ut serviat cupiditati.* Adde D. Gregorium Hom. 27. in Evang. ita loquentem: *nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis.* IV. Adjiciunt varia loca ex D. Thoma, qui, ut omittam alia, 1. 2.

quæst. 114. a. 4. ita ait: *meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem; ad alias vero virtutes ſecundario, ſecundum quod earum actus a charitate imperantur.* Et in reſponſione ad 3. object. habet: *actus fidei non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur; ſimiliter actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex charitate hæc operetur.* Potior ergo authoritas videtur eſſe pro oppoſita ſententia.

His auctoritatibus facile ſatisfieri poterit, ſi ad duo advertamus: primo in Scripturis promitti quidem charitati vitam æternam, non tamen illi ſoli, ſed & aliis virtutum actibus, ſecundo, Tridentinum de merito loquens ſine omni reſtrictione memorare omnia bona opera in Deo id eſt in gratia facta, quæ nempe ex ſe tendunt ad Deum tanquam finem ſupernaturalem; hinc ad 1*mum* R. nihil evincere textus illos, qui charitati ſpondent vitam æternam: ex eo enim quod illi promittatur merces, non excluduntur virtutes aliæ, quibus alibi eadem merces tribuitur nulla mentione facta charitatis. Deinde qui operatur ex motivo alterius a charitate diſtinctæ virtutis, operatur propter Deum ſaltem exercite & interpretative, quia Deum vere glorificat, id faciendo quod Deo glorioſum gratumque eſt; operatur item exercite in nomine Chriſti, quia agit ex motivo virtutis Chriſtianæ, & a Chriſto in Evangelio propoſitæ. Jam vero qui ita operatur, amicus eſt & filius Dei adoptivus, qui per omnia opera ſupernaturalia meretur præmium conſentaneum amico & filio Dei, quale præmium eſt vita æterna.

Ad 2*dum* explico textus. Apoſtolus monens, ut omnia ad gloriam Dei faciamus, vel ſolum dat conſilium, non præceptum aut documentum de eo, quod eſt neceſſarium ad meritum; vel certe dicendum eſt, bona opera, etſi nullo modo fiant

ſiant ex motivo charitatis, ex mente Apoſtoli referri ad gloriam Dei ſaltem exercite, quatenus ſic operans, & mandata obſervans vere glorificat Deum, facitque id quod ei gratum eſt & acceptum. Iſta verba: *omnia in charitate fiant*, vel intelligenda ſunt de dilectione proximi, ita ut dehortentur ab omni diſcordia & ſciſſione mutua, ut ex totius Epiſtolæ contextu apparet: vel ſi ea de charitate Dei intelligere velis, notant nihil agendum eſſe contra voluntatem Dei. Nam, ut bene notandum, præceptum de Deo diligendo Lucæ 10. nobis propoſitum dupliciter ſpectari poteſt, primo ut eſt *negativum*, & ſic ſemper obligat, quia prohibet, ne quid voluntati Divinæ contrarium committamus; deinde ut eſt *affirmativum*, & ſic non obligat ſemper, ſed tantum pro certis temporibus, quibus Deus ut ſummum bonum diligi debet. Illa verba: *charitatem autem non habuero*, intelligenda ſunt de charitate habituali, quæ ſi non adſit, neque adeſt gratia ſanctificans, adeoque non datur meritum condignum ex defectu ſtatus juſtitiæ, non autem ex defectu charitatis actualis. Aliqui cum Anſelmo & Beda ea verba intelligunt de bonis operibus, quæ non ex bona fine, ſed ex vanitate peraguntur. Jam cum dicitur ad ſalutem valere ſolam fidem, *quæ per charitatem operatur*, ſenſus eſt, quod fides tantum valeat ad ſalutem, quatenus excitat ad opera, quæ fiunt ex motivo charitati conſentaneo, aut quæ dignificantur ad merendum de condigno per gratiam ſeu charitatem habitualem. Hinc ut dicatur fides operari per charitatem, neceſſe non eſt, ut opus fiat ex motivo vel imperio charitatis, cum ille per charitatem operari dici poſſit, qui habet fidem charitate formatam, atque operatur ex motivo charitati conſentaneo; talis enim agit ſecundum præcepta charitatis, & ſecundum illas virtutes, quæ ab ipſa charitate originem ducunt, & in ipſa radicantur.

Ad 3*tium* ſimili fere modo reſpondendum, ac præprimis advertendum eſt, Patres vario ſenſu uſurpare vocem *charitatis* & *dilectionis:* nempe interdum pro ſola charitate habituali, modo pro actu charitati non oppoſito, modo pro quolibet amore juſtitiæ & honeſtatis, quo ſenſu dixit Auguſtinus lib. 8. de Trin. c. 10. *Quid eſt charitas, niſi amor boni*, & lib. de nat. & grat. c. 67. *Non ſemper habet homo gratiam charitatis, ſed aliter & aliter a multiformi Dei gratia movetur.* Quare cum dicunt omnia eſſe facienda cum charitate, & ſine illa nihil bene fieri poſſe, vel volunt tantum inſinuare, nunquam licitum eſſe agere contra charitatem, vel inſinuant urgente ſuis temporibus præcepto agendum eſſe ex motivo charitatis, vel notant dilectionem Dei exercitam, ut ita dicam, ipſo opere & obſervantia præceptorum, vel denique indicant, nullum opus eſſe de condigno meritorium ſine gratia & charitate habituali.

Ut autem ſpeciatim adductos textus explicemus, dico inprimis iſta Auguſtini verba *virtutem eſſe ſummum amorem Dei* ſic eſſe intelligenda, quod charitas ſit virtus antonomaſtice, & ita ceterarum virtutum radix & forma, ut ſine ea ante mortem habita aliæ virtutes non poſſint ad ſalutem perducere. Deinde hæc verba: *regnat carnalis cupiditas, ubi non eſt charitas,* varie exponi poſſunt: I. de charitate late ſumpta pro qualibet affectione bona, ut adeo ſenſus ſit, regnare malam cupiditatem, ubi nulla pia affectio eſt in exercitio operum. 2do, de charitate habituali, ſine qua homo moraliter perſeverare non poteſt & implere præcepta, ut alibi dixi. 3tio, de peccato habituali, ita ut ſenſus ſit, peccatum habituale, quod eſt effectus carnalis cupiditatis moraliter perſeverans, regnare in anima, ubi non eſt charitas habitualis. Et ſane ſi illa verba ſumerentur in ſuo rigore, probarent omnes actus virtutum in-

infusarum a charitate non imperatos non solum non esse meritorios, sed esse vitia & peccata, quod asserere impium foret. S. Gregorium ita explica, ut dicas ramum boni operis nihil viriditatis, seu condigni meriti habere, si fiat sine charitate & gratia habituali. Quod Doctorem Angelicum attinet, dicunt nonnulli eum fuisse in sententia opposita, & ab eo recedendum esse ob motiva pro assertione nostra adducta, ac praesertim propter Tridentinum, quod docet omnia opera justorum esse vere meritoria. Suaresius e contrario D. Thomam explicat, aitque eum voluisse duntaxat, esse necessarium ad meritum, ut opus aliquo modo pertineat ad charitatem supernaturalem, & in illa fundetur; hoc autem habere eo ipso, quod fit ex motivo charitati consentaneo, modo fiat ab amico Dei, quia est proportionatum amicitiae Divinae & de se tendens in finem charitatis, quae in operante supponitur. Hinc ait in 2. dist. 40. a. 5. *non posse esse aliquem actum a deliberata voluntate procedentem in habente gratiam, qui non sit meritorius.*

XVII. Opponunt insuper momenta varia hujus tenoris. I. Debet esse proportio inter meritum & praemium: cum igitur vita aeterna sit praemium praestantissimum, obtineri debet per actum praestantissimum nempe charitatis. Et certe sicut visio beatifica perfecte unit animam Deo in termino, ita charitas in via; & sicut praemium visionis beatae est consecutio Dei prout est in se, ita sola dilectio est tendentia in eundem Deum prout est in se, ut adeo haec sola habeat cum illa proportionem. II. Augmentum praemii respondet augmento gratiae, adeoque etiam augmento charitatis; sed charitas non augetur nisi suis propriis actibus; ergo etiam praemium non respondet nisi actibus charitatis. III. Gonetus ita arguit: charitas vel influit in actus aliarum virtutum, vel non: si primum, ergo cum id praestare non possit nisi in ordine ad proprium

motivum, illos saltem virtualiter refert ad Deum, adeoque imperat: si alterum, ergo tales actus sunt mere naturales, adeoque incapaces præmii supernaturalis. IV. Habitualis prava dispositio peccatoris non facit, ut omnia ejus opera referantur ad finem peccatoris, alioquin omnia ejus opera essent peccata; ergo nec habitualis bona dispositio justi facit, ut omnia ejus opera bona conducant ad ejus finem supernaturalem. V. Ad opus meritorium requiritur, ut referatur ad Deum tanquam ultimum finem supernaturalem; atqui ad hunc refertur per solam charitatem. Demum perfectio vitæ Christianæ consistit in charitate, atque hæc est Domina & regina aliarum virtutum: cum ergo perfectioni vitæ Christianæ promissa sit vita æterna, & præcipuum præmium constitutum sit principi ceterarum virtutum, manifestum fit, reliquis virtutibus non dari vitam æternam, nisi fiant ex imperio charitatis.

Ad 1*mum* R. Necessariam omnino esse proportionem inter meritum condignum & præmium, eamque inveniri non in solo actu charitatis, sed & in actibus aliarum virtutum. Hæc enim proportio non consistit in æqualitate perfectionis; quia ista etiam non reperitur inter actum charitatis & visionis beatæ, neque ad sufficientem proportionem necessarium est, ut meritum directe attingat Deum: sufficit ergo, ut opus sit bonum, supernaturale, & in Deum tanquam finem supernaturalem tendat; sic enim opera ista ab amico & filio Dei posita proportionata sunt ad merendam hæreditatem, seu vitam æternam. Instantia est in operibus Christi, quorum idem est valor formalis, spectata nempe dignitate derivata ab infinita persona Verbi, etsi non par sit omnium valor materialis, seu spectata intrinseca ipsorum perfectione.

Ad 2*dum* dico: per omne meritum condignum augeri gra-

gratiam, atque hac aucta augeri omnes habitus infusos tanquam proprietates gratiæ, proinde etiam habitum charitatis, ita ut augeatur directe per solos actus a se elicitos vel imperatos, indirecte vero per actus aliarum virtutum.

Ad 3*tium* aio: distinguendum esse inter charitatem habitualem & actualem. Illa accepta pro gratia habituali (ut passim sumitur) influit per suos habitus infusos in omnes actus salutares justi; ex quo tamen minime sequitur, omnes ejus generis actus fieri ex motivo aut imperio charitatis, ut adeo actualis charitas non influat necessario in omnia merita justi, quæ tamen intrinsece sunt supernaturalia, quia fiunt dependenter ab auxiliis & habitibus supernaturalibus.

Ad 4*tum* disparitas in eo est, quod habitualis sanctitas justi influat per suos habitus physice, & per se ipsam moraliter in omnia ejus opera saltem facta ex gratia supernaturali: at vero habitualis status peccatoris nullo modo influit in opera ejus moraliter bona, sed mere se habet concomitanter.

Ad 5*tum* D. majorem prop. Ad opus meritorium requiritur, ut referatur ad Deum vel per actum exercitum vel expressum, C. semper expressum, N. satis constat ex dictis, merita vitæ æternæ non esse necessario facienda ex motivo charitatis & propter Deum summe bonum; satis est, si ad Deum referantur exercite, quod fit tripliciter in operibus ex charitate non imperatis. Nam procedunt ex motivo alicujus virtutis vel in se supernaturali, vel saltem per illustrationem supernaturalem proposito, adeoque Deus per illa vere glorificatur: rursum sunt intrinsece supernaturalia, adeoque ex se ordinantur ad Deum tanquam principium & finem supernaturalem: item fiunt a gratia habituali per habitus infusos, & sic ab illa

vir-

virtutem meritoriam & dignitatem obtinent. Ad id quod additum eſt, dico: charitatem quidem eſſe principem omnium virtutum, in ea etiam conſiſtere perfectionem Chriſtianam principaliter ſumptam: at cum hæc ipſa perfectio Evangelica ſecundum totam ſuam extenſionem accepta includat etiam obſervantiam mandatorum, & exercitium virtutum theologicarum ac moralium, præterea cum his omnibus, ut vidimus, promittatur merces vitæ æternæ, quis dubitet reliquis virtutibus rationem condigni meriti convenire? quamquam charitas in eo emineat, quod eidem ceteris paribus majus præmium reſpondeat, quam ceteris inferioris notæ virtutibus.

§. II.

Oſtenditur ad meritum condignum ex parte operantis requiri ſtatum viæ & ſtatum gratiæ.

XVIII. Prima pars aperte colligitur ex Scripturis. Eccleſiaſtes cap. 11. dicit: *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit*, ubi per caſum ligni mors hominis notatur, & per voces *ibi erit* indicatur meritum vel demeritum hominis in alia vita nec augeri poſſe nec minui: unde Apoſtolus ad Gal. 6. ſic infert: *ergo dum tempus habemus, operemur bonum*, & Chriſtus Jo. 9. *venit nox, quando nemo poteſt operari.* In quem locum S. Auguſt. ſic ſcribit: *aliud eſt tempus operationis, aliud receptionis - - - cum vivis, fac, ſi facturus es: erit enim tunc nox valida, quæ involvat impios. Sed & modo omnis infidelis illa nocte ſuſcipitur, & non eſt, ut illic aliquid operetur.* Et D. Hieronymus in cap. 6. epiſtolæ 1. Corinth. ita ait: *tempus ſementis eſt præſens vita: cum tranſierit, operandi tempus aufertur.* Hujus porro conditionis ad merendum requiſitæ cauſa eſt volun-

luntas Dei, qui cum temporalem hominis vitam laboribus & meritis destinavit, statuit in altera vita coronam atque mercedem. Hinc neque beati majorem merentur gloriam, neque damnati majus supplicium: Sancti quidem in cœlo pro nobis intercedunt, sed illorum oratio obtinet nobis dona per modum impetrationis potius quam meriti, cum Deus illorum precibus non moveatur tanquam meritis aliqua ratione exigentibus præmium proportionatum, sed tanquam petitionibus personarum sibi amicarum & dignarum, quæ impetrent ob antiqua merita & præsentem gloriam.

XIX. Altera pars est contra Bajum, qui docuit ad opus meritorium vitæ æternæ satis esse, ut fiat ex vera obedientia legis, etsi non fiat a persona elevata ad statum gratiæ: hinc damnatæ sunt illius prop. sequentes, 12. *Pelagii sententia est: opus bonum citra gratiam adoptionis factum non est regni cœlestis meritorium.* 13. *Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi.* 15. *Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit Divinæ legi.* 17. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum deificum.*

Probatur autem ex Script. Joan 15. dicitur: *sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, ita nec vos, nisi in me manseritis.* Sicut igitur palmes non potest ferre fructum, nisi cum vite continuetur & ab ea influxum recipiat, ita homo non potest facere fructum, nisi conjungatur cum Christo & ab eo virtutem participet per gratiam, quæ est

femen vitæ æternæ. Rurfum Scriptura docet regnum cœlorum effe hæreditatem filiorum; fic Rom. 8. dicitur: *accepiftis fpiritum adoptionis filiorum: fi autem filii & hæredes*, fimilia habentur ad Coloff. 3. ad Hebr. 1. 1. Petri 1. & alibi, ubi vita æterna dicitur hæreditas, quæ proprie ad filios pertinet, quæque non eft merces fervorum, fed propria portio filiorum. Atque hanc fententiam effe Concilii Trident. Certum eft ex Seff. 6. cap. 16., ubi docet vitam æternam effe *gratiam mifericorditer filiis Dei per Chriftum promiffam, & fimul mercedem bonis eorum operibus fideliter ex Dei promiffione reddendam*, & Can. 32. declarat opera meritoria illa effe, *quæ fiunt a juftificatis per gratiam Dei, ut funt viva Chrifti membra.* Et certe ad opus meritorium de condigno requiritur, ut non tantum opus, fed & perfona fit vitæ æternæ proportionata, adeoque per gratiam fanctificantem elevata ad ordinem Divinum, ftatum amicitiæ & filiationis Divinæ; cum in morali æftimatione valor operis pofiti in obfequium alterius (præfertim qui ex ipfo opere nullam utilitatem percipit) plurimum pendeat a dignitate operantis, ut inftantia dari poteft a meritis Chrifti, quæ certe majoris non effent valoris quam merita ceterorum hominum, nifi valor illorum a ftatu & dignitate perfonæ operantis penderet.

Sed jam momenta, quæ opponuntur, breviter diluamus. Aiunt *primo*, Scripturam promittere etiam vitam æternam obedientiæ legis, Matth. 19. *fi vis ad vitam ingredi, ferva mandata*, non autem dicit: fi vis ad vitam ingredi, cura ut adopteris in filium. Rurfum: Apoftoli Petrus & Paulus, ille Act. 10., hic Rom. 2. docent, Deum non effe acceptorem perfonarum, fed gloriam & honorem tribuere omni operanti bonum; non igitur requiritur ad meritum vitæ æternæ exaltatio naturæ ad effe quoddam fupernaturale, fed fola obedien-

dientia legis. *Secundo* opponunt S. Augustinum, qui lib. 1. de libero arb. c. 6. dicit lege naturæ constitutum esse ut boni beatam, mali miseram vitam ducant, & lib. de nat. & grat. c. 2. ait: *natura humani generis - - - si potest sibi sufficere ad implendam legem, perficiendamque Justitiam, de præmio debet esse secura, hoc est de vita æterna, etiamsi in aliqua gente, aut in aliquo superiori tempore fides eam latuit sanguinis: non enim est injustus Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ.* Hic D. Doctor refellere videtur sententiam Pelag., qui dicebant posse hominem suis viribus legem implere, & tamen egere gratia adoptionis, ut regnum cœlorum obtineat: fuit ergo in ea sententia, ut putaret non esse opus gratia adoptionis ad regnum cœlorum obtinendum, sed solum gratia juvante ad legem implendam, consequenter meritum pendere ex obedientia legis, non ex dignitate personæ. *Tertio:* Opus malum, aiunt, de se meretur pænam, nec requiritur ut procedat ex habitu destruente naturam; ergo & opus bonum ex natura sua meretur præmium, etsi non procedat ex habitu elevante naturam.

Ad I. R. Intuendum esse in Scripturis, ad quos dirigatur oratio. Nam cum infidelibus Scripturæ loquuntur, non tam bona opera, quam fidem & baptismum prædicant: cum autem alloquuntur fideles & regeneratos, opera & obedientiam legis docent. Christus ergo apud Matth. observantiam mandatorum tanquam viam ad vitam proponit non exclusa gratia tanquam conditione; alioquin etiam non requireretur fides, cum de ea ibi nulla fiat mentio. Deinde acceptor personarum is est, qui attendit ad qualitatem personæ non conferentem ad meritum, non ille qui spectat qualitatem personæ conducentem ad meritum: cum ergo vita æterna sit bravium solis justis propositum, non accipit Deus personas, cum hanc justitiæ qualitatem spectat; sicut acciperet si consideraret, an qui bene ope-

rantur, ſint græci, vel judæi, liberi aut ſervi; ac ideo cum Apoſtoli dicunt Deum non eſſe perſonarum acceptorem, mentionem faciunt Judæi & Græci, eamque rem ſæpe inculcant contra Judæos, qui putarunt ſe ſolos ad regnum Dei & gratiam pertinere.

Ad II. Dico S. Auguſtinum priore loco citato non loqui de vita beata, quæ in viſione Dei conſiſtit, ſed de vita beata in genere, ut adeo ſenſus ſit, lege æterna conſtitutum eſſe, ut boni bene & mali male recipiant, & ſi quidem boni ſint bonitate ſupernaturali, ſupernaturalem, ſi tantum boni ſint bonitate naturali, naturalem beatitudinem conſequantur. Altero loco propoſitio hunc ſenſum habet: ſi homo ſine fide Chriſti ſolis ſuis viribus poſſit implere legem, de præmio vitæ æternæ debet eſſe ſecurus; at inde non ſequitur gratiam adoptionis ad meritum non eſſe neceſſariam. Nam (ut idem Auguſt. docet lib. 1. ad Bonifacium c. 2.) non vivunt recte homines, neque juſtitiam perficiunt, niſi prius filii Dei efficiantur. Neque eo loco refellit Pelagianos, quod putarent gratiam adoptionis neceſſariam, ſed tantum refutat errorem cujusdam, qui naturæ humanæ nimium tribuebat. In aliis quidem locis tribuit Auguſtinus Pelagianis, quod requirerent gratiam adoptionis; ſed inde eos non reprehendit, ſed quod negarent eam neceſſariam eſſe in parvulis ad purgandum peccatum originale, & in adultis ad implenda mandata Divina. Ad III. R. facilius eſſe peccare, quam bene agere, ideoque ſufficere ad peccandum libertatem arbitrii, ad bonum vero opus gratiam. Præterea ut peccato debeatur pœna, nulla conventio vel promiſſio neceſſaria eſt; qui enim alterum lædit, juſtitiam violat, ideoque ſatisfacere tenetur ex juſtitia, etſi nulla promiſſio interceſſerit. At ut bono operi debeatur merces ex juſtitia, conventio aut promiſſio neceſſaria eſt: Deus

autem

autem non promisit vitam æternam nisi regeneratis & adoptatis per gratiam.

§. III.

Quid ex parte Dei requiratur ad meritum condignum.

XX. Bajus putavit, opera bona ex natura sua esse meritoria vitæ æternæ, ita ut non requiratur pactum aliquod vel gratuita promissio, ad hoc ut ex justitia merces vitæ æternæ bonis operibus debeatur: hinc damnata videtur illius propositio secunda, quæ ita habet: *sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.* Addit etiam, Christum nobis non meruisse vitam æternam, nisi quatenus gratiam bene operandi nobis promeruit, ut patet ex Propos. 11. damnata: *quod pie & juste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est: nec in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali institutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.* Ad hanc doctrinam repudiandam etsi sufficiat auctoritas SS. PP., qui illam damnarunt, adduci etiam potest Tridentinum Sess. 6. cap. 16. ita loquens: *bene operantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per C. J. misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus fideliter reddenda.* Et Can. 26. *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus expectare æternam retributionem a Deo per ejus misericordiam, & Jesu Christi meritum, si bene agendo usque in finem perseveraverint, anathema sit.* Habemus hic & promissionem eamque gra-

gratuitam, & Christi merita respectu vitæ æternæ nobis donandæ.

Communis igitur Theologorum opinio est, ad meritum condignum requiri ex parte Dei promissionem quandam, etsi in eo discrepent, quod aliqui cum Scoto velint Divinam illam promissionem esse rationem formalem meriti; alii multo plures cum Bellarmino dicunt promissionem esse meram conditionem, vi cujus illi, qui bene operantur, jus habeant ad vitam æternam tanquam mercedem, eorumque opera sint in actu secundo meritoria: sit ergo sequens

ASSERTIO.

Ut meritum sit condignum in actu secundo, requiritur ex parte Dei promissio retributionis.

XXI. Prob. I. Ex Script. Jacobi 1. dicitur: *beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam Deus repromisit diligentibus se.* Unde Apostolus vitam æternam vocat promissionem, ad Heb. 6. *fide & patientia hæreditabunt promissiones*, & c. 10. *ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem.* Hinc Augustinus Enarrat. in Psal. 109. ait: *fidelis Dominus, qui se nobis debitorem fecit, non aliquid a nobis accipiendo, sed aliquid quod ei placuit permittendo.* Et Serm. 16. de Verbis Apostoli: nunc 158. *debitor nobis factus est Deus, non aliquid a nobis accipiendo, sed aliquid quod ei placuit promittendo.* Et paulo post: *hoc modo possumus exigere: redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.* Idem scribit Fulgentius in prologo lib. ad Monimum: *se ipsum sua largitate dignatus est facere debitorem.*

Prob. II. Ratione. Meritum in actu secundo condignum de-

debet præmiantem aliquo modo obligare, ſeu debitorem facere, juxta illud Apoſtoli Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum:* atqui non poteſt homo ſuis operibus ulla ratione Deum obligare, niſi ejus operibus præmium promiſerit; cum enim Deus ob ſummam ſuam excellentiam & ſupremum dominium in creaturas poſſit juſtiſſime, nulla etiam mercede propoſita, ab homine quodlibet obſequium exigere, non eſt unde ſecluſa promiſſione ex debito teneatur bonis operibus mercedem reddere. Nota tamen, eam Dei promiſſionem, etſi ſit quid neceſſario ſuppoſitum, non tamen eſſe rationem formalem, quæ conſtituat merita, eisque tribuat condignitatem ad præmium; hanc enim merita ſupponuntur habere a gratia ſanctificante, quæ eſt ejusdem ordinis cum gloria, eamque per modum ſeminis & radicis continet. Et certe ſi extrinſeca Dei ordinatio eſſet ratio conſtitutiva meriti condigni, actus virtutum naturales poſſent eſſe merita vere condigna vitæ æternæ, cum etiam Deus poſſet tales actus ordinare ad beatitudinem ſupernaturalem, eamque promittere tales actus elicientibus: quo poſito illi actus fierent vere meritorii, cum poſita ratione formali habeatur meritum.

XXII. Quæres: quænam conditiones requiruntur ad meritum congruum? Reſp. ex parte operis requiritur, ut ſit actus bonus, liber, & etiam intrinſece ſupernaturalis, id eſt ut eliciatur per gratiam actualem, cum nihil poſſimus operari in ordine ad ſalutem per ſolas naturæ vires, ut uberius diximus Controverſia 2da. Ex parte operantis requiritur, ut ſit in ſtatu viæ, non vero ut ſit in ſtatu juſtitiæ; cum peccator per actus ſupernaturales fidei, ſpei & charitatis poſſit de congruo mereri juſtificationem. Ex parte Dei ad meritnm in actu ſecundo congruum requiritur aliqua acceptatio meriti in or-

ordine ad præmium, consistens saltem in decreto de dando præmio. Etsi enim opus congruum de se sit meritorium in actu primo, id est aptum movere liberalissimum Deum ad retributionem alicujus doni supernaturalis, potest tamen Deus illi negare omne præmium, adeoque ut fiat meritorium in actu secundo, requiritur ex parte Dei acceptatio aliqua consistens saltem in decreto de dando præmio. Dicitur autem *saltem in decreto;* quia etsi ad meritum congruum non requiratur promissio præmiantis, eidem tamen non repugnat, ut communiter docent Theologi contra Scotum, qui putat meritum congruum accedente promissione præmii fieri condignum: quod falsum esse patet in contritione peccatoris, quæ etsi promissam habet justificationem, eam tamen de congruo duntaxat meretur.

CAPUT V.

DE PRÆCIPUO OBJECTO MERITI.

XXIII. Duo sunt præcipua, quæ cadunt sub meritum, gratia & gloria, atque de his quæritur, utrum & quomodo ea homo promereri possit. Quod ut resolvatur, notandum est, gratiam aliam esse actualem, quæ est principium effectivum meriti, & aliam habitualem, quæ ejusdem principium est dignificativum, ut hactenus vidimus. In gratia habituali considerare possumus vel ejus substantiam vel augmentum: uti & in gloria primum & secundum gradum. Quare tria potissimum in quæstionem veniunt: 1*mo*: utrum homo possit sibi mereri primam gratiam actualem saltem de congruo, & primam gratiam habitualem de condigno. 2*do*: An prima gloria cadat sub meritum condignum, atque adeo an homo per contritionem se disponens ad justificationem merea-

tur

tur de condigno primum gradum gloriæ. 3*tio:* quæritur, & quidem præcipue, quale sit objectum meriti.

His quæstionibus ut rite satisfaciamus, supponendum, imo etiam demonstrandum est certissimum Theologorum effatum: *principium meriti non posse cadere sub meritum*, nempe sub ea ratione, sub qua necessario prærequiritur ad meritum, vel in eo includitur. Nam fieri non potest, ut idem sit prius se ipso sub eadem ratione. Atqui si principium meriti esset præmium eiusdem meriti, principium illud esset se ipso & sub eadem ratione prius; cum enim meritum proprie dictum moveat ad retributionem præmii *quia est*, ac proinde sit etiam prius præmio, principium etiam meriti ad illud necessario requisitum, vel in eo inclusum, prius esset præmio, quod si ita, principium meriti, utpote præmium, foret prius se ipso sub eadem ratione, prius nempe cum merito, & posterius tanquam præmium. Adde: meritum esse causam efficientem moralem sui præmii & mercedis: absolute ergo existere debet ante suum præmium vel in se vel saltem in mente præmiantis; atqui non potest absolute existere ante suum principium necessario prærequisitum, vel inclusum, ut ex se patet. Hoc ergo præmisso inprimis dogma catholicum de obiecto meriti stabiliemus, deinde quæstiones alias etiam in scholis controversas examinabimus.

ASSERTIO I.

De fide est justum mereri de condigno augmentum gratiæ & gloriæ.

XXIV. Probatur ex Trid. Sess. VI. cap. 10. ita loquente: *sic ergo justificati & amici Dei ac domestici facti euntes de virtute in virtutem renovantur --- in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur. --- hoc vero justitiæ incrementum petit sancta Ec-*

Ecclesia, *cum orat: da nobis domine fidei*, *spei*, *& charitatis augmentum.* Et Canone 32. *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei*, *ut non sint etiam bona ipsius justificati merita*, *aut ipsum justificatum bonis operibus non vere mereri augmentum gratiæ*, *vitam æternam*, *& ipsius vitæ æternæ*, *si tamen in gratia decesserit*, *consecutionem*, *atque etiam gloriæ augmentum*, *anathema sit.* Statuit hunc canonem contra Lutherum, qui negavit omne meritum & omne gratiæ augmentum. Etsi autem Concilium non expresse affirmet, hominem justum mereri augmentum gratiæ de condigno, id tamen se intendere satis indicat. Nam apponit to *vere*, eodemque modo loquitur de merito augmenti gratiæ, ac de merito vitæ æternæ, quod certum est esse de condigno juxta mentem Concilii. Ratio autem est, quia nihil bonis justorum operibus deest, quo minus augmentum hoc gratiæ & gloriæ de condigno mereantur: sunt enim talia opera in ordine supernaturali, libere ab homine justo facta, & præterea ejusmodi operibus gratiæ & gloriæ augmentum Deus promisit, ut ex hactenus dictis patet abunde.

ASSERTIO II.

Nemo sibi primam gratiam actualem mereri potest ne quidem de congruo: gratiam primo justificantem nullus mereri potest de condigno, potest tamen mereri de congruo.

XXV. Probatur pars prima ex illis testimoniis Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, quibus in *secunda controversia* contra Pelagianos & Massilienses ostendimus, non posse hominem viribus naturæ quidquam operari in ordine ad salutem; sed posset, si primam gratiam actualem, a qua initium salutis ducitur, sibi posset mereri de congruo. Hinc Synodus Tridentina declarat Sess. 6. cap. 5. *ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Jesum Christum præveniente gratia sumendum esse*, *hoc est*, *ab eius vocatione*, *qua nullis eorum*

rum praexistentibus meritis vocantur. Quibus verbis omne meritum etiam congruum excludit, conformiter ad dictum Apostoli ad Rom. *Si autem gratia, jam non ex operibus*: si autem gratia non ex operibus, nullum omnino meritum hic locum habere potest. Sed de hoc satis egimus loco citato.

Prob. 2*da* pars ex Scripturis. Rom. 3. dicitur: *justificati gratis per gratiam ipsius*: & ad Titum 3. *Non ex operibus justitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* Justificatio ergo omnino gratuita est; & licet homo per actus fidei, spei, charitatis, poenitentiae sese disponat ad gratiam justificantem, eam tamen illis actibus de condigno non meretur. Hinc Trident. Sess. 6. cap. 8. allata Apostoli verba explicans ita ait: *gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.* Nam opera ista etsi fiant a Spiritu Sancto movente, quia tamen non fiunt ex Spiritu Sancto inhabitante, nullam habent moralem aequalitatem cum prima gratia justificante, quae tamen necessaria est ad illam de condigno merendam: primo enim illam aequalitatem non habent per se sola, quia aequalitas proportionis operum cum gratia sanctificante, quae est semen & mensura gloriae, repetitur maxime ex eo, quod fiant ab homine amico & filio adoptivo Dei, & sic repetitur maxime a gratia sanctificante, per quam homo formaliter fit amicus & filius adoptivus Dei. Deinde non habent aequalitatem ab ipsa gratia sanctificante, quia prima gratia sanctificans operibus, quae illam praecedunt, retribuitur tanquam praemium, quod de congruo merentur; at vero aestimatio & dignitas operis repeti non potest ex eo, quod retribuitur tanquam praemium: nemo enim fit dignus praemio per ipsum praemium, sed dignitas ad praemium ipsum essentialiter praecedit.

Utraque pars prob. ratione Theologica. Ex dictis num. 23. principium meriti necessario prærequisitum ad meritum non potest cadere sub meritum, id est, non potest esse præmium eiusdem meriti; atqui prima gratia actualis, id est prima illustratio & inspiratio supernaturalis est principium effectivum necessario prærequisitum ad meritum etiam congruum: & gratia prima justificans est principium dignificativum formaliter inclusum in merito condigno: ergo nec prima gratia actualis potest esse præmium nostri meriti de congruo, nec prima justificans de condigno.

Prob. pars 3tia Ex S. Augustino in epist. 105. ad Sixtum: *sed nec ipsa*, inquit, *remissio peccatorum sine aliquo merito est; si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei*, quæ scilicet per actum perfectæ contritionis operatur. Talis enim contritio habet congruitatem quandam cum gratia sanctificante, attenta misericordia & benignitate Dei; cum congruum sit, ut Deus infinite misericors remittat peccata, tribuatque gratiam justificationis propter actum, quo peccator delicta sua super omnia detestatur ob Deum propter se dilectum; & præterea contritioni perfectæ promissa est justificatio. Porro quando Tridentinum definit opera, quæ justificationem præcedunt, non promereri gratiam justificationis, excludit solum condignum meritum; cum meritum de congruo, quod habet duntaxat vim ex quadam decentia movendi Deum ad retributionem, propriam, strictamque rationem meriti non habeat. Videantur ea, quæ hoc super argumento diximus num. 11. & 12.

ASSERTIO III.

Probabilius nobis videtur, spectatis principiis de merito, primam gloriam non cadere sub meritum condignum; ac proinde hominem per contritionem, qua se disponit ad justificationem, non mereri de condigno primum gradum gloriæ.

XXVI. Assertum hoc, quod contra communiorem est schola-

lasticorum opinionem, probatur I. hoc modo: ut homo per contritionem (qua se disponit ad justificationem, adeoque per quam de congruo meretur primam gratiam) mereatur etiam de condigno primam gloriam, requiritur, ut contritio a peccatore elicita in ordine ad merendum fiat digna per gratiam sanctificantem; nam ex dictis ad meritum condignum requiritur status gratiæ: atqui contritio peccatoris non fit digna per gratiam sanctificantem ad merendam primam gloriam; ergo &c. Assumpta propositio ita ostenditur: ut actus salutaris dignificetur per gratiam sanctificantem ad merendam de condigno gloriam, requiritur ut fiat ab homine tempore vel saltem natura prius justo, amico Dei, & filio eius adoptivo: atqui contritio (qua adultus disponitur ad recipiendam primam gratiam sanctificantem, cui respondet prima gloria) non fit ab homine tempore aut natura prius justo, ut patet, cum fiat ab homine prius peccatore.

Quod autem requiratur ad meritum condignum, ut fiat ab homine prius justo, ostenditur I. ex D. Augustino dicente: *nullane sunt merita justorum? sunt plane, quia justi sunt.* Ergo prius est hominem esse justum, quam exercere posse opera de condigno meritoria. Idem videtur significare Tridentinum cum ait: *nihil ipsis justificatis amplius deesse, quo minus plene illis operibus, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam vere promeruisse censeantur.* Ergo ei tantum, qui justificatus est, nihil deest amplius ad hoc, ut vere vitam æternam possit promereri, ac proinde deesset aliquid, si non præcederet status justitiæ. Ratio in eo est, quod per gratiam sanctificantem non fiant dignæ actiones nisi justi, quas nempe præcedit tanquam natura ordinis supernaturalis, & in quas per suos habitus ac potentias influit: atqui contritio peccatoris proprie non est actus justi, cum non fiat ab homine prius justo, ne-

 que

que in illam influit gratia per habitum ſuum, qui infunditur cum ipſa gratia, ad quam contritio diſponit.

Probatur 2*do*. Si peccator per eandem contritionem, per quam de congruo meretur primam gratiam, mereretur de condigno primam gloriam, eam mereretur conditionate, nempe ſi poſuerit actus meritorios virtutum præceptarum, & ſi finaliter perſeverarit; atqui ſic non meretur; ergo &c. Aſſumpta rurſus prob. In illo ſigno, in quo prima gloria intelligeretur habere rationem condigni præmii, contritio intelligi debet informata prima gratia ſanctificante, ut patet; hoc ipſo autem peccator per eandem contritionem, per quam de congruo meretur primam gratiam, non meretur primam gloriam. Nam in illo ſigno, in quo intelligitur contritio informata prima gratia ſanctificante, homo per contritionem jam meritus eſt de congruo gratiam ſanctificantem, ac proinde etiam meritus eſt de congruo jus ad primam gloriam, imo primam gloriam conditionate: quod ſi ita, per eandem contritionem non meretur de condigno primam gloriam. Huius autem ulterior ratio eſt, quia eadem prima gloria non poteſt, ſaltem in hac providentia, decerni eidem actui meritorio ut præmium de condigno, quæ gloria prius jam ſupponitur decreta neceſſario ut præmium de congruo; huius enim præmii collatio merenti non adferret novam rationabilem utilitatem ac voluptatem, cum nullam rationabilem utilitatem adferat habere primam gloriam conditionate ſub eodem meritorum & finalis perſeverantiæ onere tanquam præmium de condigno, quam eandem gloriam prius jam homo conditionate & ſub eodem onere obtinuit tanquam præmium de congruo. Adde, quod ſi contritio foret de condigno meritoria primæ gloriæ, illius meriti dignitas haberetur & creſceret ex præſentia primæ gratiæ ſanctificantis, cui reſpondet prima gloria; atqui hoc dici non poteſt; dignitas enim meriti non creſcit ex

ſo-

solutione mercedis, alioquin solutio mercedis augeret debitum, cum e contrario debitum per solutionem mercedis extinguatur, aut saltem minuatur: atqui prima gloria contritioni, qua homo ad justificationem disponitur, redditur per modum mercedis late sumptæ, non quidem ex justitia ob defectum moralis æqualitatis, sed tantum ex fidelitate.

Ex his colliges: hominem non mereri de condigno primam gloriam per contritionem, seu ea spectetur pro primo instanti, seu pro secundo instanti justificationis. Non pro primo instanti, cum enim tunc non procedat ab homine prius justo, neque in illum influat gratia sanctificans, ab hac sufficientem ad meritum condignum dignitatem non obtinet, ut supra dictum est. Non etiam pro secundo instanti, ut multi cum Bellarmino putant; nam etsi tunc contritio jam a gratia dignificetur, utpote a justo continuata, tamen in eo instanti meretur de condigno augmentum gratiæ & gloriæ sibi omnino commensuratum: non igitur meretur præterea primam gloriam, alioquin præmium excederet meritum.

Resolvuntur ea, quæ adversus tertiam Assertionem opponi solent.

XXVII. Qui oppositam sententiam tuentur, auctoritatem adducunt Scripturæ, & potissimum Tridentini. Ac primo aiunt Scripturam absolute affirmare justos mereri vitam æternam, ut constat ex iis testimoniis, quæ adduximus de meritis justorum contra hæreticos. Deinde Tridentinum canone 32. jam alibi citato ait: *si quis dixerit hominis justificati opera non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* His verbis clare videtur docere non solum augmentum gloriæ, sed etiam gloriam

riam, ſeu primum eius gradum, cadere ſub meritum condignum, ſicut ipſum gloriæ augmentum: nam vitam æternam, & gloriæ augmentum recenſet ut duo diſtincta præmia eiusdem meriti, ac in eodem contextu aliter loquitur de gloria, ac de gratia; de hac enim loquens non dicit juſtum mereri gratiam, ſed ſolum eius augmentum, quia nempe primus gradus gratiæ utpote principium meriti condigni non poteſt cadere ſub tale meritum, ſicut poteſt primus gradus gloriæ, qui nullo modo eſt principium meriti.

R. Scripturas loquentes de vita æterna, tanquam mercede meritorum condigna, loqui indefinite, & præſcindendo a prima & ſecunda gloria, ac proinde ex iis pro favore contrariæ ſententiæ nihil poſſe deduci: ſufficienter enim ſalvamus omnes textus, ſi dicamus juſtum per bona opera de condigno mereri vitam æternam, quatenus hæc continetur in quovis augmento gloriæ, quod de condigno meretur. Inſtantia eſt in peccatore, qui dicitur per ſingula peccata mortalia mereri damnationem æternam; ſicut enim iſte per ſingula peccata gravia meretur damnationem æternam quoad ſubſtantiam, in quantum eam ita meretur cum augmento pœnæ, ut mereretur, etſi non foret debita ratione præcedentium peccatorum: ita juſtus per opera ſalutaria poſt juſtificationem facta meretur vitam æternam quoad ſubſtantiam, in quantum eam ita meretur cum augmento gloriæ, ut mereretur, etſi non foret conferenda titulo præcedentis gratiæ.

Tridentini autem canon 32. minime favet adverſariis: loquitur enim tantum de homine in priore inſtanti juſtificato, & decernit duntaxat, hominem qui per primam juſtificationem obtinet gratiam & jus ad gloriam, per pia opera poſt juſtificationem facta mereri abſolute gratiæ & gloriæ augmentum; nam ſermo ibidem eſt de homine merente *vere augmentum gratiæ*, qualis non eſt peccator in eo inſtanti, in quo contritionem elicit;

ſer-

ſermo eſt de eo, qui vere meretur *vitam æternam & gloriæ augmentum*, qualis rurſus non eſt talis peccator, ſed homo jam prius juſtificatus. Obſervatio porro allata (qua dicunt adverſarii per verba *vita æterna*, & *gloriæ augmentum* notari duo diverſa præmia) nimium probat, cum in eodem canone *vita æterna*, & *vitæ æternæ conſecutio* diſtinctis verbis memorentur, quin tamen diſtincta ſint præmia: non enim ideo Concilium vitam æternam, & augmentum gloriæ diſtinctis verbis commemorat, ut velit juſtum etiam primum gloriæ gradum ex condigno mereri, ſed ut refutet hæreticos duplicem in hoc argumento errorem propugnantes. Primo enim negarunt juſtum vere mereri vitam æternam; deinde eam augeri per bona opera in ſtatu juſtitiæ facta. Idem concilium in eodem canone loquitur aliter de gloria, quam de gratia, tum quia juſtus ita meretur vitam æternam in augmento gloriæ contentam, ut eam mereretur, etſi non daretur titulo gratiæ præcedentis, quod ad gratiam applicari non poteſt: tum quia meritum condignum primæ gloriæ voluit relinquere diſputationi ſcholaſticorum, cum tamen de merito condigno primæ gratiæ certo quidquam ſtatui, definirique poſſit, ut dictum eſt aſſertione 2da.

XXVIII. Sunt præterea momenta nonnulla, quibus pugnant oppoſitæ ſententiæ Patroni. I. Etſi Chriſto debita fuerit gloria corporis titulo hæreditatis, ſeu ratione filiationis Dei naturalis, eam tamen promeritus eſt, ut diximus in tractatu de Incarnatione: ergo etiamſi prima gloria ſit debita ratione primæ gratiæ juſtificantis, eam tamen juſtus novo titulo promereri poterit, cum non repugnet, ut aliquis obtineat jus novum ad id, quod aliunde debitum fuit, propter obſequium poſitum. Id quod II. probari poteſt variis inſtantiis.

Sic res in humanis potest alicui esse debita ex pluribus titulis, e. g. creditori in extrema necessitate constituto potest esse debitum aliquod ex mutuo, & ex charitate naturali: cur igitur prima gloria non poterit esse debita homini Justo titulo hæreditatis, & titulo meriti? hinc etiam quod debetur ex voto, potest simul debitum esse ex præcepto, & quod ex uno præcepto, licet naturali & Divino, etiam debitum esse potest ex altero positivo & humano. III. Nihil obstat, quin contritio proxime disponens ad justificationem dignificetur a prima gratia, quam de congruo meretur, in ordine ad merendam primam gloriam. Patet id in actu charitatis a justo elicito in instanti urgentis præcepti, in quo casu gratiæ conservatio pendet ab actu charitatis, adeoque illa hoc actu posterior est: & tamen illum dignificat, & constituit in esse meriti condigni, cum in eo casu talis actus condigne mereatur augmentum gratiæ & gloriæ. IV. Ex doctrina nostra sequitur adultum salvari posse sine operibus de condigno meritoriis vitæ æternæ, ut si post instans contritionis factæ statim moriatur: hoc autem repugnat scripturæ generatim asserenti, unumquemque adultorum mercedem esse accepturum secundum merita & opera sua. His singillatim ut satisfaciamus, R. ad Imum. duplex discrimen assignari posse. Primo enim merita Christi sufficientem habebant dignitatem non tantum ad promerendam gloriam corporis, sed & ad innumera alia dona, & præterea gloria corporis naturaliter Christo tantum debita poterat ei negari, ut ex motivo meritorum ut corona decernatur: at vero contritio, qua adultus se ultimo disponit ad justificationem, & per quam juxta adversarios deberet mereri primam gloriam, non dignificatur a prima gratia ad merendum primum gradum gloriæ, ut constat ex prima probatione assertionis. Deinde Christo ante merita non est concessa gloria corporis, sed negata; potuit ergo dari ut præmium, quia sic non fuit da-

data res jam neceſſario poſſeſſa; at vero in noſtro caſu daretur jus ad gloriam primam ſeu prima gloria conditionate ſub onere meritorum & finalis perſeverantiæ, daretur inquam hoc præmium de condigno, quod homo jam in ſigno priore tanquam præmium congruum habuit, id quod certe merenti rationabilem aliquam utilitatem aut voluptatem adferre non poteſt, ut diximus in ſecunda probatione. Unde adjecta ratio ſic diſtinguenda eſt: non repugnat, ut aliquis obtineat novum jus ad id, quod aliunde debitum fuit, ſi obtineat etiam omnia requiſita ad novum hoc jus, C. ſecus, Nego. Porro in noſtro caſu deeſt condignitas ad merendam primam gloriam, cum contritio a gratia non dignificetur: deeſt præterea altera conditio ex parte præmii, quæ in eo conſiſtit, ut collatio præmii merenti adferat novum commodum, aut novam voluptatem; quod non fieret in noſtro caſu. Nam nullam rationabilem utilitatem aut voluptatem adfert habere primam gloriam conditionate ſub eodem onere tanquam præmium de condigno, quam homo prius obtinuit tanquam præmium de congruo.

Ex his colligi poteſt reſponſio ad ea, quæ ſecundo loco propoſita ſunt. Primo nihil obſtat, quo minus res aliqua poſſit eſſe debita variis titulis; cum tamen momenta in oppoſitum graviſſima ſint, quæ oſtendunt gloriam primam non poſſe eſſe præmium condignum alicujus meriti ab adulto poſiti. Deinde in humanis duplex titulus ſæpe utilis eſſe poteſt, ut nempe deficiente uno titulo per alterum firmum ſit jus ad rem aliquam: item utile eſſe poteſt ad finem intentum duplex vinculum, ut nempe ſi a violando præcepto non abſterret obligatio inde conſurgens, ſaltem retrahat religio voti, aut ſi quod præceptis Divinis imperatum non obſervatur, ſaltem ob metum pœnarum ab humano legislatore incuſſum diligentius cuſtodiatur. Aliter ſeſe res habet in noſtro caſu, in quo deficiunt requiſita meriti condigni in ordine ad primam glo-

riam, cum & contritio non possit satis dignificari a gratia, & utiliter in præmium non possit conferri prima gloria, utpote citra omne meritum debita.

Ad 3tium. dico: illum gratiæ gradum (qui in justo conservatur, & dignificat actum charitatis graviter præceptum) non esse hoc actu natura sua posteriorem: non enim ab isto actu pendet a priori, sed a posteriori, quia nempe Deus dirigente scientia de actu charitatis in instanti urgentis præcepti ponendo conservat & habitum charitatis, & gratiam ejus radicem in priore signo ad actum charitatis.

Demum ad 4tum. Resp. majorem propositionem veram esse. Nam si adultus e. g. infidelis statim post actum dilectionis Dei super omnia elicitum, & acceptam justificationem moriatur, salvabitur sine merito condigno. Scripturæ autem asserentis, unumquemque mercedem accepturum esse secundum opera sua, sensus est, quod illi omnes, qui bona merita habent, mercedem accepturi sint bonis suis meritis proportionatam; sicut qui mala merita habent, pœnam accepturi sunt proportionatam & debitam malis meritis.

CAPUT VI.

Exponuntur residuæ quæstiones, quæ pertinent ad objectum meriti.

XXIX. Præter præmia meritorum nostrorum hactenus exposita, alia sunt de quibus dubitari potest: nempe an justus mereri possit alteri primam gratiam seu actualem, seu justificantem, item: an justus possit sibi per opera in statu justitiæ posita mereri reparationem post lapsum, demum: utrum possit mereri gratiam finalis perseverantiæ. Sit igitur

ASSERTIO I.

Homo justus non potest mereri alteri primam gratiam de condigno: potest tamen mereri de congruo fallibili.

Probatur pars prima. Omne meritum condignum justi in hac providentia adæquate compensatur per augmentum propriæ gratiæ & gloriæ: ergo illi nullum aliud præmium de condigno respondet: sed hoc ipso in hac providentia justus alteri non potest mereri primam gratiam de condigno; ergo &c. Hinc I. ad Corinth. 5. & passim in aliis Scripturæ locis dicitur, unumquemque recepturum prout egerit ipse, non alter pro eo; & Sanctus Augustinus Tract. 102. in Joan. explicans hæc Christi verba: *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, ita scribit: *ita sane intelligendum est quod ait: dabit vobis, ut ea beneficia significata sciantur his verbis, quæ ad eos qui petunt proprie pertinent: exaudiuntur quippe omnes sancti pro se ipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis: quia non utcunque dictum est: dabit, sed: dabit vobis.* Hieronymus id ipsum affirmat, in cap. 25. Matth. ita loquens: *unusquisque pro operibus suis mercedem accipiet.* Adde Chrysostomum, qui Hom. 12. ad populum ita ait: *utinam possibile esset, me pro vobis laborantem omnibus recte agere, sed non licet hoc - - - ex propriis operibus punimur & salvamur.* Certe nullibi legimus Deum promisisse se velle semper acceptare meritum justi in ordine ad dandam alteri gratiam, quæ tamen promissio necessaria est ad meritum in actu secundo condignum. Notandum autem est nos hic loqui de præsenti providentia; quid enim in alio ordine fieri possit, non inquirimus.

Probatur pars altera ex D. Thoma, qui in hac quæst. 114. art. 6. ita loquitur: *cum homo in gratia constitutus implet Dei voluntatem, congruum est, ut Deus impleat hominis voluntatem in*

in salvatione alterius, licet quandoque possit habere impedimentum ex parte illius, cujus aliquis sanctus justificationem desiderat: congruum nempe est, ut amicus ab amico gratiam pro altero postulans illam obtineat. Hinc Scriptura nos hortatur, ut oremus pro invicem Jacobi 5. *orate pro invicem, ut salvemini*, atque ut notaret orationem istam esse aliquomodo meritoriam subjungit, *multum enim valet deprecatio justi assidua.* Hinc D. Augustinus serm. 1. de sanctis ait: *sic ergo exauditus est S. Stephanus, ut eius orationibus deleretur peccatum, quod commiserat Saulus;* & serm. 4. *si Martyr Stephanus non sic orasset, Ecclesia Paulum hodie non haberet.* Porro cum hoc meritum nullam Dei promissionem habeat, fieri potest, ut sit sufficiens, non tamen efficax, adeoque effectum suum non consequatur; unde ait Jeremias cap. 15. v. 1. *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Quod si tamen justus alteri meretur justificationem, hæc ei non confertur immediate vi talis meriti, sed per media ordinaria, per actum nempe contritionis, quam alter elicuerit, vel per Sacramenta, quæ susceperit.

ASSERTIO II.

Justi reparationem post lapsum neque de condigno neque de congruo merentur infallibiliter per opera facta in statu justitiæ.

XXX. Docet id D. Thomas 1. 2. q. 114. art. 7., probamus autem hoc modo: opera bona in statu justitiæ facta neque de condigno, neque de congruo infallibiliter merentur conservationem gratiæ sanctificantis, & auxilia gratiæ efficacia ad perseverandum, ut infra dicam: ergo multo minus seu de condigno, seu de congruo infallibiliter merentur reparationem gratiæ sanctificantis post lapsum, & auxilia effi-

efficacia ad resurgendum; plus enim est gratiam sanctificantem restitui, quam conservari, & plus est injusto dari auxilia efficacia ad dolendum de peccato, quam justo ad non peccandum, neque invenimus unum magis quam aliud a Deo esse promissum, cum experientia constet aliquos post plurima & eximia pietatis opera in Statu justitiæ facta, & postea lapsos non resurgere, sed in suis peccatis mori. Et sane in contraria sententia sequeretur esse in homine justo aliquod meritum, quod per peccatum mortale subsequens non pereat, quod nempe maneat in homine peccatore, vi cuius haberet gratiam pœnitentiæ & resipiscentiæ a peccato: at hoc dici non potest; qui enim per peccatum gratiam & charitatem amittit omne consequenter meritum perdit, juxta illud quod dicitur per Ezechielem capite 18. *Si averterit se justus a justitia sua & fecerit iniquitatem - - - omnes justitiæ eis, quas fecerat, non recordabuntur.* Qui ergo resurgit a peccato, gratiam consequetur non merito condigno præcedentis justitiæ, sed merito congruo præsentis contritionis.

Dices: opus bonum factum ab homine justo ita meretur vitam æternam, ut etiamsi ille postea in peccatum mortale labatur, opus illud meritorium maneat vitæ æternæ, ut iterum vivificari possit: eadem ergo ratione opus factum in statu justitiæ meritorium erit reparationis post lapsum, etiamsi obstare videatur peccatum, quod postea est commissum.

Resp. cum Vasquesio, opus illud, quod dicitur meritorium vitæ æternæ, nullum respectum habere ad peccatum; hoc enim supervenit, postquam opus secundum se factum est cum dignitate vitæ æternæ, ac proinde non impedit dignitatem operis, quod factum est sine ullo respectu ad tale peccatum: at vero justus, qui contendit opere suo mereri reparationem post lapsum futurum, ex parte eius, quod mereri contendit, respicit & includit peccatum, ac proinde includit etiam impedimentum,

non

non tantum consequendi, sed etiam merendi reparationem post lapsum. Adde, quod postquam aliquis merito vitæ æternæ apposuit peccatum, potest etiam illæso bono opere illud peccatum tollere alia via, & ita expedire bonum opus, quod erat meritorium vitæ æternæ, ut illam consequatur: ipso tamen opere meritorio vitæ æternæ antea facto non potest tollere impedimentum peccati postea commissi; nam si hoc posset, deberet tollere peccatum & reparationem consequi absque ullo alio adjutorio, cum nihil aliud sit mereri reparationem post lapsum, quam mereri ut auferatur peccatum: est igitur diversa ratio utriusque.

ASSERTIO III.

Homo etsi justus non potest merito condigno, aut etiam congruo habente infallibiliter effectum, mereri perseverantiam finalem, nec ullam gratiam efficacem actualem.

XXXI. Probatur I. ex Scriptura. Apostolus I. Corinth. 10. ait: *qui se existimat stare, videat ne cadat*, & Philippo 2. *cum metu & tremore vestram salutem operamini: Deus enim est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Ubi & initium salutis nempe velle, & perfectio seu perseverantia non meritis, sed Dei voluntati & beneplacito tribuuntur. Sane alibi diximus, finalem perseverantiam specialissimum esse donum divina munificentia præparatum Electis: potest igitur Deus recto judicio homini justo efficacem gratiam subtrahere, atque ita deserere, & sicut rapit parvulum, ne malitia mutet intellectum ejus, ita aliquando permittit justificatum delinquere in matura senectute, morique extra statum justitiæ, a qua mala voluntate recessit. Quippe sicut figulus habet potestatem efformandi alia vasa in honorem, alia in contumeliam, ita supremus Dominus elegit vasa misericordiæ, in quæ effundit divitias gratiæ, & sustinet vasa iræ ad ostensionem justitiæ suæ. Pro-

Probatur 2do ex S. Augustino, qui multis locis eam sententiam diserte confirmat. libro de corrept. & grat. c. 8. *Si confiteris*, inquit, *donum Dei esse perseverare in bono usque ad finem*, *cur hoc donum ille accipiat*, *ille non accipiat? puto quod mecum pariter nescis*, *& ambo hic inscrutabilia Dei Judicia penetrare non possumus*. Et infra, *mirandum est quidem*, *multumque mirandum*, *quod filiis suis quibusdam Deus*, *quos regeneravit in Christo*, *fidem*, *spem*, *dilectionem dedit* (quibus sane merita comparantur) *non dat perseverantiam; cum filiis alienis scelera tanta dimittat*, *atque impertita gratia faciat filios suos. Quis hoc non miretur? quis non hoc vehementissime stupeat?* Atqui si perseverantia caderet sub meritum, præsto esset ratio discriminis, nempe quod aliqui donum illud bonis operibus sint promeriti, alii non. Clarissime id affirmat idem S. Doctor libro de domo perseverantiæ cap. 9. his verbis: *ex duobus piis*, *cur huic donetur perseverantia usque ad finem*, *illi non donetur*, *inscrutabilia sunt judicia Dei.* At in hoc non essent inscrutabilia Dei judicia, si justus perseverantiam mereri posset etiam de congruo infallibiliter habente effectum. Sicut non sunt inscrutabilia in eo, quod unus adultus justificetur, alter non justificetur, quia justificatio cadit sub meritum de congruo, quo infallibiliter obtinetur, ac proinde responderi potest, unum pro alio justificari, quia unus, non alter, elicuit contritionem, per quam justificatio infallibiliter obtinetur. Hinc S. Doctor eodem lib. cap. 13. omne meritum infallibile excludit ita loquens: *Unde satis dilucide ostenditur & inchoandi*, *& usque in finem perseverandi gratiam non dari secundum merita nostra*, *sed donari secundum ipsius secretissimam eandemque justissimam*, *sapientissimam*, *beneficentissimam voluntatem.* Nulla quippe extat Divina promissio de danda gratia efficaci, & finali perseverantia.

Probatur 3tio ex Conciliis. Arauſicanum can. I. contra Semipelagianos ita ſtatuit: *adjutorium Dei in renatis & ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* At quod precibus impetratur, non habet rationem debiti, ſed gratiæ, ſicut pauperi ſupplicanti eleemoſyna non datur ut merces ſupplicationis. Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32. definit augmentum gratiæ, & vitam æternam ita cadere ſub meritum, ut videatur excludere donum perſeverantiæ; ſic enim habet: *ſi quis dixerit juſtificatum, bonis operibus non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema ſit.* Ubi per hæc verba: *ſi tamen in gratia deceſſerit*, non obſcure notat S. Synodus, magnum illud perſeverandi donum ex ſola Dei miſericordia eſſe expectandum. Hinc ſeſſ. 6. Cap. 13. juſtos monet, *ut cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & caſtitate: Formidare enim debent, ſcientes quod in ſpem gloriæ & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti: debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

Dices I. juſtus eo ipſo, quo poteſt mereri de condigno majorem gloriam, poteſt ſimiliter mereri augmentum gratiæ ſanctificantis, ſine quo major gloria obtineri non poteſt: ergo etiam poteſt mereri de condigno donum perſeverantiæ, cum ad gloriam ordinetur, nec ſine illo ad eam in hoc ſtatu perveniatur. *Reſp. Neg. conſequentiam.* Deus enim nunquam bonis operibus juſti promiſit perſeverantiam, ſicut promiſit vitam æternam & juſtitiæ incrementum; quæ tamen promiſſio ex

dictis

dictis est una ex conditionibus ad meritum condignum requisitis. Porro consequens non est, ut si finis est merces, etiam merces sit medium ad ipsum finem perducens. Deus quippe pro voluntate sua distribuit dona, & pro suo arbitrio vocat operarios; at ex justitia fidelem servum de relato lucro remuneratur, & pro conventione solvit statutum denarium, ut habet parabola Evangelica.

Dices II. Deus promisit perseverantiam juxta illud Jerem. 32. *timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me.* Resp. D. proposit. Promisit generatim Ecclesiæ, in qua existunt Electi, C. promisit unicuique justo in particulari, N. Porro per hæc verba ad Hebr. C. 13. V. 5. *non te deseram, neque derelinquam* promisit quidem Deus auxilia sufficientia, cum quibus justus potest vitare peccatum, facere bona opera, & in bono perseverare, non item promisit auxilia efficacia, quæ dant victoriam, ipsum bonum opus, & perseverantiam.

Dices III. Donum perseverantiæ Deus promisit orationibus, bonis operibus, & vigilantiæ nostræ: nam Christus ait Math. 26. *Vigilate & Orate, ut non intretis in tentationem*, & Lucæ 21. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.* Petrus Epist. 2. c. 1. monet: *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; hæc enim facientes non peccabitis aliquando.* Qui ergo indefessam habent sollicitudinem, & continuam in orationibus vigilantiam, promissione gaudent divina de finali perseverantia. Atque hinc S. Augustinus lib. de dono perseverantiæ c. 6. agnoscit vigilantiam in oratione esse meritum perseverantiæ, cum eam dicat *suppliciter emereri posse.*

Resp. D. assertum: Deus promisit donum perseverantiæ orationibus per modum mercedis, N. per modum doni gratuiti, C. Nam quidquid precibus conceditur, rationem habet

gratiæ, non mercedis. Ipſa oratio demonſtrat perſeverantiam eſſe gratiæ divinæ beneficium, neque ulli mortalium deberi ex juſtitia, etſi impetrari poſſit orando, atque ita cadere ſub meritum, quod appellamus de congruo: Juſtus quippe per concurſum gratiæ adjuvantis poteſt creſcere in gratia & merito novas ſemper vires obtinere contra peccatum, Deumque movere per ſuam fidelem cooperationem ad novas ſemper gratias largiendas, & ſpecialem protectionem, ne ab accepta juſtitia decidat, perſeveret finaliter & in gratia moriatur. At hæc protectio eſt ſpecialis Dei favor, neque opus juſtitiæ, ſed miſericordiæ divinæ.

XXXII. Pro fine hujus argumenti paucis inſinuabimus, ex quibus capitibus creſcat meritum juſtorum. Ac *inprimis* aſſerimus, bona opera juſtorum habentia omnes ad merendum requiſitas conditiones eo magis eſſe meritoria, quo ſunt perfectiora: ſunt enim Deo gratiora, magisque æſtimabilia, atque proportionata ad præmium. Item quo plura fiunt ejusmodi opera, ut patet, nam cum ſingula ſuum gradum gloriæ unum vel multiplicem mereantur, plura plures gradus merentur. Unde autem deſumenda ſit operum præſtantia & bonitas ex iis colligi debet, quæ dicta ſunt de moralitate actuum humanorum.

2do. meritum creſcit ratione majoris gratiæ ſanctificantis in operante præexiſtentis. Creſcente enim notabili circumſtantia in opere creſcit operis æſtimabilitas, ut patet: atque dignitas perſonæ operantis eſt circumſtantia notabilis in opere meritorio, atque hæc habetur & creſcit per majorem gratiam ſanctificantem; igitur ratione majoris gratiæ creſcit æſtimabilitas operis meritorii, ac proinde meritum, quod eo eſt majus, quo magis æſtimabile eſt opus meritorium. Dixi autem *ratione majoris gratiæ in operante præexiſtentis*, tempore nempe vel natura: nam gratia ſubſequens opus meritorium, ac proinde

inde data in præmium ejusdem non poteſt augere meritum illius, cum dignitas operis ad mercedem præcedat mercedem, & ſe habeat per modum cauſæ moralis remuneratorem ad mercedem reddendam moventis. Neque opponi poteſt, quod Deus reddat unicuique *ſecundum opera ejus*, quod verum non foret, ſi remuneraretur opus æquale majore præmio propter majorem gratiam ſanctificantem. Nam reddet Deus ſecundum opera conſiderata non ſolum juxta propriam & intrinſecam excellentiam, ſed etiam juxta omnes alias circumſtantias, quæ ad majorem eorum æſtimationem conferunt, & quarum una eſt dignitas perſonæ operantis orta ex gratia ſanctificante.

3tio. meritum creſcit ex circumſtantiis intenſionis & durationis, ita ut opus bonum ceteris paribus eo magis ſit meritorium, quo eſt intenſius & diutius continuatur. Nam circumſtantia intenſionis & durationis ſecundum æſtimationem prudentem eſt conſiderabilis in opere bono relate ad præmium retribuendum, ſicut & in opere malo in ordine ad pœnam infligendam, adeoque dat majorem æſtimationem actui bono, ſicut majorem malitiam actui malo. Sane qui diu perſeverat in actuali Dei amore, melius agit quam qui obiter tantum hunc actum exercet: item qui ardentius amat Deum, laude magis eſt dignus, quam qui minus intenſe hoc facit. Atqui ille, qui melius & laudabilius facit, dignus eſt majore præmio, ſicut qui pejus agit & majore cum vituperio, dignus eſt graviore pœna.

4to. quæritur, an actus imperati addant quidquam ad meritum actus imperantis. Qua in quæſtione diſtingui debent actus imperati a voluntate, interni & externi, eorūmque diſcrimen rite obſervari. Actus interni imperati ab externis diſcrepant inprimis in eo, quod ſint per ſe & intrinſece voluntarii, quia a voluntate eliciuntur: externi autem non ſunt voluntarii, niſi mediate & extrinſece, nempe per extrinſecam

denominationem ab actu voluntatis petitam, a quo voluntarie imperantur. Deinde differunt in eo, quod possint esse & sint immediate liberi, si a voluntate exerceantur sine antecedente ad unum determinatione: externi vero non sint nisi mediate & extrinsece liberi, quatenus imperantur ab actu libero voluntatis, quae cum sola sit actuum suorum domina, sola potest per se & immediate libere agere. His notatis

Dico I. Actus imperatus internus per se & intrinsece bonus, & libere elicitus auget meritum actus imperantis: sic actus misericordiae libere elicitus addit aliquid ad meritum actus charitatis, a quo imperatur, ut adeo homo plus mereatur per actum misericordiae simul ac charitatis, quam per solum actum charitatis. Fundamentum hujus est, quia actus imperatus internus habet propriam bonitatem, propriamque libertatem distinctam a bonitate & libertate actus imperantis; unde & propriam habet rationem meriti: nam si non habet, certe ei deesset aliquod ad hoc requisitum; atqui non deest: nam, ut supponitur, fit ab homine justo, fit ex instinctu Spiritus Sancti, fit libere, habetque promissionem vitae aeternae ut mercedis: Deus enim non solis actibus charitatis, sed generaliter omnibus actibus bonis a justo factis proposuit vitam aeternam, ut alibi docui. Dixi autem *actus imperatus libere elicitus*: quia libertas actus est conditio ad meritum necessario requisita. Hinc actus internus vel imperatur inefficaciter, vel efficaciter: si inefficaciter, dubium non est, quin habeat propriam suam & formalem libertatem: si efficaciter, communiter non imperatur, nisi ut eliciendus in aliquo instanti subsequo, cum modus agendi humanus videatur pro actu voluntatis imperante & imperato quandam latitudinem temporis postulare. Quod si fiat, elicitur actus imperatus rursus cum nova libertate, seu ita, ut voluntas possit suum propositum mutare, & sic ab actu, quem sibi imperavit, abstinere.

Dico

Dico II. Actus externus imperatus actui interno, a quo imperatur, *per se loquendo* non addit novum meritum. Colligitur id ex Scriptura docente, apud Deum voluntatem pro facto reputari: sic etsi Abraham filium suum non immolarit, sed immolare duntaxat voluerit, tamen ei dictum est Genesis 22. *quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi* &c. Unde S. Augustinus in Psal. 57. ait: *quidquid vis, & non potes, factum Deus computat:* quod si autem voluntas efficax reputatur pro facto, certe actus internus per se æque est meritorius sine actu externo, ac cum illo. Fundamentum autem est, quia ad actum meritorium duo præcipue requiruntur, nempe bonitas formalis, & libertas a necessitate: at vero in actu externo non datur bonitas formalis, cum isthæc consistat in formali tendentia in objectum bonum, cuius bonitatis aut tendentiæ actus externus est incapax, ut fusius dicitur in *Tract. de actibus humanis.* Idem actus externus non est formaliter liber, sed solum denominative libertate actus interni: ergo.

Si opponas scripturam pluribus locis promittere mercedem operibus externis, R. iisdem promitti mercedem ut conjunctis cum internis actibus, quibuscum constituunt unum moraliter actum meritorium ratione solius interni, seu, quod idem est, meritorium ratione libertatis & bonitatis formalis, quam habet actus internus, & quæ ab actu externo per extrinsecam denominationem participatur.

Si urgeas: actus externus cum interno est magis satisfactorius, quam solus internus; ergo & magis meritorius, R. disparem esse rationem. Satisfactio pro peccatis in eo consistit quod tantum pœnæ sive internæ sive externæ subeatur voluntarie, quantum merentur peccata; unde magis satisfacit, qui pœnam internam & externam simul tolerat, quam qui tolerat solam internam. At meritum consistit in eo, quod jus ob-

obtineatur ad præmium a Deo propositum, quod non fit, nisi libere præstando obsequium Deo & bene propter ipsum operando, unde ubi est æqualis libertas & bonitas formalis, ibi æquale est præmium ex parte operis, nec ex hac parte crescere potest meritum apud Deum, nisi crescant libertas & bonitas formalis. Aliud est apud homines, qui judicant meritum majus vel minus juxta actus externos: nam non judicant de actibus internis, sed externis vel certe non judicant de internis nisi per externos, sine quibus nullam voluptatem aut utilitatem percipere possunt.

Advertendum tamen est consulto dictum fuisse actum externum *per se* non adferre novum meritum. Nam extra dubium est actionem externam *per accidens* & occasionaliter posse adferre augmentum meriti, cum illius occasione plerumque fiant plures, diuturniores, atque etiam intensiores actus interni, nempe ratione specialis difficultatis, aut delectabilitatis, quam in exercitio actionis externæ experimur; unde qui ponit actum internum simul & externum, plus meretur, quam alius ponens actum duntaxat internum, non quidem *per se*, quia si nihilominus uterque actus internus foret æqualis, æquale etiam foret utriusque meritum, sed *per accidens*, quia qui ponit actum externum, occasione illius elicit actus internos plures diuturniores & intensiores. Atque hæc, quæ pro temporis brevitate de gratia Christi, & justitia meritorum nostrorum disputavimus, eo fine dicta sunt, ut per gratiam divinam magis magisque justificemur, atque monitum Apostolicum sequentes per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus.

O. A. M. D. G.

IN-

INDEX.

CONTROVERSIA I.

De gratia Salvatoris generatim.

CONTROVERSIA II.

De necessitate gratiæ Christi.

As-

CONTROVERSIA III.

De Gratia sufficiente & efficaci.

qui

in

CONTROVERSIA IV.

De Justificatione, & gratia justificante,

 quasi

CONTROVERSIA V.

De Justitia actuali, sive bonis Operibus.

As-

INDEX.

O. A. M. D. G.

Errata			Corrige.
Pag. 7.	Lin. 14.	Novatoves	Novatores.
10.	12.	probenda	proanda.
20.	31.	Mophulteeni	Mophuelteni.
20.	32.	q uoniam	quoniam.
32.	19.	voluntatis	possibilitatis.
41.	21.	fignicari	fignificari.
42.	15.	actuc	actus.
45.	23.	uaturali	naturali.
45.	31.	monendo	movendo.
48.	25.	malum	bonum.
50.	16.	fed fed.	fed.
51.	5.	fudbiftinguo	fubdiftinguo,
58.	8:	fcilifcet	fcilicet.
63.	25.	fequitur	fequitur.
67.	10.	mortem	vitam.
69.	1.	poffent	poffent,
71.	25.	poffent,	poffent.
72.	20.	elevare	enervare.
91.	23.	prior	pofterior.
91.	23.	pofterior	prior.
93.	9.	prudentia, carnis	prudentia carnis,
94.	9.	caret	carent.
106.	17.	*gratiæ*	*gratia.*
107.	22.	fua, tanquam	fua, non tanquam
216.	24.	9.	q.
132.	11.	implicite.	explicite.
138.	6.	phyficam	moralem.
139.	3.	creatnram	creaturarum.
140.	28.	cft.	eft.
140.	21.	cognofendi	cognofcendi.
169.	6.	miplent	implent.
178.	11.	& hoc dicit	& dicit.
181.	4.	cunjuncta	conjuncta.
186.	8.	complectam	completam.
205.	8.	cempletamque	completamque.
205.	24.	ceteri	ceterum.
212.	10.	infidelibus	infidelibus.
213.	1.	peccatoers	peccatores.
215.	19.	correptionis	correctionis.
218.	24.	reftftet	refiftet.
222.	24.	non	nam.
223.	5.	Dei	Deum.
231.	1.	omes	omnes.
242.	20.	atbitrium	arbitrium.
245.	30.	indeliberatam	deliberatam
254.	15.	neceffariam	neceffarium.
262.	14.	§. III.	§. II.
265.	1.	hadeat	habeat.
278.	17.	regugnat	repugnat.
286.	7.	*imperti*	*impertit*
288.	25.	impotentia	omnipotentia
289.	30.	*altituda*	*altitudo*
289.	30.	*divitiorum*	*diuitiarum,*
303.	10.	II.	I.
309.	24.	illud	illo.
355.	4.	fatisfacimus,	fatisfaciamus.

Cætera benevolus lector corriget.

5-2